XXIV
G[illegible]
16[illegible]

provenienza: fondo Magliabechiano
dove è stato sostituito con un esempl.
dell'opera del fondo Palatino: 20. 4. 96

n° 32

J. 22


ANTONII MARIÆ
GRATIANI
A
BVRGO S. SEPVLCHRI
EPISCOPI AMERINI
DE
BELLO CYPRIO
LIBRI QVINQVE.
Cum privilegio Summi Pontificis
Pomeranci' delin
Romæ Superior, permiſſu Apud Alexandrum Zanettum. 162
Cl. Mellan ſculp.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI

FRANCISCO
CARD. BARBERINO
VRBANI VIII. PONT. MAX.

FRATRIS FILIO

CAROLVS GRATIANVS F.

ET Tua in tanto culmine facilitas, Illuſtriſsime Princeps, & huius argumentum voluminis animoſiorem me fecit: effecitq. vt nullo mihi aditum molliente promerito, ſubitus intrarem ad te, hoc eſt in auguſtale publicæ benignitatis irrumperem. Quis enim iſtius conditionem dignitatis, in medio poſitam occupanti non putet, aut faſtigij tui claritatem ac lucem eſſe non videat æquè radios effundentem in ſingulos? Nimirum quia tu fortunam tuam communem omnium facis fundum, audemus vniuerſi partem aliquam ex iſta felicitate tanquam ex publico delibare. Ipſa porrò libri materia, quæ temporis exacti memoria contine-

tur, & geſtæ narratione rei vitam hominum admonentis, haud alium velit dominum, quàm qui veterum Annalibus inſtitutus, in adoleſcentiæ flore ita prudenter omnium penè populorum actiones attemperat, vt auitam ac translatitiam retinuiſſe poſſeſsionem imperij, non in nouam veniſſe videatur. Candorem animi prorſus illæſum, æquabilem oculorum ac vultus hilaritatem, ſuauitatem humanitatemque verborum conſtantem ac veram (qui magnitudinis tuæ comitatus & familia ſunt) hauſiſti cum lacte nutricis, & quà PATRVI perfectiſsimi Principis exemplo, quà inſtitutione ſapientiſsimi Patris auxiſti. Sed tantum in conſultis actisq. iudicium, tantam rerum, ſiue præteritarum cognitionem, ſiue prouidentiam futurarum, quantam ne in ſenioribus quidem vſq. prouectis abſque admiratione contueremur, aliunde te duxiſſe non arbitramur, quàm ab humanæ vitæ proſcenio, ac totius theſauro vetuſtatis Hiſtoria. Diuinitus enimuero hæc iniecta tibi mens eſt, vt priùs illam æui præteriti ſpeculam aſcenderes, atque in exemplorum omnium theatrum animo & cogitatione venires, quàm in Reipub. cuſtodia collocareris, & deſignator ac iudex in conſeſſum ac ſpectaculum committereris orbis terrarum. His autem ſplendori tuo huius inſcribendi operis cauſis, quas ego pro locupletibus atque ampliſsimis habeo, illud etiam ac-

ceſsit,

ceſsit; quòd tibi commendari putabam optimè poſthumam authoris famam patrui mei, viri ſapientis ac boni; videlicet eius, qui, ſi tuæ gloriæ ſuperfuiſſet, à te, qui ſolas amare virtutes & ſapientiam noſti, non ſummopere diligi ornariq. non poſſet. In mea me hallucinari cauſa non ſinit Commendonus Cardinalis, vir antiqui moris, ac doctrinæ multiplicis: qui, cùm illum paulo plus viginti natum annos in ſuam non modò gratiam, ſed etiam familiam ac familiaritatem admiſiſſet, capaci adoleſcentis ingenio delectatus & animo innocenti, Platonis eum philoſophia remotiori, & Ariſtotelis inſtitutionibus, quæ de moribus, deq. Rhetoricis, ac Politicis ſunt, ipſemet factus ex domino Magiſter impensè ac diligenter erudijt. qua diſciplina ſatis imbutum à ſecretis exinde, legationumq. ſuarum ad Cæſarem, ad Poloniæ Regem, ad alios, non modò comitem ſemper habuit, ſed penè participem. Ac vita demum functus alumni ſui propè ſpem omnem humauerat ac ſtudia: quippe qui ex deſiderio tam bene meriti capitis, in latebris abditus hominum lucem conſpectumq. vitare poſtmodum ac fugere decreuiſſet. Sed à Sixto V. velut ex fuga reprehenſus, Latinisq. præfectus epiſtolis, & eo loco pulcherrimè ſtetit, & poſtea Cardinali Montalto adhuc adoleſcenti, cùm reliquis in rebus, tum in tribus potiſsimùm Pontificijs Comitijs ſic indeſidem fidelem-

que

que nauauit operam, vt non tam alieni monitor officij videretur eſſe, quàm author ſui. Hominem denique tanta cum laude diu multumque ſpectatum in Vrbe Clemens VIII. Amerinum Epiſcopum fecit, ac tum ad cæteros Italiæ Principes colligendi fœderis ſtudio contra Turcas, tum ad Venetos in ordinario munere Nuntium allegauit. Tam multis, ac tam inter ſe diſtractis occupationibus interpellatus, aliquot præterea epiſtolarum volumina, libros de Commendoni Cardinalis vita quattuor, & Commentarium de caſibus illuſtrium virorum accuratè deſcripſit; quæ fortaſsis aliquando lucem, quam iudicio multorum poſcere videntur, aſpicient. Interim ſatis habui, ex amicorum intelligentium authoritate hanc Hiſtoriam, diuturno iam tempore tenebris obuolutam, in libertatem publici Solis aſſerere, atque aduerſus impotentiam interitus, tui nominis immortalitate communire. Excipies illam tu perbenignè, quoniam aliter excipere non potes ea, quæ deferuntur ad te: Neque ſolùm hoc munus, verùm etiam ipſum me, liberosq. meos in tua eſſe clientela & patrocinio patieris. Vale.

VRBANVS
PAPA VIII.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM. Cùm, ſicut dilectus filius Carolus Gratianus Nobis uuper exponi fecit, ipſe opus quoddam de Bello Cyprio à bo: me: Antonio Maria Gratiano Epiſcopo olim Amerino compoſitum, typis cudi facere intendat, ac vereatur ne poſtquam in lucem prodierit, alij, qui ex alieuo labore lucrum quærunr, id ipſum opus denuò imprimant, aut in ipſius Caroli præiudicium imprimi curent; Nos eius indemnitati, ne ex impreſſione huiuſmodi aliquod diſpendium patiatur, prouidere, illumq. ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & a quibuſuis excommunicatiouis, ſuſpenſionis, & iuterdicti, alijsq. Eccleſiaſticis ſententijs, ceuſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſiquibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum harum, ſeriè abſoluentes, & abſolutum fore ceuſeutes, ſupplicationibus ipſius Caroli uomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, eidem Carolo, vt decem auuis proximis durantibus, à primæua dicti operis, dummodo tamen antea à dilecto filio Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici approbatum ſit, impreſſione computandis, nemo tam in Vrbe, quàm in reliquo Statu Eccleſiaſtico mediatè, vel immediatè Nobis ſubiecto opus prædictum ſine ſpeciali dicti Caroli, aut eius hæredum, & ſucceſſorum, vel ab eis cauſam habeutium liceutia imprimere, aut ab alio, vel alijs impreſſum vendere, ſeu venale habere, vel proponere poſſit, & valeat, auctoritate Apoſtolica tenore præſentinm concedimus & indulgemus. Inhibentes propterea vniuerſis, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, præſertim Librorum Impreſſoribus ſub quingeutorum ducatorum auri de Camera, & amiſſionis librorum, & typorum omnium pro vna Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, ac pro alia eidem Carolo, ac pro reliqua tertijs partibus accuſatori & Iudici exequenti, irremiſſibiliter applicandis, & eo ipſo abſque vlla declaratione incurrendis pœnis, ne dictis decem annis durantibus opus prædictum, aut aliquam eius partem, etiam prætextu additionum, aur explanarionum, tam in magno, quàm in paruo folio, ac tam in Vrbe, quàm in reliquo Statu Eccleſiaſtico prædictis, ſine huiuſmodi liceutia imprimere, ſeu ab alijs impreſſum vendere, aut venale habere, ſeu proponere quoquo modo audeant, ſeu præſumant, ac mandantes dilectis filijs noſtris, & Apoſtolicæ Sedis de Latere Legatis, ſeu eorum Vicelegatis, aut eorum Præſidentibus, Gubernatoribus, Prætoribus, & alijs Iuſtitiæ Miniſtris Prouinciarum, Ciuitatum, Terrarum, & Locorum Status noſtri Eccleſiaſtici ſupradicti, quatenus eidem Carolo, eiusq. hæredibus, & ſucceſſoribus, ſeu ab eis cauſam habentibus huiuſmodi in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, quandocunque ab eodem Carolo, & alijs prædictis fuerint requiſiti, pœnas prædictas contra quoſcunque inobedientes irremiſſibiliter exequantur, Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſuis ſtatutis, & conſuetudiuibus, etiam iuramenro, confirmatioue Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in coutrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis, cæteriſq. contrarijs qui-

buſcunque

buſcunque. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis, etiam in ipſo opere impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillò perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris, die x. Iunij, M D C X X I I I I. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

Loco † Sigilli.

V. Theatin.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſimo P. Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

A. Epiſc. Hieracen. Viceſg.

Antonij Mariæ Gratiani Epiſcopi Amerini V. C. liber de Bello Cyprio, quem Reuerendiſſimus Sacri Palatij Magiſter Nicolaus Rodulfius mihi legendum tradidit, ea prudentia, grauitate, elegantia mihi ſcriptus videtur, vt digniſſimum cenſeam, qui luce publica perfruatur.

Ant. Quæringus Vtr. Sig. Refer.

Imprimatur.

Fr. Vincentius Martinellus Magiſter, & Socius Reuerendiſs. P. Fr. Nicolai Rodulfij Ord. Prædicatorum Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri.

ANTO-

ANTONII MARIAE GRATIANI A BVRGO S. SEPVLCHRI DE BELLO CYPRIO LIBER PRIMVS.

CYPRVM Inſulam laudibus ferunt ferè veteres rerum Scriptores. Nouem cæpiſſe Regna tradidere; ſingulis partibus, quantum vix vniuerſis habeas honoris, tribuentes. Quà ſe noſtrum mare longiſsimè in Aſiam *Cypri inſulæ deſcriptio.* infert, media inter Ciliciam Syriamque emergit; Pamphilio, ac Aegyptio mari, & Iſſico ſinu cincta. Quà Ciliciam aſpicit, ſexaginta millibus paſſuum à continente diuiditur; à Syria nonaginta: vnde & abſciſſam olim vi pelagi memoriæ proditum. lata quinque, & ſexaginta, decem ſupra ducenta millia paſſuum in longitudinem patet. Omnis Inſula quinquies centenis millibus paſſuum ambitur, atq. eo etiam amplius. Quindecim nobiles vrbes tuliſſe olim memorant; hodie vix frequentes quinque, Nicoſiam, Famaguſtam, Paphon, Imiſſon, Cerinem; reliqua Pagi, Viciq. occupant, numero ad octingentos quadraginta, in vndecim diſtribu-

ti regiones, Paphiam, Andimam, Imiſſam, Maſſotam, Salinas, Meſaream, Cruſocum, Pendagiam, Cerineam, Carpaſſeam, Viſcontiam. Capita hominum propè ducenta millia cenſebantur, adeò non par veteribus numerus, vt Dion Caſsius in Traiani Cæſaris vita ſcriptum reliquerit, conſpiratione Iudæorum ad ducenta, & quadraginta Cypriorum millia vno tempore cæſa in Inſula fuiſſe. Cæterum hi in quatuor ordines diſtinguebantur, Equeſtrem, Plebeium, Libertinum, & Seruorum: poſtremi duo colendis agris; reliqui frequentandis vrbibus erant. Addictos ſeruitio Cyprij agreſtes habebant, vſurpatione iuris paulatim coactos accipere iugum: ſed pars maxima manumiſſorum erat; atque hos Francomatos, illos Paræcos appellabant: vtrunq. genus infenſum nobilitati, & Paræci magis, qui grauius premebantur. E libertinis milites fiebant, certo cohortium numero inſtituto. Hominum in vniuerſum habitus corporis, ab arenti cælo, gracili, quàm opimo propior: membris agilibus potius, quàm validis: colore fuſco, vt ferè Græci, ac nigro capillo: ingenijs habiles, aptique; ſed omnes ab affluentia rerum corrupti luxuria, & conuiuijs, & vino dediti. Non copioſi erat (Cypriorum mores.) domeſtico inſtrumento vti alio, quàm argenteo: ne ruſtici quidem aliqua ſupellectili argentea carebant, poculo præſertim, & cultrorum capulo, & cocleari, & fuſcinula ad cibum ori admouendum. Nobiliorum ſplendor, Regulorum magnificentiam æquabat: magnum miniſtrorum, ac ſeruorum circa ſe numerum, onuſtos argento Abacos: parem epularum, veſtium, aedium ornamentorum apparatum: eundem in canibus, in equis luxum. Ijs aliquando delicijs fuerunt, vt faſtiditis equis, mulas alerent: hiſq. ſeu per vrbem obequitandum, ſeu per Inſulam, inſiderent, quò mol-

liùs vectarentur. Quæ res vel Senatus cura indiguit, proſpicientis breui nullos in Inſula equos fore: edictum inde, nutrire mulas ne cui liceret: ita res ad priſtinum vſum equorum rediјt. Mulierum luxuria, ac laſciuia, quanta fabulæ locum præbere potuerit, ortam mari Venerem in Cyprum prius egreſſam, & Cypriam, & Paphiam ab nobili in ea vrbe templo dictam. In magna rerum fęcunditate, aquarum inopia ſæpe laborat: ſatis conſtat ex Cypriorum annalibus deſertam olim Inſulam ob ſiccitatem fuiſſe, ac decem, & ſeptem annos nunquam pluiſſe. Nullum flumen; torrentes aliquot per hyemem aucti pluuijs, rapidi è montibus ruunt, æſtate areſcunt. iugibus puteis, fontibuſque perennes ſcaturiunt aquæ (quanquam & hæ caloribus decreſcant) leuiſſimæ, ac ſaluberrimæ potu. Terra, vt nullis amnibus irrigetur, tamen vber ſponte ſua, ac rerum ferax: frumenti, ex quanto incolarum abundantiæ pars tertia ſuperſit, hordei par numerus, atque idem minutarum frugum prouentus. Vini, & excellentia, & copia inſignis; valentiora, ac magis generoſa tota Græcia non gignuntur: vt eorum præſtantia allectum ad inuadendam inſulam Selimum tradant. Salis optimi vis ingens. propè trecenta millia nummum aureorum ex Cyprij ſalis vectigali ad Venetos ſingulis annis redibant. Bombicis, Saccari ingens quæſtus; nec vllius rei feracior Inſula. Oleo item, melle, lino, ſpartho, croco, cæra, lana, ſerico abundat. medicarum herbarum, gemmarum, metalliq. ac omnium propè rerum, quæ terra aut fodiuntur, aut gignuntur, mira fertilitas. Sed ſolo, quàm cœlo felicior, quod graue, ac infeſtum caloribus, ac multis locis peſtilens, breue tempus fruendis tot bonis ſtatuiſſe habitatoribus videtur; corpora ferè ante ſenectu-

Cyprij ſoli ſiccitas.

Terrę fęracitas.

Cyprium Cœlum graue.

Cypri inſulæ Domini.

tem extinguens. Cyprum initio Tyranni habuere: quibus erepta, Aegypti Regibus paruit. His P. Clodius Romanus iuuenis ademit, non genere, quàm audacia, & expulſi Ciceronis inuidia nobilior. Is captus à Piratis, pretium ad ſe redimendum à Ptolemæo petijt, quod illiberaliter miſſum prædones ipſi aſpernati, Clodium gratuitò dimiſerunt iratum Regi, à quo tàm paruo æſtimaturn ſe quærebatur. creatus Romæ Tribunus plebis, legem pertulit, qua Cyprus Populi Romani Prouincia eſſe iubebatur: & continuo miſſus eſt in Inſulam Marcus Cato, qui eam ordinaret, atque Romam aſportaret regios theſauros: qui tantæ opulentiæ fuiſſe dicuntur, vt eorum fama domini rerum populi cupiditatem ſollicitare potuerit. Rex accepto iniuriæ nuncio, indignatus tantum vni in ſe ciui licuiſſe, mortem ſibi conſciuit. Poſt interitum inde Romanæ magnitudinis, Conſtantinopolitani Imperatores tenuere; donec Ricardus Britanniæ Rex anno milleſimo centeſimo nonageſimo, cum magna claſſe Hieroſolymam petens, prohibitus Inſula ab Iſahaccio Regulo, eam victo, ac expulſo Iſahaccio, in poteſtatem redegit: ac paulo poſt, inclytæ opibus ea tempeſtate Templariorum Societati, accepta pecunia, tradidit. Qui ipſi Cypriorum ſeditionibus excepti, eodem, quo emerant pretio, Guidoni Luſignano tùm maximè Hieroſolymorum regno à Saracenis eiecto, vendidere. Guido tranſlata in Inſulam fortunarum ſuarum ſede biennio poſt morbo interijt. Ei Emericus frater ſucceſſit, qui rem Cypriam egregiè auxit: premioq. acceſitis in Inſulam multis familijs, longè quàm antea frequentiorem, agris, viriſque opulentiorem fecit; ac miſſa Romam inſigni legatione à Pontifice Maximo impetrauit, vt Rex appel-

P. Clodius Cyprú Ptolemęo eripit.

Emericus Luſignanus primus Cypri Rex.

lare-

laretur. Hugo diende regnauit Emerici filius. Is Henricum creauit. Is deinde Hugonem, qui admodum adoleſcens, ſine liberis deceſſit. Ita Regnum ad alterum Hugonem Apuliæ Regis filium Iſabella Henrici ſorore genitum, eſt delatum: qui, quò gratior Cyprijs fieret, paterno repudiato, Luſignani cognomen aſciuit. Hugoni Iohannes, Ioanni Henricus ſucceſſit. Is comitiali morbo laborans, cum inhabilis Regno videretur, ab Emerico fratre capitur, & cuſtodiendus ad Aitonem Armeniæ Regem, cuius ſoror in Emerici matrimonio erat, mittitur: cui tamen non diu ſcelus inultum manſit: nam in ſuo lectulo ab Simoneta quodam cubiculi miniſtro non multò poſt occiditur. Ita Regnum Henrico redditur. Poſt hunc Hugo Guidone Henrici fratre ortus, regnat. Is Petrum procreat: cui ob virtutem, forti cognomen fuit. Eo Rege, quantum nunquam antea, res Cypria floruit. inſtituto Famaguſtę vicinarum gentium mercatu, magnas in Inſulam opes inuexit: magnam ipſe vim auri coegit. comparata deinde quinquaginta longarum nauium claſſe à Rhodijs, ſoceroq. Hiſpaniæ Rege adiutus, Alexandriam cœpit, Regnumq. in Syriam extendit. His rebus geſtis, cum ad viſendum Pontificem Maximum profectus Romæ abeſſet; Comes Rochaſij, cui tutelam Regni diſcedens reliquerat, Regina in ſtuprum illecta, regiam potentiam inuaſerat. Qua re cognita, Petrus propere in Regnum reuerſus, Rochaſium pàtrijs legibus apud ſuorum concilium Maieſtatis poſtulauit. Ille gratia, atque opibus tùm ſuis, tùm Reginæ adnixus, deprauato iudicio, non ſolùm abſolutus eſt, ſed delator eius Viſcontius Regiæ domus diſpenſator in exilium actus; cuius dolore iniuriæ accenſus Rex, furere in Cyprios, alios alijs criminibus cir-

cumuentos tollere, graſſari ſtupris, coniuges, filiaſque eorum, & ſibi, & ſuis ſubijcere, nec vllam pudicam pati. Nouum inde carcerem in foro, quò plus terroris incuteret, ædificare inſtituit. Ad id opus faciendum cùm populum cogeret; fœminæ hortatu, coniuratione facta interficitur. Ea nobili orta loco, ferendis ad carcerem lapidibus à Rege damnata, dum in opere verſaretur, lineam quoque interiorem veſtem, tamquam ne impedimento eſſet, ſupra genua ad fœmora extulerat. Rege illac tranſeunte cum magna omnis generis turba; mulier veluti oblita pudoris, ſpectans, ac ſpectaculum præbens, immota ſtetit: ad vnius Regis conſpectum collecta in pedes deſedit, ſeque veſte contexit. Eo prætergreſſo, rurſus erecta, ridiculo ſequentibus, ac nuda fœmora intuentibus, fuit; reſtantes alios, alios regreſſos ad ſpectaculum inceſſit cupido percunctandi, cur vnum verita Regem, reliquorum nulla verecundia teneretur? Tum mulier, non ſolere, reſpondit, fœminas fœminarum oculos cauere: neque ſe in tanto agmine, præter Regem, virum vidiſſe; increpitos inde, ac muliebres animos exprobrans ad coniurandum impulit. Occiſo Petro, Petrinus eius filius Regnum accepit. Is cum ſolemnibus dapibus legatos Venetorum, ac Genuenſium adhibuiſſet, orta inter eos vtri loco, atque genere præſtarent contentione, Venetos prætulit: qua contumelia irritati Genuenſes iuuenes, in Regis necem conſpirant. Sed re prodita, correpti illicò, qui in Regia deprehenſi ſunt, è ſumma turri in forum præcipitantur, collocatis militibus, qui decidentes, erectis haſtarum cuſpidibus, exciperent. pari ſeueritate omnes tota Inſula Genuenſes interfecti ſunt. Bellum Regi ob eam rem à populo Genuenſi eſt illatum, miſſuſque

Admirandum Cypriæ facinus.

Rex Petrus à coniuratis interficitur

Veneti legati Genuẽſibus prælati.

cum

cum claſſe in Inſulam Petrus Fulgoſius, qui prodente Regis matre Famaguſtam, eo neceſſitatis Petrinum adduxit, vt acceptis à victore legibus, amiſſa Famaguſta, obſidibuſque Iacobo patruo, ac patruelibus traditis, vectigal pendere Genuenſibus ſit coactus. A Petrino Regnum ad Iacobum, qui Genuæ obſes erat, redijt; ab eo per manus traditum filio, cui, quod Genuæ natus eſſet, Iano nomen fuit. Is bello Mamaluccorum petitus, ad Viſilopotanum commiſſo prælio victus, captusque in Aegyptum abducitur, anno milleſimo quadringenteſimo vigeſimo ſexto. Quem barbari vix accepto magno auri pondere, & impoſito octomillium nummum aureorum vectigali, quod in ſingulos annos Aegypti Regibus Cyprus penderet, in Regnum dimiſerunt. Id vectigal nunquam eſt dependi deſitum, ne à Venetis quidem, poſtquam Turcæ occupata Aegypto, in idem ius ſucceſſere. Ianus Ioannem filium Regni hæredem reliquit, imbellem iuuenem, & vxori obnoxium: ex qua vnicam filiam ſuſcepit, Carlottam nomine; quæ prius Luſitano cuidam regiæ ſtirpis adoleſcenti, deinde, eo veneno ſublato, Ludouico, Sabaudiæ Ducis filio nupſit. Is Ioanne mortuo, non diu rerum eſt potitus. Nam Iacobus concubina natus, quem Ioannes pater adoleſcentem, Nicoſiæ Archiepiſcopum deſignauerat, indignum ratus externum ſibi Regem præferri, abiecta ſacerdotali toga, ad Regem Mamaluccorum confugit, atque eius ope adiutus, Carlotta, viroque expulſis, patrium regnum recepit, ac pari felicitate, Famaguſta Genuenſibus erepta omnem Inſulam pacauit. Muniendis inde rebus, ad publicam cum Venetis affinitatem iungendam, legatos Venetias miſit, qui vxorem à Senatu Venetam

Genuenſes Famaguſta potiuntur.

Ciuem

Ciuem peterent. Delecta è principibus familijs Catherina Cornelia, Marci filia, & publicè adoptata, in Cyprum ad Regem eſt miſſa. Eam, moriens non multò poſt Iacobus, prægnantem reliquit, & cum naſcitura ſobole Regni hæredem inſtituit. Natus infans intra annum morbo interijt, & hinc Turcarum, ac Syriæ Regibus Inſulæ inſidiantibus: hinc Ferdinando Neapolitanorum Regi viduam Reginam in filij nuptias ſollicitante, commoti Veneti, iampridem eius Inſulæ dominatui imminentes Georgium Cornelium Reginæ fratrem in Cyprum miſere, cuius oratione, ac precibus permota Catherina, anno milleſimo quadringenteſimo octuageſimo nono, poſt viri mortem decimo ſexto, Regno relicto, ac Franciſco Priolo Venetæ claſſis Præfecto, qui Senatus nomine accepit, tradito, in Italiam, atque Venetias nauigauit, donataque à Senatu ignobili in Taruiſinis collibus oppido, ibi molli in ocio conſenuit. Hanc igitur Inſulam, cum ob Imperij dignitatem, quòd præclarum eſſet Rempublicam integrum regnum in Prouinciæ formam redactum, ipſa in Aſia poſſidere: tum propter multarum rerum opportunitatem, & opulentiam, vt ſemper plurimi fecere Veneti, ita obnoxiam Turcicis armis, atque vndique potentiſſimi Regis finibus vnitam, ac penè interceptam habentes, haud quaquam quietis animis eius poſſeſſione fruebantur: eoque maiori ſollicitudine eſſe cogebantur, quòd præter Famaguſtam, nullum eſſet in Inſula oppidum munitum, quòd inuadentibus barbaris moram modo victoriæ afferre poſſe videretur. Et Selimum ipſum, à quo poſtea bello petiti ſunt; Ciliciam prouinciam cum imperio adminiſtrantem, ſuſpectum iam tum habere cœperant multaque infenſi eius animi ſigna collegerant. Itaque

Catherina Cornelia Veneta Cypri Regina.

Cyprus ad Venetos trãſit.

quoad eius fieri poſſet, ad ſtabiliendas Inſulæ res, decreuit Senatus, vt in Cyprum mitteretur cum magna poteſtate Iulius Sauornianus Hieronymi filius, vir claris maioribus ortus, & cùm paternæ fidei memoria, tum propria virtute, ac diuturnæ militiæ obſequio chariſſimus Reipublicæ. Ei permiſere Patres, vt in munienda Inſula ſuo iudicio vteretur: tantùm approperaret: volebant enim occaſione vti, dum Solimanus Rex ad longinquum profectus bellum, quod contra Maximilianum Cæſarem ſuſceperat, in Hungaria abeſſet. Hac accepta poteſtate Iulius, vt erat expedito, maximeq. efficaci ingenio, naues conſcendit: atque in Cyprum vbi venit, inſpectis ſine mora diligentiſſimè locis omnibus, rem hominum de ſe expectationi reſponſuram aggreditur, & Nicoſiam ipſam communire, nouis mœnibus, nouis propugnaculis firmare inſtituit. Erat hæc regia Ciuitas in medio Inſulæ poſita, ad quatuor millia paſſuum in circuitu patens: frequentia nobilitatis, & ciuium opibus, longè totius Inſulæ princeps, &, ſi tuta ab hoſtili vi præſtaretur, commodiſſimum, ingruente bello, reliquis populis amplitudine ſua, perfugium, receptaculumq. præbitura. Nec magnitudo operis, ſumptuſque, quæ ſuperiores Duces ab ea cogitatione deterruerat, acrem, & cupidum nauandæ rei animum Iulij remorata eſt. Vocatis ad ſe nobilitatis principibus, quantum eorum intereſſet muniri oppidum, ſuaſq. facultates, quæ eſſent aliquando Turcarum cupiditatem illecturæ, certa, tutaq. in ſede collocari edocuit. Eſſe magni negocij rem; ſed ſi operam ipſi ſuam, ſtudiumq. quod patriæ, ac Reipublicæ deberent, nauare vellent; ante ſextum menſem ſe opus perfecturum. Principes, qui ſe, vxores, liberos, fortunas ſuas, omnibus belli periculis maximè expoſitas eſſe ſcirent,

Iulius Sauornianus in Cyprum mittitur.

Sauorniani oratio ad Nobilitatē de Nicoſia munienda

rent, gratias Iulio agunt: comprobataq. eius ſententia, ſtudium ad eam rem ſuum, opesq. libenter profitentur. Nec mora, Iulius magnam operarum, & ſeruorum manum Nicoſiam conuocat: & exciſis veteribus muris, & vicinis muro ędificijs, contractoq. ambitu, tanquam nouæ Vrbi mœnia deſignat, eamque ab tumulo à Septentrione imminente, ac propè contingente veteres muros, quadringentos ferinè paſſus remouit, complexus ipſe ſuo circulo (eam enim Vrbis formam, quæ præſtantiſſima eſt, eſſe voluit) circiter tria millia paſſuum. Hunc omnem ambitum, vndecim prominentibus propugnaculis confirmauit: quæ ita inter ſe dimenſis æqualiter ſpatijs diſtabant, vt alterum ab altero tormentorum verberatione ſubeuntes hoſtes facilè arcere poſſet. Diſpartitis deinde muneribus, ſingula propugnacula èducenda ſingulis nobilitatis principibus attribuit: & quodque de illius familiæ nomine appellari propugnaculum iuſſit, qui negocio præfuiſſet. Hoc modo accenſa inter principes æmulatione, dum nemo eorum, aut ſumptibus, aut labori parcit, vt ſuam diligentiam, ſtudiumque patriæ, ac Reipublicæ probet, ipſeque Iulius admirabili aſſiduitate omnibus ſemper locis hortator, atque inſpector adeſt; paucioribus, quàm quiſquam putauerat, diebus, rem eò munitionis perduxit, vt extructis ad iuſtam altitudinem è crudis lateribus, ceſpitibusque, & ingeſta terra muris, atque ingenti foſſa circunducta, breui à quauis magni exercitus vi defendi Ciuitas poſſe videretur. Huius munitionis fama, vt Venetis ſpem magnam, lætitiamque attulit, qui minimo Reip. impendio, infiniti propè operis negocium vnius viri ſolertia, ac diligentia breuiſſimè perfeciſſent; ita Turcarum animos vehementer irritauit. Qui enim antea nobilem Inſulam inclu-

Nicoſia minimo Venetorum ſumptu communitur.

ſam imperij ſui terminis Veneto nomini parere indignabantur, vel eorum armis, atque iniuriæ maximè patentem: iam verò etiam muniri in ea vrbes, & belli arces in præcordijs ſuis ſe aduerſum conſtitui; ferendum nullo modo eſſe, vulgò fremebant. Et ipſum Solimanum eam rem moleſtum habuiſſe conſtat: qui Venetos ſenectutem ſuam deſpexiſſe, tanquam non redituri ab eo bello, quod ſenex, iuuenili, excelſoq. animo Germanis intulerat, querebatur; & ſi vixiſſet, repetiturus armis Cyprum putabatur. Verùm eo in Hungaria ad Segbetum extincto; ab Muſtapha vno ex Solimani Ducibus illius iræ, atq. indignationis hæreditas, ad Selimum filium, qui patri in imperio ſucceſſit, delata eſt, ſua ſponte eius Inſulæ dominatum, ob eas, quas infra dicemus, res, appetentem: atque illam ipſam munitionem in ſe maxime ſuſceptam ſuſpectantem.

QVONIAM ad Selimi Imperium ventum eſt, res poſtulare videtur, vt quæ de eius ingenio, ac moribus tum ad nos fama perferebantur, exponamus, ſi prius fortunam fratrum paucis edixerimus. Fuere Solimano quinque filij, egregia patris ſoboles, & qua haud minus quàm victorijs ſuis felix videri poterat; niſi eum, & familiæ Octomanorum effera conſuetudo, & dominandi libido ipſa natura potentior perdidiſſet. Muſtaphæ ex ſerua Circaſſa genito & natu maximo, eminens in iuuene virtus, & ex virtute ſumma ad omnes ordines gratia exitio fuere, cum populorum omnium, & maxime militum in eum fauor qui perfundere lætitia ſani patris animum debuerat, liuore ſollicitaſſet, tantamq. ſuſpicionem affectati imperij feciſſet, vt captatum Perſici belli ſimulatione, atque in caſtra perductum, crudeliter ab Eunuchis necari, ſe inſpectante iuſſerit.

Solimano filij quinque.

Muſtapha a Solim. patre necatur.

Genghirus alter Solim. filius ſe ipſe interficit.

ſerit. Ghenghirus, cui ab diſtorto corpore Gibbo erat cognomentum ex tàm indignæ cædis atrocitate, ira, atque dolore percitus, cum execratione impij patris, ferro ſe ipſum transfixit. Baiazetem, ab eodem ſtudio militum iam ſeni ſuſpectum coactumq. iniurijs, dignitatem ſuam armis tueri, acie victum regno exegit: cumq. ad Tammaſum Perſarum Regem confugiſſet, ab homine teterrimo, partim denunciatione belli territo, partim ingentibus corrupto donis, patris carnifici cum legatis in Perſas miſſo, ad necem eſt traditus. Mahometem immatura mors adoleſcentem abſtulit. Hunc igitur Selimum ex Roxolana vxore ſuſcepit anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo, quo tempore, mortuo Selimo patre, rerum potitus eſt. Is ex Octomanorum diſciplina inſtitutus primùm quidem Andrianopoli, deinde Ciliciæ in Mahometis locum ſuccedens, dum pater vixit, præfuit: Solimani liberorum, ſi fortunam ſpectes, feliciſſimus: quippe qui imperium ipſum cæteris ſublatis ſolus obtinuerit: ſi ingenium moreſque, & imperandi artes; patri diſſimillimus: nam ab adoleſcentia, non vllis belli ſtudijs, aut magno futuro rege dignis artibus delectatus; degenere animo, totum ſe voluptatibus dedit, & contra Mahumetanæ ſuperſtitionis placita, vini auidiſſimus, eo ſe intemperantiſſime replebat; nec Turcica, Octomanicæque in primis familiæ parcitate, menſa eius, ſed exquiſitiſſimis epulis, opiparè, apparatiſſimèque extruebantur: quas Pumiliones, Mimi, Scurræ circumſtabant. Interdum & conuiuam adhibebat Acomatem, vnum Purpuratorum, ſalſum, atque edacem hominem, & ex eo carum in primis, ac familiarem Regi, tanto edendi, ac potandi ſtudio, vt prandia cœnis continuare, cœnas ad lucem perducere, & è conuiuio cibo, vinoque onuſtus, nec ſui iam

Baiazetes proditus à Rege Perſarum, occiſus à Patre.

Mahometes obijt adoleſcens.

Selimi fortuna.

Selimi mores.

Acomatis, & Selimi intemperātia in cōuiuijs.

com-

compos vterque aſportari à ſuis ſæpe ſoleret. Atque hanc cibi, vinique intemperántiam præferebat corpore ipſo obæſo, ac præpingui, & eximio cutis nitore, vt cùm epulatus, ſublatis menſis, humili puluino, ex more gentis, contractis cruribus inſideret, antiqui illius Bacchi imaginem referret, quem molliſſimum, pinguiſſimumque Poëtæ effinxere. cæterum, quod fieri neceſſe eſt, æquè intemperans eſſe ferebatur in reliquis quoque corporis voluptatibus; interque lectiſſimarum virginum, ac matronarum greges, quæ Turcarum Regum more delectæ ex omnibus prouincijs, vt quæque forma inſignes ſunt, in Regijs ſeptis Eunuchorum cuſtodia aſſeruabantur; puerorum concubitu ita non abſtinebat, vt eius nefariæ turpitudinis, vel apud Barbaros, quibus nullum fœditatis, aut libidinis genus eſt inconceſſum, infamia flagraret. Horum, qui aut flore ætatis conciliati, aut ingenij commoditate in pręſtanda opera gratiam promeruerant, domeſticarum rerum miniſterio vtebatur, omnibusque Mahometanæ diſciplinæ, atque militiæ artibus inſtitutos, vbi adoleuiſſent, etiam ad magnos honores, ſtipendiaque prouehere erat ſolitus. Hos in regijs hortis, aut curſu, aut ſagitta certantes, aut alijs ſe ludis ex diſciplina exercentes, ſæpe cum voluptate ſpectabat. ipſe raro (quod ſupremæ Maieſtatis Barbari putant) ſe dare in conſpectum. Potius quàm vrbe obequitaret, in propinqua Aſiæ littora nauigio aduectus, venationi, aucupijſque, quibus delectabatur, ſtudioſè vacabat: Ingenio, vt ocij, fruendique ſine grauibus rerum curis, voluptatibus ſuis cupido, ita ne augendi quidem ambitioſè imperij libidine elato; nam animus luxu, & adulationibus corruptus, cuncta ſibi ſubiecta, ſeque humanam ſupergreſſum magnitudinem rebatur. omninò partis maiorum labore de-

Selimus Bacco ſimillimus

Maieſtas Barbarorum.

coribus contentus, pacis, & quietis ſtudia amplexurus, & maximi imperij potentia ſine aliorum iniuria fruiturus videbatur; niſi obſeſſus impotenti ſeruorum gratia, alieno arbitrio regi conſueſſet. In quibus eminebant Pialeius, & Muſtapha veteres Solimani Duces. Pialeium etiam Regia affinitas muniebat. Hunc Solimanus, cùm ab expugnato in Hungaria Belgrado, victor domum rediret, infantem in ſulco expoſitum, aut metu deſertum, inter venandum à canibus forte inuentum ſuſcipi iuſſit, delatumque Conſtantinopolim in Regijs ſeptis liberaliter alendum, atque educandum tradidit; tantaque adulti indoles fuit, vt ei Solimanus neptem ſuam Selimo genitam matrimonio iungeret. mos eſt enim Turcarum Regum Regias filias ſeruis collocandi. quippè genti nulla, niſi ex regio ſeruitio nobilitas. Cæterum Pialeius, cùm multis bellis ſub Solimano inclaruiſſet, magnis inde claſſibus, exercitibusque præfuit. Muſtapha nutritius Regis fuerat, eumque indulgenter, ac ſolutè habuerat: ſed maximam gratiam promeruerat eo prælio, quo cum Baiazete fratre, viuo adhuc Solimano, de regno decertauit. Cùm enim re inclinata, atque inſtante prope iam victore Baiazete Selimus fugam cepiſſet; ab Muſtapha retractus in pugnam, coactuſque conſiſtere in acie eſt; atque eodem maximè adnitente, & acerrimè rem gerente Muſtapha, victor ex ea pugna, fuſo, ac profligato fratre, euaſit. Verùm, & hos ipſos, & cæteros omnes longè anteibat & gratia, & dignitate Mahometes, qui Regem vno omnium maximo beneficio obnoxium habebat. Nam mortuo in Hungaria Solimano, admirabili conſtantia, atque ſolertia ita exercitum de ſupremo eius fato celauit, vt & Seghetum acrius, quàm eo viuo oppugnatum vi ceperit, egregiamque de Germa-

Pialeius infans in ſulco expoſitus.

Muſtaphę virtute Selimus Baiazetē ſuperat.

Mahometes cur Selimo gratiſſimus.

nis

nis victoriam retulerit, & ſpatium Selimo dederit, ad quem celerrimos de patris morte nuncios miſerat, antè Conſtantinopolim aduolandi, ipſaque in ſede Imperij conſidendi, quàm quiſquam non modò commouere ſe, ſed ne ſcire quidem, deceſſiſſe Regem, poſſet. Quæ res haud dubiè Selimo magni diſcriminis aleam auertit. Neque enim (quod Mahometem non fugiebat) in eum, tanquam voluptuarium, minimèque militarem Regem futurum, militum animi inclinabant, quem viuo patre contemnere, & per contumèliam Iudæum appellare ſolebant, nec Ottomanorum ſanguine genitum, ſed à Roxolana matre ementita partum, infantem Iudæum ſuppoſitum: idq. ideo obijciebant, quòd Iudæorum nationem apud omnes gentes fœnore, ac perfidia infamem multis beneficijs ornauerat, eiq. in gratiam Ioannis Micheſij Iudæi hominis ex Hiſpania profugi, quo familiariter vtebatur, à Solimano patre Vrbem in veteribus Hebræorum ſedibus habitandam, ac frequentandam, agrumque colendum impetrauerat. Quibus de cauſis fiebat, vt plærique Amuratem eius filium viginti annorum adoleſcentem, qui præclaræ indolis ſpecimina præferebat, reſpicerent. Igitur Mahometis induſtria, ſine certamine, regno potitus, Mahometi ipſi, cui ſingularis beneficij gratiam deberet, magni inſuper conſilij viro, magniq. vſus opinionem habenti, ac præterea genero (nam ei filiam non multò antè, nuptias conciliante Solimano, in matrimonium collocauerat) continuò principem gratiæ, & auctoritatis locum tribuit, Baſſam Viſſerium, ac regij ſigilli cuſtodem (quod eſt apud Barbaros ſupremæ dignitatis, ac potentiæ munus) creauit, & omnium conſiliorum, maximarumque rerum curam, poteſtatemque, amicus ipſe ocij, & vacui grauioribus cogitationibus animi, permiſit.

Selimi cōtēptus apud milites.

Mahometes haud ignarus inuidiæ, magnæ ſemper potentiæ comitis, probeque ſciens, commutabiles eſſe Regum animos, ipſiſque grauiſſimè ſolere offendi, quorum maxima beneficia haberent, quòd eos tanquam creditores odere, & ſublatos cupiunt, tolluntque plerumque, dum impiæ cupiditati iuſtam aliquam in ſpeciem cauſam prętendere poſſint: quique meminiſſet, & alios permultos, & ipſum Habraimum ex ſummo apud Solimanum honoris, & gratiæ faſtigio vnius fœminæ dolis circumuentum, ne dicta quidem cauſa, crudeliter necatum eſſe; omni ſtudio ad gratiam, opeſque ſtabiliendas, & communiendas ſuas ſe dedit. Primùm quidem Regem ab curis, magnarumque rerum moleſtijs abhorrentem ſubiens ipſe vltro, ſuſcipienſque Regis onera leuat, eumque obrui voluptatibus ſuis patitur. Aemulos deinde paulatim, & quos aut minus beneuolos, aut obtrectatores ſuſpicatur, alios alia de cauſa amouet, eorumque loca clientibus, & amicis ſuis attribuit. Breui, hac ratione maris, terræque imperium eius nutu, voluntateque adminiſtrari eſt cœptum; cùm omnes præfecti aut eius beneficium agnoſcerent, aut reliquas ſuas ſpes in eius auctoritate, & potentia eſſe collocatas vellent. Hoc modo annus regni tertius eſt circumactus, quo tempore renouatis cum omnibus finitimis Regibus, cumq. Veneta Repub. patris fœderibus, conquieuit ab omnibus externis bellis Turcarum imperium, & Rege tranquillitatis, maximeque iucundæ, & amœnæ vitæ ſtudia ſectante, nullus armorum motus impendere videbatur. Hanc ingrati ocij ſegnitiem milites vicinarum gentium ſpolijs ditari ſoliti vehementer aſpernabantur, & Mahometem dominandi libidine, vt ſolus rerum potiretur, corrumpere Regis animum querebantur: quem inuolutum voluptatibus, à maiorum,

Mahometis calliditas.

pa-

patriſque inprimis, & Aui clariſſimorum Imperatorum inſtitutis, qui Turcarum victricia arma circumferendo, tot regna, latiſſimasque regiones imperio adieciſſent, auerſum haberet, cùm eorum exemplis ad virtutem æmulandam accendendus eſſet. Quid enim indignius tot gentium Domino, atque adeò Ottomanicæ ſtirpis Rege, quàm & ipſum liqueſcere voluptatibus, ac marceſcentes otio milites habere? Hanccinè eſſe diſciplinam, qua Selimus auus, cuius ipſe gereret nomen, tot prouincias bello victas ſub ditionem redegiſſet, & inſignem bellica laudis gloria Mamaluccorum gentem deleuiſſet? Non fruendis partarum opum commodis Ottomanici generis Reges eſſe conſtitutos, ſed vt continuatis victorijs orbem terræ Turcico nomini ſubigerent, & Mahometem diuum colere cogerent. Porrò priuatæ fortunæ eſſe, ſua retinere: regij animi, de alienis certare. Quanquam vt degeneri abſit generoſa cupido quærendę per maiorum veſtigia gloriæ; at iiſdem artibus tuenda eſſe magna Imperia, quibus acquiſita ſint: namque vt tractatu armorum, rerumque homines ad virtutem excitantur, ita tranquillitate, atque otio in deſidiam abeunt. Non domi turpi inertia ſedendo, & ventri, ac Veneri ſeruiendo a ſuperioribus Regibus, ſed ſerendis foris, fortiterque gerendis bellis, immenſas opes partas, & conſtitutas eſſe: & Turcarum, Ottomanorumque nomen ad orientis vſque Solis plagas, atque ignotas antea terras illatum eſſe: ſe denique ipſos, quorum fide, ac virtute res Turcica ſtaret, ac floreret, quando ſolito noui Regis donatiuo auarè, & iniquè fraudati eſſent, cur etiam excludi illa ſpe, quam vnam inopiæ pellendæ in dextris, & in nauanda Imperatori ſuo opera, haberent? ſcilicet vnius Mahometis gratiam maximo ſemper emendam, eius inexhauſtam cupi

ditatem, aſſiduis, infinitisq. omnium gentium donis explendam eſſe. Erant ab initio Milites alienatis animis, quòd regno inito Selimus, vt ipſi expectauerant, & ſuperiores ferè Reges fecerant, pecuniam Prætorianis honoris cauſa, nullam diſtribuerat, eiuſque illiberalis conſilij auctorem eundem Mahometem ferebant. Has militum querelas ſtudioſè Muſtapha, & Pialeius fouebant, quod ille euertere vtrumque conatus erat. Et Pialeius quidem motus loco, atque exutus dignitate, ægre aſſiduis vxoris lachrimis, precibusque apud patrem pro viro deprecantis, vt reſtitueretur, impetrauerat. Et Muſtapha cùm aduerſus incolas Maris rubri miſſus eſſet, eaque expeditio malignitate Sinami, qui Aegypto præerat, parum proſperè ſucceſſiſſet; non ſolùm adminiſtrati negligenter eius belli, ſed initi cum hoſtibus occupandæ Aegypti conſilij ab Sinamo, vt Mahometi gratificaretur, eſt accuſatus. Et quia Muſtapha, quo tempore Selimus Baiazetis filius, huius Selimi auus Aegyptum, internecione Mamaluccorum nominis, armis ſubegit, Tomumbei Regis filiam, tradente Selimo, adoleſcens in matrimonium acceperat, ex eaque filios habebat, haud vanus delator Sinamus videri poterat: & Mahometes pronum Regem ad accipiendam ſuſpicionem, criminando, oſtentandoque periculo, & celeri ſeueritate diſcutiendum ſuadens, impulit, vt carnificem in Aegyptum mitteret, qui Muſtapham occideret. Eſt enim Turcarum ea vis tyrannidis, atque ea Barbaris parendi diſciplina, vt ſine vlla cauſæ dictione, cùm Regi libuerit, vel validis præpoſiti exercitibus, prouincijsq. ſeruo à Rege ad id miſſo ceruicem feriendam ſine recuſatione præbeant. Sed Muſtapha, re ante per amicos cognita, non expectato, ac declinato percuſſore Conſtantinopolim magnis itineribus

Muſtapha & Pialeius Mahometi infenſi.

Turcarū obedientia.

aduolarat, ac per Amuratem maiorem natu filiorum Regis, qui egregium Ducem iniquiſſima oppreſſum calumnia conſeruare cupiebat, intromiſſus ad Selimum, Si necari me (inquit) tu imperas Rex, haud inuitus neceſſitati parebo: ſin fraude inimicorum tua bonitate ad aliorum perniciem vtentium, innoxius tamen circumuenior; id certè aſſequutus fuero, quod tu ipſe de me, non crudeliſſimi inimici iam ſtatuent. Obiecta inde crimina ita refutauit, vt non ſalutem modo à Rege impetrarit, ſed in Baſſarum, quos Viſirios vocant, collegium cooptatus fuerit. Hi igitur infenſi Mahometi munia pacis omnia occupanti, bellum cupiebant, ex quo materiam creſcendi, firmandiq. opes, aduerſus potentiſſimum inimicum nanciſcerentur. Et ipſe Mahometes his militum vocibus excitatus, quæ iam liberius inter Prætorianos ferebantur, auertendum erumpentis inuidiæ impetum, occupandosq. bello milites ſtatuit, quorum voluntates, facultatem eorum cupiditati, prædæ, & rapinarum præbendo, eſſet recuperaturus, & ſimul aduerſarios ab oculis Regis longè amoturus, & nouis periculis obiecturus. Igitur alij alio conſilio, omnes bellum moliri. Erat Muſtaphæ familiaris vſus cum Michæſio, quem ſupra acceptum in primis Regi demonſtrauimus. Is erat Michæſius genere Iudæus. Ea gens poſt immane illud occiſi Chriſti piaculum, ira numinis eius omni exuta dignitate, & quò cæteris mortalibus oſtentui eſſet, ſuis eiecta ſedibus, vaga, atque egens, quà lucri, vitæque tolerandæ ſpes duxit, omnibus ſe terris diſperſa effudit, nuſquam niſi pro ciuitatis quodam probro, ac dehoneſtamento accepta. Magna multitudo in Hiſpania conſederat, perque omnes vrbes prompta dolis, pecuniæque vias omnes callens, fœnerabatur. Primò opportuna res

Muſtaphę ad Selimi oratio.

Muſtapha Viſirius creatur.

Iudeorū fœda, ſed iuſta conditio.

viſa, tenuiorumque ſubſidium, paratos habere, à quibus expedita pecunia, cum quid neceſſitas imponeret, ſumeretur. Et intertrimentum, vſuramque initiò facile tolerabant. ſed vbi in luxuriam quoque, inutileſque ſumptus ſumi eſt cœptum, tum iuxtà plebs, primoreſq. euerti fortunis, circumueniri, atque obrui fœnore. Id vbi animaduertere Reges Hiſpaniæ, quanquam magnam & ipſi pecuniam emungere ab fœneratoribus ſolerent, tamen pari iam prouentu, & opes, & ſobolem fallacis, atque infidæ gentis, ſuprà quàm tutum eſſet, auctas cernentes (nam præter omnes alias nationes procreandis liberis Iudæi ſtudent, dedecusque ingens ijs habetur, cælibem, aut ſterilem eſſe; & quod alienarum concubitu abſtinent, eò magis profuſa inter ſuas libidine agunt) cùm præterea religioni eſſet Regibus, pati tantum apud ſe Iudæorum coaleſcere, indiesque propagari, exigere Hiſpania Deo, hominibusque inuiſum genus, & purgare ea labe regnum ſtatuère, facta poteſtate manendi, habendique ſua his, qui repudiatis patrijs inſtitutis, in Chriſtianam diſciplinam tranſire vellent; reliquos excedere finibus ſuis iuſſere: pars maxima pecunijs, ac bonis ſuis illigati, exilij tædio conditionem mutandi veteres ritus ſubiere. Pulſos, Luſitani donis conciliati accepere, indicta lege, vt niſi ex eorum quoque terra intra præfinitum tempus abijſſent, protinus pro ſeruis haberentur. Conſilium ijs fuerat, inde in Mauritaniam traijcere: ſed cùm præſtituta dies exeundi adeſſet, nec naues, quas Luſitani fraude auerterant, ad ſe, ſuaque tranſportanda vllas inuenirent, intra fines deprehenſi, libertatem omnes amiſere. Mortuo Ioanne Rege, Emanuel, qui ſucceſſit, clementiæ laudem initio Regni captans, ſeruituti exemit. Idem paulo poſt, peruicacia ingenia malis domanda, non beneficijs

[Margin: Iudæi Hiſpania pulſi Luſitaniam petunt.]

[Margin: Libertatē amittunt.]

exiſti-

exiſtimans, acerbè, & crudeliter habitos relinquere paruos filios, vt Chriſtiani fierent, coactos, abire Luſitania iuſſit. Ibi quoque eò plures, quàm antea in noſtra ſacra, moremque transferri ſe paſſi ſunt, quò filios, quàm rem, amittere durius fuit. Neque conſuetudine inde, atque vſu Chriſtiani moris, quod crediderant Reges, flexi, ac molliti animi ſunt. Nam obſtinata fide imbutæ mentes, palàm ſimulare Chriſti cultum, noſtramque imitari religionem, ſecretò priſtinum in nos odium, ſuas cæremonias, & priorem Dei cultum retinere. Tum aduerſus hos illuſores Chriſtianæ pietatis acrem Reges quæſtionem inſtituunt, ſceleriſque compertos igne comburunt, damnatorum filios, poſteroſque omni publico munere, atque honore arcent. Ea quæſtio, & ſeueritas eadem hodie quoque manet. Hinc crebra ex Hiſpania in alias gentes transfugia eorum, quibus vel in abdito hauſta opinio inſidens animis, & ſoli, in quo nati, altique ſunt, & reliquarum rerum contemptum facit. Hos Hiſpani Marranos vocant, ex quorum numero Michæſius, cùm Venetias miſſu aliorum veniſſet, deque aſſignando Marranis loco, ſedeque in aliqua Inſularum Vrbi adiacentium cum Senatu egiſſet; nulla re impetrata errando iam feſſus, Bizantium ſe contulit. Ibi fortè prædiuitis fœminæ nuptijs ex abiecto, atque inopi, repente magnas nactus opes, longè primus Iudæorum eſt haberi cœptus. His igitur fultus, & inde à pueritia omnes aſſentandi, atque aucupandi animos hominum artes edoctus, viuo adhuc Solimano, dum Selimus Ciliciæ præeſſet, exquiſitis, & ad Regis ingenium excogitatis muneribus, ita ſe in eius gratiam, & familiaritatem inſinuauerat, vt arcanis etiam ſermonibus admitteretur: & homo callidus, multarumq. rerum, & Chriſtianorum maximè, peritus, Regis animum

Iudæorũ pertinacia.

Marrani quinam ſint.

variis conſilijs, aptisque captabat, infenſus præcipuè Venetis, à quibus, dum Venetijs fuit, illiberaliter habitum ſe querebatur. Itaque ſæpe Regi vicinam Cyprum oſtentando, fertilitatem Inſulæ, opesque, & vberrimi agri fructus, & præſtantia vina, quibus ille impensè delectabatur, prædicando, eum in cupiditatem occupandæ Inſulæ adducere ſtudebat. & vt cupidini ius quoque adderetur, dolo (dicere) Cyprum à Venetis interceptam obtineri, cùm ad Regem Turcarum pertineret, qui Aegyptum ipſam bello partam poſſideret, cuius pars regni inſula fuiſſet, & ex eo vectigales, ac beneficiarios Regis Venetos eſſe. Et cùm Cypri Prætores quotannis vini, & ſaccari, aliarumque rerum, quarum ferax eſt inſula, dona mittere Selimo conſueſſent, ea ipſa dona quà carpere Michæſius, ac deludere, vt parua, & anguſto mercatorum animo, non tanto Regi paria, quà allicere talium auidum, vt ſua, quàm aliena eſſe mallet. Ad hæc Venetos criminari, tanquam pacem parum fideliter colerent, qui hoſtibus Regis, pyratisque receptum in ſuis portibus tutum præſtarent, ac, ſiqua nauis aut ab Hiſpanis, aut à Melitenſibus per illa maria vagantibus capta eſſet, id criminosè interpretari, Venetorum fraude fieri. ac, ſi Rex patiatur, breui fore tam infeſtum pyratis id mare, vt Turcæ omnes eius commercio prohibeantur: quod Regi maiori famæ iactura ſtare, quàm rei. Quid enim turpius tot regnorum, ac tam vaſtæ potentiæ Regi, quàm in intima imperij parte ab aduenis prædonibus agi, ac ferri ſubiectorum res; &, quod ad religionem quoque pertinet, intercludi itinera, ac nauigationem ad Mecham Vrbem, quò ad viſendum Mahometis ſepulcrum quotannis tot mortales adire pietatis cauſa ſolerent? Quid, quòd ipſi Veneti per cauſam vlciſcendi pyratas,

Mahometes Selimũ incitat ad inuadendũ Cyprum.

naues

naues Turcarum toto mari inſectarentur, tanta fundendi Turcici ſanguinis auiditate, vt lege cautum habeant, nequem Turcam viuum relinquant; deditosque ſæpe, ac fidem fœderis implorantes, barbara crudelitate trucident? Aſſentando hinc potentiæ, ac, ſi pede terram pulſarit, exturbaturum illicò ex Inſula Venetos Regem, ratiocinando impulit Selimum iam antè Venetos deſpicientem, vt de Cypro illis eripienda cogitaret, profiteretúrque facturum, ſimul ac ipſe paterni regni compos effectus eſſet. Quin Michæſium ipſum eius Inſulæ Regem facere deſtinaſſe ſunt qui ferant, auditamq. vocem illius in commeſſatione, cùm multo vino incaluiſſet, Michæſium Regem Cypri appellantis. Sed ſiue donaturus homini Iudæo, ac viliſſimo transfugæ Regnum (quod à vero, aut certè à conſuetudine Turcarum abhorret) ſiue propria cupiditate, in hanc ſanè cogitationem Finicæ vrbis portum contra Cyprum in Ciliciæ ora ſitum, vnde non longior ſexaginta millibus paſſuum traiectus eſt in Inſulam, negligentia collapſum, ac repletum, purgandum, reficiendumque curaſſe dicitur. Quæ res iam tum Venetis Cyprij belli ſuſpicionem incuſſerat. Verum adeptus regnum, inter maximarum opum, immenſique imperij gubernationem, affluentiamque rerum omnium, quaſcunque concupiſcere animus poſſet, ſua ſponte ea cogitatio mente effluxerat, nec merſus tot voluptatibus, & à grauibus abhorrens curis, repetiturus videbatur. Cæterum Muſtapha cum Michæſio Cyprij belli conflandi rationes noctes, dieſque inter ſe coquebant, redituram rati priſtinam Regi cupiditatem, ſi quis reuocaret omiſſam. Tentandum eius animum cùm decreuiſſent, prius fremitum militum, voceſque bellum poſcentium per fœminas quaſdam decore formæ acceptas Regi, & Maho-

Finicum portũ reficit curat Selimus.

metis

metis potentiæ aduerſas, perferri ad eum curant; quibus motus Selimus, Mahometem conſuluit. Ille probat, vt bellum geratur, eiusque occaſionem præſentem offerti ait, quòd nuncij ad ſe ex Hiſpania veniſſent à Mauris, opem aduerſus Philippum orantes. Regi nouum id bellum videri, nec ſatis liquere, quæ ſeditio Maurorum, quæ vires, quæ belli futura ratio. Sic agitatum antè de Cypro conſilium ſponte ſubijt; ſed monente Mahomete iurisiurandi, ac fœderis nuper icti, ac negante, iuſtam vllam belli cauſam cum Venetis eſſe, dirempta tum conſultatio eſt, ita tamen, vt appareret, minimè eum à bello Veneto religione abſterritum iri.

REGES Turcarum vnum ad poſterorum famam maximè illuſtre monumentum regni, nominisque putant, templum ſibi pro ſepulcro condere; nec aliam ferè publici operis magnificentiam norunt. Innumeri in his lychni, lampadesque perpetuis luminibus collucent, præſertim eo tempore, cùm ad ſtatas, ſolennesque preces conueniunt. Sunt ſui templo Antiſtites, Sacerdotesque, ac Miniſtri Sacrorum. templum verò ipſum porticibus, atrijs, pauimentis marmoreis, rariſque è lapidibus magnificentiſſimè exornant, accitis ex ipſa Italia artificibus, quos & barbaris ſeruire auiditas lucri cogit. Neque id ſumptuoſiſſimum operis. addunt ædes pari magnificentia exſtructas, in quibus humiliores, egentesque, ægri præſertim, & affecta valetudine, vſque ad confirmationem aluntur, curanturque. Hoſpitibus tridui victus, tectumque præbetur, atque omnes ſine diſcrimine accipiuntur, ſiue Chriſtianus quis, ſiue Turca, ſiue ſeruus, ſiue liber, ſiue ſubiectus imperio, ſiue alienigena fuerit, neque numero, neque genere diſtincti hoſpitio vlli arcentur. Ad hæc magnus puerorum numerus victu, veſti-

Templũ ſepulcrale Regum Turcarũ.

Noſocomia, & hoſpitiã prope tẽplum.

tuque pręſtito inſtituuntur. Appetebat hanc laudem Selimus, vt, quemadmodum Solimanus pater eo monumenti genere ſuperiorum Regum moles cùm artificio atque opere, tùm operis amplitudine anteceſſerat; ita ipſe patris in eo ſtudium, ac magnificentiam longè ſuperaſſe videretur. Huc intentum, per Sacerdotem eum, quem Muphthium Turcæ vocant, admonet Muſtapha traditi à maioribus moris, id fani genus non alia, quàm capta de hoſtibus pecunia ædificandi: ita acceptum Deo vates ceciniſſe. nec magis legitimos vllos eſſe hoſtes, quàm Chriſtianos, quibus nec Mahometes in cæleſtibus ducitur, & omnes ritus, cultusque Turcarum in profanis ſunt. Lætus hæc monentem Muphthium audiuit Selimus. nec alia re magis accenſum eius animum ad occupandam armis Cyprum, quàm libidine ditandi ex opulentæ Inſulæ fructibus cœptum ab ſe hoſpitale diuerſorium ferunt. Secundum hæc ipſe Muſtapha, cùm diu captando tempus expectaſſet, opportunè ingreſſus commemoraſſe dicitur perpetuum Ottomanorum Regum inſtitutum, regni initia bellico magno auſu, ac memorabili aliquo facinore commendandi, & ſupremi honoris dignitatem inſigni aliqua victoria condecorandi, quò à ſe etiam ipſis, non ſolùm à ſummæ ſuæ amplitudinis iure, maieſtatem tot nationibus, quibus imperant, præferrent. Sic Selimum auum, qui imperatorijs virtutibus omnes omnium gentium, atque omnis memoriæ maximorum regum, ac ducum laudes ſuperaſſe exiſtimetur, vixdum apprehenſis regni gubernaculis, de Iſmaele Sophio, claro ea tempeſtate Perſarum Rege, victoriam quæſitum in Perſiam vſque penetraſſe; ita vt in Calderanis campis, collatis ex æquo ſignis, victor, fugato hoſte, Taurim regiam vrbem occuparit, atque ex eius præclarè geſtæ rei

Id tēplū ex hoſtiū manubijs ędifi andum.

Quęnam maxima ſuadendę Cyprī cauſa Selimo.

Muſtaphæ ſuaſio de occupanda Cypro.

Iſmael Perſarū Rex ab Selimo alterius Selimi auo ſuperatur.

ſama aditum ſibi ad clariſſimas poſtea victorias, & ſui nominis immortalitatem aperuerit. Pari magnitudine animi Solimanum patrem magis pia arma in Chriſtianos, naturales Turcarum hoſtes, conuertiſſe, & aggreſſum magnis copijs Hungariam, primo impetu Belgradum, antiquum, ac firmiſſimum Pannonici regni propugnaculum, vnde Amurates, & Mahometes Ottomanorum Reges olim re infecta, acceptis etiam detrimentis repulſi eſſent, feliciter expugnaſſe, Hungarosq. veteri ſua bellicæ virtutis exiſtimatione ſpoliaſſe: atque eodem felicitatis curſu Rhodum Inſulam fortiſſimæ, & Turcico nomini infeſtiſſimæ Societati ereptam, in poteſtatem redegiſſe: exinde maximas res aduerſus Venetos geſſiſſe, quos eò neceſſitatis compulerit, vt quà vrgente fame, quà victore Rege, Zacyntho, Cephaleniæ, atque ipſi etiam Corcyræ imminente, pacem, Nauplia, Epidauroque munitis vrbibus remiſſis, ac tota Peloponeſo cedentes, tam turpi, quàm neceſſaria pactione redimere coacti ſint. & hos nimirùm eſſe hoſtes illuſtrandis Turcicis armis natos: quibus cùm nihil Turcico bello formidoloſius ſit, nihil contrà Turcis victoria exploratius eſſe debere. Atqui ipſoſmet opportunè nuper iuſtam bello cauſam præbuiſſe, qui arroganti decreto vrbes in ſtipendiario, ac vectigali Turcarum regno communire ſint auſi, tanquam defenſuri armis eſſent, quod Regum permiſſu obtinerent. Id Solimanum ipſum, ſi vixiſſet, non fuiſſe paſſurum, importunamque gentem eiecturum armis ea inſula, cuius poſſeſſionem munitionibus ſtabilire, quàm beneficio Regis habere maluerint, & ſe abſente, & Hungarico bello occupato, doloſè, & quaſi furtim communire aggreſſi eſſent. Sæpe inuictum ſenem minaci in Venetos vultu confirmaſſe, ſi victor Conſtantinopolim rediiſſet,

Solimanus Belgradũ expugnat.

Rhodũ potitur.

Venetis multa eripit.

Iiſdẽ minatur.

ſet, omnem belli tempeſtatem in eos immiſſurum, ac terra marique oppugnaturum. Hanc iuſtam patris iram ipſum eò magis ſuſcipere debere, quòd eius principia regni violaſſe, ac (ſi Deo placet) contempſiſſe Veneti videantur, qui, ex quo ad regnum peruenerit, & Euſcocos prædones in fines Turcarum quotannis immiſerint, qui omnia circà latrocinijs infeſta terra, marique reddiderint, & Cyprum ipſam Chriſtianorum pyratarum aſſiduè Turcicis nauibus inſidiantium receptaculum, perfugiumque tutiſſimum feciſſent. Itaque hanc eſſe tantò magis vindicandam contumaciam, quantò rem eſſet ſuſcepturus parum laboris, plurimum gloriæ habituram. Quid enim & ad Chriſtianorum terrorem, & ad omnium gentium famam illuſtrius fore, quàm tum Venetos Cypro expuliſſe, cùm ipſi ſuis viribus fidere cœpiſſent? cùm nobilem vrbem in medio Inſulæ, latè eius rei diſperſa fama, firmis propugnaculis cinxiſſent? ſcilicet intellecturos eſſe Chriſtianos, Turcarum virtuti omnia peruia eſſe: non eam murorum molibus, non vallis, foſſiſque, aut vllis omninò operibus arceri. Patrandi verò conſilij & ſummam facilitatem fore, & peropportunum tempus fortunam obtuliſſe, cùm Chriſtiani Principes nec vnquam ſatis conſentientes, & tunc maximè religionum diſſidijs diſiuncti, attritis domeſtico bello viribus, Venetos eſſent deſerturi. Quippe Philippum hinc Maurorum bello, quod opinione maius in ipſa Hiſpania exarſiſſet, hinc pacandis Belgarum populis nouæ ſuperſtitionis contagione ad arma conſternatis, diſtineri. Regem Galliæ & ætate inualidum, & inteſtinis ſeditionibus attenuatum, Turcica inſuper ſocietate obſtrictum teneri. Maximilianum Cæſarem à conceſſa nuper pace non diſceſſurum, cùm ſemel virium ſuarum periculum im-

Euſcochi.

Chriſtianorũ Principũ diſcordiæ, quam hoſtibus opportunæ.

proſperè fecerit, & nec ipſe per ſe Turcico bello pares vires allaturus eſſet, nec incertis, & nunquam tempeſtiuè coëuntibus Germanorum auxilijs confideret: quæ gens ad propulſandum Turcicum bellum, quàm ad inferendum promptior eſſet. Nec verò Poloniæ Regem, qui patris ſui conſilijs innixus, cautus alieno periculo eſſe didiciſſet, vnquam temerè inueteratæ pacis fœdera abrupturum. Ita Venetos deſtitutos non ſolùm Cypro, quæ prius occupabitur, quàm petitam Venetijs ſciatur, exigi; ſed, ſi cœptis aſpiret fortuna, grauiori aliqua plaga affligi, ac proſterni poſſe. Quibus infractis, ac metu ſe non commouentibus, nullas porrò maritimas Chriſtianorum opes fore. Hinc Italiæ ipſius inuadendæ optatiſſimam omnibus Ottomanicis Regibus facultatem præbitum iri. At ipſos obtundere, & profligare Venetos, quid tandem eſſe negotij? ſiquidem apud eos ab diuturna pace, tranquillitateque, quam Solimani patientia per annos triginta tenuere, obſoleuiſſe omnes militiæ artes, iuuentutem ocio, luxuque languentem, inſolentem in ſocios, timidam atque imbellem aduerſus hoſtem futuram, ſenes non alijs, quàm pacis, & vrbanæ ambitionis ſtudijs exercitatos, rudes ad belli conſilia fore. Quotum enim quemque reliquum eſſe, qui poſtremi belli meminiſſet, nedum gerendis rebus interfuerit? Igitur impares ipſos, ab ſocijs deſertos, quid eſſe ſpei habituros? Scilicet aut ignominioſæ pacis conditiones ſubituros, quibus, tanquam compedibus illigentur, aut, quod maximè horrent, vniuerſi Imperij fortunam periclitaturos; ac demum affectos, vt ſemper, magnis cladibus, ac rerum omnium difficultatibus circumuentos, vel impellente fame iugum accepturos: ac milites Turcas hoſtium ſpolijs locupletatos, captiuorum greges abducentes, Bizantium redituros,

Germani propuſsãdo, quam inferẽdo bello apciores.

Ocium, & pax bellicas artes dedocet.

ros, & fortunarum plenos Regem ſumma pietate culturos, ipſumque egregijs de Chriſtiano nomine partis victorijs in æterna gloria futurum.

SVPER has Muſtaphę, ac Micheſij cohortationes, quibus Pialeius quoque haud leuis auctor acceſſerat, intimus Selimi animus cupiditate ſtimulabatur, Cypri manubias inſtituto ab ſe operi perficiendo deſtinans, & vectigalia propinquæ, ac diuitis Inſulæ, quæ templo addicturus eſſet, impenſas in perpetuum ſuppeditatura exiſtimans. Hinc Micheſium extollentem vbertatem Inſulæ, ac iniuſtis dominis adimendam armis, ſuadentem, cum aſſenſu audiebat. Et erat Selimi animus ab Imperij magnitudine, ac fiducia virium, & quòd Reges à Turcis pro præſenti numine coluntur, in tantam vanitatem, gloriamque elatus, vt haud tutò quiſquam, quantiſuis claſſibus, exercitibusque ſufficere regni eius opes, negaſſet. Hinc omnes longè infra ſe ducere Reges, & nihil ſpes ſuas morari poſſe, nihil, quod imperaſſet, non perfecturos ſuos tantis ſubnixos viribus, opinari. Igitur Muſtaphæ orationem ſecuta Regis voluntas: præcipitatumque illico bellum eſſet ab expertibus fidei barbaris, niſi Mahometes, qui auertere bellum à Venetis vehementer ſtudebat: ſiue æmulos in maximè longinquam, dubiamque militiam amandare cupiens, ne parta de Cypro victoria (quam haud difficilem fore exiſtimabat) creſcerent: ſiue magnis ſemper muneribus à Venetis cultus ſuæ fidei eſſe ducebat, pacem ijs præſtare; obiecta religione tenuiſſet, vt Muphthius Sacerdos, ac fœderum, & iuris publici peritus conſuleretur. Sed parum in Muphthio ſpei ratus, cuius reſponſum ad Regis voluntatem futurum non dubitabat; oſtendere conatus eſt, præſtare, Hiſpaniæ

Selimi elatio animi.

Mahometes bellum a Venetis auertere conatur.

Muphtius Turcarum Sacerdos

Mahometes Regi Hiſpanicum bellum perſuadet.

bellum inferre, quod & vtilitatis, & cauſæ eſſet plus habiturum, ſi homines ijſdem ſacris, eodem cultu in Deum, iniqua ſeruitute in hoſtili terra vexatos, eius nomen, auxiliumque implorantes tueretur, cùm illi eius ſpe freti arma cepiſſent, illatisque vltro cladibus, totam Hiſpaniam conterruiſsent. Hoc bello nec nouum vllum conciri hoſtem (neque enim, vt Veneto Hiſpanicum, ita Hiſpanico Venetum bellum acceſſurum) & Hiſpanum militem in aliena fortaſſe aliquem, in ſua certè terra inermem, ac imbellem, haud difficilem victoriam eſſe facturum: & ex victoria in tantum propagari Imperium, vt orbem terræ ab oriente ſole ad occidentem ſit complexurum. Euerſo enim Philippo, ac Hiſpániæ Regno exciſo, quod aliud præſidium, quo fulciatur, rem Chriſtianam eſſe habituram? Hiſpaniam porrò ſubigere nec magni laboris, & immenſæ gloriæ fore: ſexaginta millia Maurorum propè, par reliquæ Hiſpaniæ robur dici in armis eſſe, haud minorem numerum in Aragoniæ, Valentiæq. Prouincijs intentos Granatenſium euentum, & quid ipſe auxilij ferat, expectare: cuius ſigna ſimul ac in Hiſpania conſpexerint, ſimul ac eius aduentare claſſem, in eius ſe receptos fidem, audierint; illico ingenti tumultu ad arma & ipſos conſurrecturos. Accedere Galliam antiqua æmulatione, mutuisque odijs, & aduerſo exitu bellorum exulceratam, ſemperque inſenſam Hiſpanis, ac Turcico nomini multis obſtrictam, atque coniunctam officijs: quam quis dubitet lætam inuaſuram occaſionem premendi veteres hoſtes ſuos, atque aliquid ex eorum naufragio rapiendi? Et huic tantæ gloriæ propè parem officij laudem futuram, cùm homines religione, cæremonijsq. coniunctos (quod maximum eſſet humanitatis vinculum) non

Maurorum in Hiſpania vis, & copia.

Galli cur Hiſpanis infenſi.

deſe-

deſeruiſſet; eumque pia bella, nec ex vlla cupiditate, quæ in tantas opes cadere non poſſet, ſed ex fide gerere, vel hoſtes prædicaturi eſſent. At ſi Mauris relictis, & tanquam Philippo ad ſupplicia proditis, bellum Venetis nuper in ſocietatem, amicitiamque acceptis fecerit, etiam atque etiam conſideraret, qui ſermones hominum eſſent futuri, cùm fama per gentes ferretur, deſertos, qui per ſummam crudelitatem Mahometem eiurare cogerentur: eos bello petitos, quibus paulo antè data pax, ac ſanctiſſimo iureiurando ſancita eſſet. Hæc deliberatio aliquandiu tenuit, auctoritate magis Mahometis, quàm dubitatione Selimi, qui cupiditatem ſuam iuſti vim, æquique trahere: &, quod ei in mentem veniſſet optare, id non conſequi, atque ad effectum perducere, indignum maieſtate ſua putabat: ac Cyprum maximè diuitem & opportunam Inſulam, templo ab ſe cœpto, animo iam, & cogitatione adiudicauerat; qua vna re maiorum ſuorum gloriam ſuperare geſtiebat. Sed extracta vtique deliberando res eſſet cunctatione Mahometis, niſi noui ex Italia nuncij Micheſij, ac Muſtaphæ conſilijs vim addidiſſent. Animus Selimi inuadendę Cypri.

ERAT annus nati Chriſti milleſimus quingenteſimus ſexageſimus nonus, quo ingens tota Italia frumenti inopia annonæ caritatem tantam effecerat, vt cùm in eadem frugum anguſtia verſarentur reliquæ continentis ciuitates, Venetijs abrogata lege, qua pretium frumentarijs finiebatur, frumenti ſextarium nummis aureis quinque vænierit; & iam nihil eſſet propius, quàm vt fames timeretur. Neque Patribus diligenter in eam curam intendentibus, facile erat huic malo certum inuenire remedium: nam pari difficultate vicini quoque populi afficiebantur. ita enim aduerſus frugibus annus fuit, vt in ipſa Sicilia, atque Apulia vberri- Ingens annonæ caritas in Italia.

mis

Venetorum ratio annonę augendę.

mis Italiæ horreis, magnâ annonæ caritate ſit laboratum. Subleuauit tamen ciuitatem Senatusconſultum, quo aureum nummum in ſingula ſextaria ijs, qui frumentum Venetias adueherent, ex publica pecunia Triumuiri annonæ curandæ dono dare ſunt iuſſi. alle̋cti enim plærique & ſpe vberioris quæſtus ex tam inſigni caritate,& hoc Senatus munere, haud paruum frumenti numerum Venetias comportarunt. Ad hanc frumentariæ rei difficultatem acceſſit aliud maius momentum concitandis ad bellum barbaris. Eodem anno Idibus Septembris media nocte in Reipub. naualibus turres,in quibus ſulphureus tormentorum puluis ligneis in cadis aſſeruabatur, comprehenſo igne conflagrauerant, tanto incendij impetu, vt ciuitas inſolito fragore, ac ſonitu excitata, ſtratis ſe eiecerit, & in fora, apertaque viarum, attonita metu, proripuerit. Cùm enim maiori, quàm terræ motu omnium ædes quatefactæ horribili modo contremuiſſent,& cælum ſubitis fulgoribus coruſcans nouę, atque horrendæ rei ſpeciem præbuiſſet, tantus omnium mentes pauor occupauit, vt alij ſupremum vrbis fatum, alij vniuerſitatis interitum adeſſe trepidis animis ſuſpectarint. tanta enim ignis, & erumpentis flammæ vis fuit, vt non ipſius modò vrbis fundamenta nutarint, nauigia per vias, perque æſtuaria tremuerint, ſed vicinorum quoque oppidorum ædificia ea flammæ violentia concuſſa ſint. Taruiſij, Patauij, ac remotioribus etiam in locis qui erant, nobis ſæpe poſtea narrarunt, ſe micantium feneſtrarum, atque parietum tremore, ac ſtrepitu excitatos, magnum terræmotum extimuiſſe. At Venetijs vicinæ incendio domus, viris, fœminiſque oppreſſis, omnes corruerunt. Exterrita tam violenti caſus metu ciuitate, cùm cæli crepitus, & vis conti-

Sulphurei pulueris turres Venetijs noctu cõflagrant.

Eius conflagrationis impetus,ac ſubſecutus terror.

cetce-

ceſceret, & deſediſſet iam pauor; inſidiarum, & occultæ
coniurationis ſuſpicio inceſſit. In curiam Patrum, armatæ
nobilitatis in forum fit concurſus, cuſtodiæ, excubiæque
per vrbem diſponuntur. Comperto naualium incendio au-
getur proditionis metus: ſcilicet eam partem virium peti-
tam, qua Veneta res maximè ſtaret. Tum Paulus Tronus
adire, atque inſpicere naualia eſt iuſſus. Trepidatum pau-
lum ad portam, quæ illo rerum concuſſu ſponte patefacta
erat, cùm ex incondita turba Tronum ſequuta, nemo ſe
inferre metu auderet; & edidiſſent ridiculi timoris flagi-
tium, niſi Tronus cum paucis nobilibus primus inſiluiſſet.
Qui omnibus aditis locis, Patribus renunciauit, ſolitudi-
nem eſſe in naualium ſeptis: turres, murosque, quà Muria-
num reſpiciunt, incenſi pulueris impetu, intactis arma-
mentarijs, nauibusque, dirutos, ac diſiectos eſſe, atque
vicinorum ædificiorum, ædisque, ac monaſterij Cæleſtiæ
fœdam ſtragem expoſuit. Verùm inteſtini alicuius doli me-
tus animos occuparat: pluresque poſtea dies cuſtodiæ no-
bilium in ſingulis vrbis regionibus die, noctuque ſunt actæ,
deductęque triremes, quæ foro, atque curiæ præſidio eſſent.
Et quia apparebat, non fortuitò excitatum, ſed humana
fraude conflatum eſſe incendium, quòd pluribus ſimul tur-
ribus, & ijs longè diſtantibus ignis eſſet comprehenſus,
magna ijs præmia, qui, quorum id opera factum, indicaſ-
ſent, conſtituta ſunt. & (vt poſtea fama vulgauit) haud
dubijs indicijs compertum eſt, immiſſos fuiſſe à Turcis,
Micheſio authore, qui ſcelus patrarent. Facinus poſt ho-
minum memoriam maximum, & atrociſſimum immani
barbarorum fraude eſſet admiſſum, niſi paucos ante dies
ducenta librarum millia confecti pulueris, iuſſu Senatus,

muni-

Coniurationis ſuſpicio ex naualium incēdio.

Micheſius creditur author incendij.

munitionis cauſa Corcyram, atque in alias reip. inſulas ex ijs turribus exportata fuiſſent. Si enim quadraginta librarum millia, quæ relicta erant, tantum ciuitati periculum creare potuerunt, vt tot dirutis, diſiectisque ædificijs, vniuerſam concuſſerint vrbem, quid ſuper his ducenta millia factura fuiſſe putamus? Fuere tum, qui exiſtimarent, vrbem ipſam eo incendio, atque impetu ignis euerti, atque ciuitatem omnium poſt conditum orbem clariſſimam, & pulcherrimam, miſerabili exitu, immanium belluarum ſcelere exſcindi funditus potuiſſe. Documento quidem Chriſtianis principibus eſſe debuit, quàm feri, quàm etiam perfidioſi, & fraudulenti nobis hoſtes impendeant. Peruaſit celeriter fama rei, recenti ciuitatis terrore, ipſa re maior, atque in immenſum, vt fit, rumore aucta, deflagraſſe Venetijs reip. naualia, armamentaria, naues, omne bellorum, & claſſium inſtrumentum igne abſumptum, vſque ænea tormenta, quorum eſt in naualibus admirabilis apparatus, diſſoluta, & colliquefacta interijſſe ferebantur, cùm re vera, præter pulueris haud multi iacturam, & murorum ac turrium ruinam, quæ omnia ſubitò refecta, ac reſtituta ſunt, nullum magnopere damnum reſp. feciſſet.

Venetum incendiũ quos motus Bizãtij fecerit.

AT his Bizantium nunciatis, nulla iam arte, nulla auctoritate Mahometis ſuſtineri vltrà res potuit, prædicante Micheſio, literasque oſtendente Venetijs ſibi ab Iudæis fœneratoribus allatas, acciſos eo incendio imperij neruos, prolapſam vnico caſu rem Venetam, ne multorum quidem annorum ocio reſtitui poſſe. panes quoque Venetijs ſibi ab eiſdem Iudæis miſſos oſtendiſſe dicitur milio, non frumento confectos, quò fidem faceret, fame vrgeri

ciui-

Muſtapha rurſum Turcas ad Cyprum belli accendit.

ciuitatem. Enimuero exclamare tum Muſtapha, vtendum fortunæ beneficio, neque omittendum tempus tam opportunè à Deo immortali oblatum, non Cyprum ſolùm regno adijciendi, ſed infligendi Chriſtianis, & maximè Venetis, inſigne aliquod vulnus, cùm eorum nauales opes, quibus aliquid poſſe videbantur, obtritæ: cùm inopia frumenti circumuenti, non tam longinquæ tuendæ inſulæ, quàm depellendæ domeſticæ famis cura anxij, ſollicitique futuri ſint. Vnde enim eos commeatus in claſſem, exercitumque ſuppeditaturos, qui ægre ſeſe, ac vrbanam plebem alerent? Vnde porro claſſem ipſam habituros, incenſis armamentarijs, atque omni nauali apparatu igne abſumpto? At enim religionem, fœdusque obſtare. quaſi vlla contra Deum religio ſit, aut vlla fides Mahometi parenti, ac conditori veræ pietatis gratior præſtari poſſit, quàm eos hoſtes internecino bello perſequi, qui eius ſanctiſſimum numen non agnoſcunt: id ſciri è veſtigio poſſe, ſi ſacerdotes, atque interpretes ſacrorum conſulantur. Atque hæc, tanquam ſi nullam belli cauſam Veneti dediſſent, ab ſe dici: cùm verò ipſi priores fœdus violaſſe argui poſſint, quid opus eſſe de iure fœderum diſſerere? Proinde deſinerent, Venetos religione tueri, quibus quæſtui pax Veneta, quorum ſententia addicta pretio ſit. Nam quod de Hiſpanis, Mauriſque prætexitur, eòdem ſpectare, vt diſcuſſi Cyprij belli merces quammaxima exigatur. Quò enim nouum, maximèque longinquum bellum in occidente quæratur, cùm vicinum, atque opportunum inuadentibus, & quod ferendum non ſit, in intimo imperio regnum occupantem hoſtem habeant? & quid hoc conſilij eſſe, Hiſpaniam non ſuis tantùm opibus, viris, armiſque præualidam, ſed Ita-

liæ,

liæ, ac Germaniæ viribus ſuccinctam, longè alio in orbe oppugnatum ire, ac imperium pari virtute, ac ſapientia maiorum conſtitutum in diſcrimen tam ancipitis euentus dare: Cyprum, ac Venetos omittere, qui propè ante oculos quotidianis contumelijs iram Turcarum, armaque prouocare audent; de quibus, nec dubia victoria ſit futura, & fructus victoriæ potior? proxima quæque, ac maximè factu facilia occupando, ditionique adiungendo, proferri firmariq. regna: eadem, ſi tranſiliendo ordinem rerum & locorum, longinqua atque aſpera appetendo, arma & vires, quò cupiditas rapit, temerè transferas, deſtrui funditus, atque euerti. Maurorum defectionem, vt, quanta fama celebraretur, eſſet, opportunam diſtinendo Philippo, ne ſociare conſilia, ſtudiaque cum Venetis poſſit; non Philippo ipſi, ſedique imperij eius inuadendæ eſſe. Impetum igitur omnem in Venetos dandum, quibus debellatis, iniectoque iugo ciuitati exiſtimatione maritimæ potentiæ Italiam, atque Chriſtianos tuenti, tum facilem aditum in Hiſpaniam, & ad cæteras Chriſtianorum prouincias fore.

Regni proferẽdi ratio.

His rationibus incenſus Selimus, ab inſita vanitate facilè in ſpem magnæ inuadendæ gloriæ erectus bellum aduerſus Venetos decreuit. Et quò iuſtè, ac ritè ſuſceptum videri poſſet, interrogari Muphthium iubet: qui antè à Muſtapha præparatus, vt cupere regem ſenſerat, ita reſpondit. Tum Selimus accito Mahometi ſuum conſilium aperit: ingreſſum, vt antè, diſſuadere ita redarguit Rex, vt iracundia elatus Chriſtianum (quæ barbaris grauiſſima eſt contumelia) Chriſtianisque ſtudentem appellarit. Ad quam vocem cùm territus Mahometes terram intuens conticuiſſet, & Selimum acerbitatis tam atrocis maledicti

Turcis Chriſtianos appellari maxima contumelia.

ſup-

ſuppœniteret, quo perfidiæ inſimulabatur ille vir, cuius dignitatem reuereri, cui regnum ipſum acceptum referre eſſet ſolitus, leniùs appellatum, mittere fruſtra diſſuadendo conari, quod ſibi certum deliberatumque eſſet, & apparando ſtrenuè bello incumbere iubet. ipſius enim partes erant, pro iure magiſtratus, quem gerebat, quæ fieri rex vellet, imperare, & vt plenè cuncta recteque adminiſtrarentur, curare. Mahometes ictus ea oratione regis, neque tam lætus, quòd obiectum per iram probrum verbis mitigare conatus eſſet, quàm verens, nequa ſuſpicio ab aduerſarijs inculcata in eius animo reſideret; ad eam abolendam factisque refellendam intentiori, quàm vnquam antea, cura inſiſtit negocio, monito rege, vt cuncta ſilentio premi iuberet: ſibi curæ fore, vt ars ad fallendum viribus addatur, & Veneti nec opinato bello turbentur: ac priùs Cyprus occupetur, quàm mitti Venetijs auxilia poſſint. Ergo magno ſimulationis artificio verba dare Veneto legato, & tanquam amico arcanum regis conſilium prodens, componere Hiſpanicam expeditionem. Præterea enatum eſſe magnum in Aegypto bellum fingit, quòd Arabes, agreſte ac ferum genus, creato ex ſua gente rege, ſumptiſque armis à Turcis defeciſſent, & in Aegyptum irrumpentes, cæſis aliquot Turcarum turmis, qui ſe eis temerè obiecerant, magnum terrorem tumultumque in ijs locis effeciſſent. Harum rerum rumores diſſipari crebris ementitis nuntijs curat. quæ fidem eò maiorem habitura rebatur, quòd non omnino eſſent falſa, quæ diceret. Nam, quà Aegyptus Arabici ſinus oram attingit, gens ſeruitutis inſcia, aſſueta raptui, & incertis ſedibus, dura atque inops, vagari, Turcarum iugum excuſſerat. Verùm pacandi Arabes negocium præfecti

Mahometis verſutia ad fallēdus Venetos.

Arabes à Turca deficiunt.

Aegypti erat: neque ea res vllo ab rege conatu indigebat. Has Mahometes apparando bello cauſas prætendens claſſem adornare maximam, naues ad equos tranſportandos ædificare, remiges ad mare cogere, arma, pecuniam, commeatus expedire, Græciæ, atque Aſiæ præfectis (Belerbeios barbari vocant) mandat, vt milites, equitatumque paratos, quò rex iuſſiſſet, ſine mora ducendos habeant. Tandem Finicam Ciliciæ vrbem ad conueniendum edixit, & Hiſpanienſe adhuc bellum, Arabicumque ſimulabatur.

Belerbei quinã dicantur.

M. ANTONIVS Barbarus Bizantij rempub. procurabat: quem, cùm circumſpectaret, atque odoraretur diligentiſſimè omnia, & in eo nec pretio, nec periculo parceret, nihil Mahometis conſiliorum fugiebat, ſenatumq. crebris ac vehementibus literis obteſtabatur, vt Cyprijs rebus cauerent, inſulamq. Italicis militibus firmarent: eos excluſum iri, ſi cunctarentur. claſſem à Turcis maximam inſtrui, milites, equitatusque Europa, Aſiaque in Ciliciam cogi, diligentiam curamque ſummam adhiberi, conatum diſſimulari: Mahometem ab ſe his de apparatibus appellatum magnopere confirmaſſe, ea contra Venetos non parari, velleque regem in eadem amicitiæ fide permanere, quam pater eius triginta amplius annis præſtitiſſet: illam claſſem copiasque ad Mauros vindicandos pertinere, qui in Hiſpania iniurijs ſubacti, ſæui dominatus iugo excuſſo, pro religione ac libertate arma cepiſſent. proinde & ſe deponere omnem ſuſpicionem iuſſiſſe, & ad ſenatum ſua interpoſita fide ſcribere, nequos ſuſciperent metus, néve ſumptus apparanda claſſe facerent. Verùm Turcica fraude hæc ab fallaci homine dici, vt Patres à claſſis cura, mittendoq. in Cyprum Italorum militum præſidio auerterentur,

M. Ant. Barbarus Venetorũ legatus apud Turcam.

Crebro Senatum admonet de muniẽda Cypro

quòd

quòd intelligeret, inſulanos per ſe, ſine externis auxilijs, ne primum quidem belli impetum eſſe laturos. Itaque cunctandum non eſſe M. Antonius monebat, neque expectandum, vt comparatis rebus, palàm initium belli à Turcis fieret. quid enim eſſe abſurdius, quàm ad inuadendam Hiſpaniam ituris, copias in proximam Cypro Ciliciam cogi? Sed harum literarum plæræque omnes à barbaris dedita opera omnibus eius nuncijs tabellarijsq., inſidiantibus interceptæ, perlatæ non ſunt. Eò factum eſt, vt bellum priùs eruperit, quàm prouiſi quicquam Veneti, expeditionis Hiſpanienſis vano rumore decepti, habuerint. At Bizantij, vicinasque per prouincias, cùm omnia bello ſtreperent, ac percrebuiſſet, Cyprum ac Venetos peti, occultari res diutiùs nequibat. Itaque Mahometes M. Antonium ad ſe accerſiri iubet, ei nunciat: velle regem, vt Veneti Cypro inſula, in quam ei optimum ac peruetuſtum ius eſſet, cederent ſibi, quando eam ipſi prædonum ac Turcici imperij hoſtium receptaculum feciſſent: ſi ſponte facerent, rei gratiam fore, vt tuta diu atque integra pace perfruantur. ſin ſupra vires animos tollerent, & experiri bellum eligerent, haudquaquam victori Cypri conceſſione ſatisfacturos. Nec vltrà regis verbis. At ipſe legatum pro amicitia monere, vt ſenatui auctor eſſet obtemperandi regi, & bello abſtinendi, cuius ingruentem molem non eſſent diu toleraturi: viderent, ne vnius, & eius remotiſſimæ inſulæ cupiditate in ancipitem caſum ſuarum rerum ſe darent. M. Antonio indictum bellum magis, quàm indicatum fuit. cui cùm ne ſpes quidem rem præcipitatam conſtitutamque reuocandi vlla eſſet, moram modò quærebat, quò Patres ſpatium ornandæ claſſis, copias in inſulam traijciendi, & firmandi præſidijs

Intercipiũtur à Turcis literæ ad Senatum miſſæ.

Mahometes Venetũ legatũ de Cypro tradenda alloquitur.

Dalmatiæ, atque Illyrici fines haberent. Itaque Mahometem rogat, vt recentis fœderis, & Dei fœderum vindicis admonens, regem abducere ab iniuſto decreto conetur, ſiquidem nullo reip. merito hoſtilem derepente animum ſuſcepiſſet. id ſi effeciſſet, ſenſurum, nunquam pati Venetos, ſe à quoquam beneficio ſuperari. Negante Mahomete, niſi tradita Cypro, ſpem aut conditionem pacis vllam fore, M. Antonius haud aliud, quàm temporis dilationem moliens inſtitit petere ab eo, vt, antequam hoſtilia pararentur, legatus Venetias mitteretur, qui regis poſtulata ad ſenatum deferret: ſperare ſe, tanti futurum Patribus iura pacis non abrumpere, vt rationem aliquam quæſituri ſint, qua regis voluntati ſatisfieret. interim edicta ſuſtineret, nequi motus in finibus exiſterent, quibus magis irritarentur vtrinque animi. Vt enim non falſa eſſent, quæ Venetis crimini darentur, nihil certè obijci, quod bello dignum videri poſſit, & quo omnis armis Europa perturbetur. Haud fallebat barbarum Antonius: ſed quia nihil ea res moratura per hiemem apparationem belli erat, & maiori cum dignitate regis ipſa in vrbe, atque ipſi Veneto ſenatui coràm indici bellum putabat, & ipſe à priori ſtudio auertendi in Hiſpaniam eum conatum, locum componendæ pacis quærebat: nec deſperabat, Venetos, vt à ſe tantam belli tempeſtatem auerterent, pacem conceſſione Cypri redempturos; facturum, quod poſtularet de legato, reſpondit. Ad id munus eundem Abrahimum, qui paucis antè annis renouando fœderi Venetijs fuerat, delegit. Erat is genere Polonus perhoneſtà Straſſorum familia in Ruſſia natus, qui adoleſcens à Turcis captus, Chriſtianæ fidei deſertor, profanis Turcarum ritibus ſeſe addixerat: exinde adſcriptus in regis mi-

M. Antonij conſilia ad apparationē belli protrahēdam.

Abrahimus Venetias legatus deſtinatur.

liriam; Chiauſiusque effectus, induſtria, ac nobilium linguarum intelligentia barbaris magno obeundis legationibus vſui fuit. Huic M. Antonius Aloyſium Bonricium reip. ſcribam, ſpectatæ fidei, ac induſtriæ virum, & adoleſcentem filium adiunxit, ſpecie, vt tutius legato Venetos fines ingreſſo iter foret: re uera, vt impuber filius inſtanti ſeruitio eriperetur, & ſenatus de omnibus rebus per Bonricium erudiretur. Abrahimo proficiſcenti Bizantio mandaſſe Mahometes dicitur, vt expoſitis in ſenatu regis mandatis, daret operam per priuatorum colloquia, vt pacis mentio fieret, ſeque ei conciliandæ non defuturum polliceretur. [illegible]

AT Venetijs Patres, cùm crebris eorum literis, quos exploratum Turcarum motus plures dimiſerant, tùm frequentibus magiſtratuum nuncijs, qui Illyrici, ac Dalmatiæ ciuitatibus præerant, non parari modò, ſed iam etiam geri bellum accipiebant, quòd Turcæ auidiſſimum prædæ genus, cognita regis voluntate, quotidianas in agros Venetæ ditionis excurſiones faciebant, & aliquot direptis, ac incenſis pagis, terrore ac tumultu latè omnia impleuerant. Miſſa continuò ſunt præſidia, quæ fines tuerentur, & audaciam barbarorum cohiberent: & Iulium Sauornianum Iaderam permunitum, ac frequens in illis locis oppidum, cui ob egregiam multarum rerum opportunitatem præcipuè Turcæ inſidiabantur, proficiſci, & curare in Dalmatia res iuſſerunt: & Hieronymum Martinengum è Brixianis principibus veterem reip. præfectum, qui ſuam ad eam rem operam ſenatui obtulerat, cum tribus millibus delectorum militum, exiguo aduerſus tantam molem belli numero, nec tamen leue momentum ſuſtinendis rebus, ſi incolumes

Iulius Sauornianus in Dalmatiam mittitur.

Hieronymus Martinengus in Cyprum [mittitur].

perueniſſent, in Cyprum dimiſerunt, attributis ei quatuor onerarijs nauibus. Monuerat Sauornianus Patres, ne minus octo millibus peditum Italorum in Cyprum mitterent, paucioribus ægrè defendi poſſe oſtendens. Sed Hieronymo, cui cum Iulio honoris, ac loci occulta æmulatio intercedebat, cupiditate nauandæ operæ prouecto, audere ſe illa copia Famaguſtam tueri, affirmanti, Veneti collaudato eius ſtudio, aſſenſi ſunt. quippe remp. ſæpe priuatorum animis adminiſtrant; & vt familiari rei, ita publicis ſumptibus parcere pro diſciplina habent. quam imbecillitatem magno reip. ſtetiſſe ſerò, & nonniſi poſt acceptam cladem ſenſerunt, qui tribus millibus hominum repelli poſſe vim potentiſſimi hoſtis exiſtimarint. Referentibus inde magiſtratibus ad ſenatum de bello, deque eius gerendi ratione, quidam, præſidijs per oppida diſpoſitis, excipiendos hoſtium impetus, & ſua ex tuto defendenda eſſe, cenſebant: aliis, deducta claſſe, quantam maximam conficere ciuitas poſſet, prælij fortunam, ſi vſus ferret, ſubeundam, videri. Atque hæc accepta ſententia eſt; quæ præterquam quòd ad exiſtimationem ſpecioſior, fructu quoque vtilior habebatur: & addebant animos ſpes ab Hiſpanis oſtentatæ affirmantibus, regem eorum coactis vndique nauibus, magna claſſe ſubſidio Venetis venturum, atque vnà pariter id bellum geſturum: & Pium V. Pont. Max. ab eximia in rem Chriſtianam pietate, ſtudioq. prò certo habebant, reip. non defuturum. Igitur præcipua ſenatus cura in claſſem intendi, quando ea parte virium gerenda res publica eſſet. Hieronymum Zanium præfectum creant. Is eſt apud Venetos eorum, qui extra vrbem geruntur, ſine prouocatione, ac ſupremi imperij magiſtratus. nauarchos item ſingularum nauium ex media nobili-

Martinẽgus Sauorniano æmulus.

Duplex de ratione gerẽdi belli ſentẽtia.

Hieronymus Zanius Claſſi præficitur.

tate, acerrimum quemque iuuenum legunt, remiges ciuitatibus imperant, & ad vrbem cogunt: longas naues nonaginta nouas decernunt, naualibusque deductas ornant: duas & viginti ædificari in Creta iubent, præter triginta ſex, quas defendendis maritimis oris, pyratisque conſectandis inſtructas, egregièque exercitatas habebant. His addunt tectas & conſtratas duodecim: Galeatias ab magnitudine vocant, quæ remis impulſæ veliſque, firmitudine ac robore, & numero & vi tormentorum, inſtar magnarum arcium, mare perrumpunt, inuictæ aduerſus omnem vim tempeſtatis. Naues præterea onerarias viginti armant, inſtructaſque commeatibus & militibus, adiungunt alijs. Acceſſere his biremes, & minora nauigia aliquot, quibus Hermolaum Theupolum, virum impigrum præfecerunt. In huius apparatu claſſis, quo & celeritate, & copijs expectationem de ſe ita ſuperarunt, vt omnium mentes tantarum admiratione opum perſtrinxerint, cùm magna frumentariæ rei difficultate afficerentur, Pij liberali ſtudio adiuti ſunt, facta poteſtate, è Piceno frumenta Venetias exportandi: pari quoque animo eos pecunia iuuit, permiſſo, vt centum millia nummum aureorum ex annuis ſacerdotum prouentibus exigerent.

Claſſis Venetæ magnitudo.

Galeatiæ quid ſint.

Hermolaus Theupolus.

INTER hæc literæ Patribus à Bonricio ſcriba redduntur, quibus de legati aduentu, de regis poſtulatis, de M. Antonij conſilio, ac de omnibus rebus certiores facti ſunt. Nam Bonricius Conſtantinopoli profectus, cùm commiſſum in finibus bellum intellexiſſet, veritus, ne à Mahometis filio, qui in Epiro rebus præerat, & paulo antè miſſos ad ſe cum muneribus à Catari magiſtratu in vincula coniecerat, Abrahimus redire Bizantium cogeretur, perſuaſit ei, vt

de ſuis aliquem Raguſium præmitteret, cui literas ipſe Venetias inde ſubitò mittendas daret, quò obuiam Raguſij nauem longam haberent, qua tutiùs, celeriùsque Venetias deferrentur. Re probata, literas nuncio dedit notis conſcriptas, ne legi ab alijs poſſent, quibus ordine omnia ad ſenatum perſcripſit. Patres collaudata Bonricij diligentia, Franciſcum Tronum cum quinqueremi, cui præerat, Raguſium miſerunt, eique mandarunt, vt Turcarum legatum ad vrbem deueheret, cuſtodiretque, ne liberè, cum quibus vellet, colloqui poſſet. Haud multos poſt dies Venetias legatus applicuit. Patres vrbem ingredi vetuere, ac Trono cum quinqueremi ad gemina caſtella, quibus vrbis aditus ab alto clauditur, opperiri iuſſo, Bonricium acceſſunt, à quo coràm eadem, quæ per literas, edocti; ſequenti die paruo nauigio adduci legatum ad vrbem iubent. Ad portas in vico D. Marci, quà curia cymbis aditur, deſcendit; tantusque populi concurſus, cùm naui egrederetur, fuit, vt area, porticibus, gradibus, quà ad patres aſcenditur, locis omnibus completis, ægre à ſummouentibus turbam via legato facta ſit: hi verò vultus, hi oculi, fremitusque fuere intuentium belli nuncium, vt legatus iram, impetumque impotentis multitudinis, atque ruptores fœderum increpantis extimeſcens, apprehenſa Bonricij dextera ei ſalutem ſuam commendarit. Introductus in ſenatum, paucis habitis verbis, literas principi à rege, ac Mahomete reddidit. In regis literis erat, Euſcochos Chriſtianam gentem, ac Venetorum ſociam aſſiduè incurſare Turcarum fines, & infeſta omnia latrocinijs facere, neque cohiberi, quin incitari à Venetis, atque immitti ſolere: Venetos ipſos inuſitata rabie in Turcas, qui pyraticam facerent,

Franciſcus Tronus legatum Turcam quinquereme Venetias defert.

Venetorum furor in legatum Turcarum.

rent, ferri, eosque etiam captos ac deditos immaniter trucidare: ſed quod vltrà ferri non poſſet, inſulam Cypri, receptaculum Chriſtianorum pyratarum illa maria latè prædantium eſſe factam. Itaque cùm imperio ſuo cuncta circum inſulam parerent, ſibi conſtitutum eſſe, eam pacare nauigationem. Proinde poſtulare, vt, ſi pacem, quam ſecum habuiſſent, reddi ſibi Veneti vellent, quando fœdus ipſi multipliciter violaſſent, Cypro decederent: Euſcochos latrones coërcerent; atque illam ſæuiendi in Turcas acerbitatem remitterent. Hæc ſi obedienter præſtarent, obſequij gratiam ab ſe inituros: ſin per ſuperbiam abnuerent, ſe quidem ea bello repetiturum, àt magno illam contumaciam ijs ſtaturam. Mahometis deinde literæ lectæ, qui in eandem ſententiam, qua Bizantij cum M. Antonio egerat, ſenatum ad gerendum regi morem hortabatur. Antequam veniret legatus, decretum erat, quid reſponderetur. Principem ex ſcripto reſpondere placuit: Venetos vel iniurijs prouocatos pacem tamen cum fide ſemper coluiſſe: Euſcochos, gentem inopem & latrocinijs lætantem, prædas pariter à Turcis, Chriſtianiſq. agere: Turcas pyratas à præfectis Venetis iure belli cædi, idque per fœdus licere: Cyprum Venetos iure tenere; ac non modò perfugium in ea pyratis nullum eſſe, ſed quatuor longas naues dedita opera ijs prohibendis in inſula haberi. Cæterùm, ſi per hæc commenta abrumpere pacem placeret, vltorem falſæ fidei futurum Deum: Venetis, quod iure poſſiderent, etiam armis tueri animum eſſe. Hoc dato reſponſo, reduci eodem nauigio ad quinqueremem, & protinus extra fines reip. reportari legatum iuſſerunt, nullo publicè officio, aut munere cultum. Vna M. Antonij vxor, quò ea humanitas Bi-

Veneti ex ſcripto legato Turcarum reſpondēt.

zantij

zantij viro rependeretur, cum cibarijs varij generis, Cretico vino, & ſerica veſte, permittentibus Patribus, donauit. Atque ita legatus nullum locum agendi de pace nactus Conſtantinopolim redijt: tantus ciuitatem non, vt plerumque antea, terror ex ea denunciatione, ſed ardor ad bellum inceſſerat. Nam iuuentus ira, atque indignatione tam impudentis perfidiæ incitabatur: & regem diffluentem luxu, ignauum, inertem, etſi præpotentem, deſpiciebant: &, niſi Chriſtiana res iuſta Dei ira vrgeretur, etiam cauſæ fidebant. Seniores, etſi remp. in tam diſparem cum validiſſimo rege dimicationem dare verebantur, tamen metus, ne, ſi talibus poſtulatis ſemel ceſſiſſent, veluti nudata formidine animi, ſingulis deinceps annis aliquid deperdendum foret, atque inde hoſtibus pariter amicisque contemptui eſſent, præcipites in bellum egit, omni reiecta pacis mentione. Quod decretum plus animi, quàm conſilij quidam tum habuiſſe arguebant, cùm agendo de compoſitione ſuſtineri, aut certè tardari hoſtium impetus, atque interea vires colligi, firmari præſidijs Cyprus, & cuncta ad bellum præparari poſſe viderentur, ac fortaſſe largitione & pecunia, quam ſæpe armis efficaciorem apud venales atque inhiantes muneribus barbaros experti eſſent, ea omnis tempeſtas declinari. ſed cunctis inſolita alacritate ardentibus, certatim pro ſe quiſque plebs, nobilitasque operam, ac ſtudium reip. profiteri. Et par ad continentis ciuitates ardor permanauit: publicè ab ſingulis legationes ad vrbem venere pecuniam, milites, commeatus, pro ſuæ quæque ciuitatis facultatibus deferentes. Publicam ciuitatum pietatem æmulabatur priuatorum ſtudium. vt cuique opes, aut animi, confluere in vrbem, nomen, vt in naues imponeren-

Venetæ iuuẽtutis ad bellũ ardor.

Prudenter ne reiecta ſit à Venetis mentio pacis?

tur,

tur, dare,& plerique ſua pecunia militaturi . in quibus erant nobiliſſimi ſociorum tanta conſcendendi contentione, vt Patres, ne nudarentur omni ſimul iuuẽtute ciuitates, collaudato eorum ſtudio, lõgè plurimos remiſerint domum. Haud minus in reliquis Italiæ populis alacritatis inuentum, ſicubi tympani ſonitus auditus eſſet, certamen illicò nomina profitentium. Nam diuturnæ pacis ocio feſſi, quibus aut ingenium ferox, aut aliqua belli conſuetudo, religione inſuper aduerſus barbaros incitabantur. Hinc magnus tota Italia, atque ab externis quoque populis voluntariorum numerus Venetias concurrerat. His impoſitis, & edicto, quam ad diem omnes vndique naues Corcyram conuenirent, Zanius præfectus Venetijs ſoluit, atquè Iaderam venit, vt ibi potiſſimum, dum omnes milites cogerentur, expectaret, atque interea Dalmatiæ rebus proſpiceret.

Italorum omniũ ad bellũ cõtra Turcas ſuſcipiendum alacritas

HIS rebus intenta ciuitate, Lauredani Principis obitus intercedit. longæuus nonaginta annorum ſenex ſenatu egreſſus, repentina morte exſtinctus eſt. Ne ambitione, & occupationibus comitiorum reſp., gubernatoribus in tantis fluctibus rerum, quibus quotidie conſulendum erat, ſpoliaretur; ſanxit ſenatus, vt nequis eorum, qui magiſtratum eum gereret, cui in collegium veniendi ius eſſet, in quadraginta viros legi poſſet, qui incluſi curiæ conclauibus principem ſuis ſuffragijs creant. Et vir animo, & conſilio par difficillimo reip: tempori, populi ſermonibus poſtulabatur: intermittique oportere inductam tranquillitate reip. conſuetudinem, ineptiſſimum quemque, & regi quàm regere commodiorem eligendi. In competitoribus ſummi honoris eminebat Aloyſius Mocenicus magnis, validisque affinitatibus, & prærogatiua ordinis nixus (erat enim ædis D. Marci pro-

Lauredanus Venetiarum Dux repẽte moritur.

curator, quo ex collegio proximus eſt ad principatum gradus) & ipſe omnibus honoribus, ac reip. muneribus haud aduerſa fama functus, & ab elato ingenio haud expers priſcæ ſeueritatis futurus putabatur. Hunc incluſi ſenatores paucis diebus, haud multùm variantibus ſuffragijs, principem renunciarunt. Qui confirmandæ ſpei de ſe, quo die illatus in curiam principatum cepit, apta oratione ciuibus egit gratias, quòd id de ſe iudicium feciſſent, pollicitus adnixurum, vt nunquam delati honoris remp. pœniteret.

Aloyſius Mocenicus demortuo Duci ſufficitur.

CORCYRAM Sebaſtianus Venerius extraordinario imperio obtinebat, ſenex exacta ætate, ſed iuuenilis audaciæ. Huic viro ocij neſcio nuntij clàm miſſi ab Epirotis, qui Chimerium montem accolunt, venere ſignificantes, paratam gentem à Turcis diſcedere, & tranſire in reip. partes, ſi in fidem receptam qui à barbaris defenderent, mitterentur. Inprimis poſtulabant, vt ad oppugnandum Turcarum oppidum, cui Sopoto eſt nomen, iretur: quo in poteſtatem redacto, maxima pars Epiri Venetos eſſet ſequutura. Rem arripit Venerius, eaque per Manolium Marmorium, qui Corcyræ Græcis equitibus præerat, & magnam apud Epirotas auctoritatem habebat, ſæpe agitata, fidei obſides accipit primores gentis: & comparatis, quæ oppugnationi vſui eſſent, milites mille quingentos, equites ſeptuaginta in continentem traiecit. quibus ſine impedimento expoſitis, oppidum adoritur opere, & magis natura munitum, edito in monte ſcopuloſis rupibus impoſitum; vnde tormentis ex inferiori loco in arduum iacientibus fruſtra appetebatur. tum ad inferendum terrorem, ſi excluſi ſpe auxiliorum Turcæ de deditione cogitarent, Manolium ad occupandos in ſummo montis dorſo aditus, quà

Epirotæ defectionẽ à Turcis pollicentur.

Sopotum oppidũ.

ab

ab interioribus Epiri aditur oppidum, cum valida Epirotarum manu miſit, qui pulſo haud ſine certamine hoſtium præſidio, & fugientes vſque ad portas inſequutus locum tenuit. & Turcæ, dum noſtros bombardis è mœnibus petunt, & rem parum ſcienter adminiſtrant, effractis duobus tormentis, quæ æquo plus infarſerant, tormentarium puluerem omnem incendunt. Hæc res animos fregere, maiores noſtrorum copias, & totius Epiri defectionem ſuſpicantium: nec tamen vlla de deditione vox ab ijs miſſa; incertum, deſperatione veniæ, an peruicacia. Venerius inſtandum timori, & admouendam vim mœnibus ratus, oppugnationem in diem ſequentem edici, ſpeciemque præberi magnæ apparationis iubet. Turcæ perciti metu, noctu ſe ex oppido eijciunt, præter admodum paucos, quibus decora mors ignominioſa fuga potior fuit: atque hi ab inferentibus ſe ſummo mane noſtris militibus pugnando interfecti ſunt: reliquos Epirotæ per nota viarum conſectati, omnes ceperunt. Venerius præſidio relicto, quod oppidum tueretur, ei Manolium præfecit. Ipſe Corcyram re proſperè geſta redijt. Eò Zanius quoque adoleſcente iam æſtate venerat, diu Iaderæ expectando moratus, dum omnes vndique naues Corcyram conuenirent, vbi auxiliares Pij, & Philippi claſſes opperiri decreuerat: quibus adiunctis tendere in Cyprum, ac prælio decertare cum hoſtibus, mandatum à ſenatu acceperat. Fuit tum multorum opinio, ſi Zanius cum ea claſſe, adiuncto Columna, nec expectatis Hiſpanis, in Cyprum perrexiſſet, liberari periculo inſulam potuiſſe. Sed dum Auriam ſeu ſtudio, ſeu neceſſariarum rerum apparatu morantem expectat, occaſio è manibus elapſa abijt. Eodem quoque tempore M. Quirinus cum Cretenſibus

Sopotum oppugnatur.

Idē deſertū a Turcis, capitur.

M. Quirinus Caſtellũ Turcarũ expugnat, prædam abducit.

De Margaritio oppido tentando conſiliũ.

quinque & viginti nauibus ad Zanium venit, caſtello in Peloponneſo ex itinere de Turcis capto, ac viginti æneis tormentis inde abductis. Zanius, ne tempus Corcyræ ocioſè tereret, Sfortiam Pallauicinum terreſtrium copiarum ducem cum quadraginta nauibus ad tentandum Margaritium Epiri oppidum, quod propter opportunitatem firmo Turcarum præſidio tenebatur, miſit. Is quinque millibus militum in terram expoſitis cùm ad oppidum acceſſiſſet, ſiue equitatum Turcarum veritus, quem ex omnibus locis accurſurum celeriter ad opem ferendam rebatur, ſiue difficultate negocij deterritus, cauſatus longiùs, quàm putarat, à mari oppidum abeſſe, nec auſus in conſpectum ſe dare hoſtium, ad naues redijt, Zaniumque conſuluit, quid ſe facere iuberet. Qui cùm ei permiſiſſet, Pallauicinus adhibitis Venetis nauarchis conſilium habuit, & cunctis cupientibus ne res omitteretur, quòd magni referret, proſperis initijs incipi bellum; ab his petijt, vt tormenta mœnibus verberandis ad oppidum adducenda ipſi ſuſciperent, quod maximè arduum fore videbatur: id verò præſtaturos ſe Veneti cùm reſpondiſſent, Pallauicinus plus periculi in ea expeditione, quàm ſpei eſſe oſtendens, impoſitas copias Corcyram reduxit. Nec deinde rei quicquam, dum claſſis Corcyræ fuit, eſt geſtum: quanquam Pallauicinus recuperandæ exiſtimationi (ſenſerat enim, minimè experientis ducis opinionem ſe ſubijſſe) redire cum maioribus copijs ad oppugnandum Margaritium fruſtra tentarit. Cùm ita per inertiam ducum exercitus magnam æſtatis partem ad Corcyram torpentes ocio ſederent, remigium primò, mox & miles morbis tentari eſt cæptus. Pluribus quotidie intereuntibus, & manante in dies latiùs contagione, ratus Zanius, ſalubriorem in

labore

labore & itinere exercitum fore, Corcyra cum tota claſſe profectus Cretam petijt. At ſeu Commeatus parum prouiſi (nautici enim panis bis cocti neque copiam fuiſſe, & ipſum atrum & vetuſtate carioſum, querebantur) ſeu maris & nauigandi inſolentia, ſiue vtrumque tabem corporibus inuexit, totamque funeribus claſſem funeſtauit, multęque pariter remige, nautis, milite nudatæ penitus naues ſunt; quæ reſtitutæ, veluti noua materia graſſandi morbo præbita, eadem ſæuiente tabe, de integro vaſtabantur. Iacebant morbo, nauſea, iactatione, & inde vitæ tædio proſtrati: iuxtà miles, nautæ, remiges occidebant, proijciebanturque nondum exanimes nauibus, ab ſimilem exitum expectantibus: & mœror & mors omnium mentibus obuerſabatur. Vbi ventum in Cretam, & loci grauitas, & æſtus magnitudo auxit malum. abſumpta ſupra viginti millia hominum peſtilentia dicuntur. Quæ res Zanium in magnam difficultatem coniecit ſupplendi quos morbus abſtulerat; vt coactis Cretenſibus remiges ac milites dare, abductiſq. Zacyntho, & Cephalenia quot conficere inſulæ potuerunt, ægrè eam ſuperauerit: quanquam Quirinus, & Canalis legati, eius rei cauſa in hoſtium inſulas dimiſſi magnum numerum captiuorum, qui ſubitò remis admoti ſunt, abduxiſſent.

Lues graſſatur in claſſe.

Eadē augetur in Creta.

VENETI ſtatim ab initio belli auxilia petitum ad Pium V. Pont. Max. miſerant. qui quanquam alienior ab ijs ad id tempus viſus fuerat, quòd & Pontificum ius vſurpare ſæpe eos, & hæreticos peſtiferum genus hominum parum ſeuerè, atque interdum oſcitanter vindicare ſolere, vir Chriſtianę pietatis vindex acerrimus, opinabatur; tamen Turcici belli nuncio haud ſecus, quàm ſummum

Pius V. primò alienus à Venetis

religionis antiſtitem, & parentem Chriſtianæ reip. decebat, commotus Venetos ſuſcepit: aduocatoque ea de re Cardinalium concilio, & participes eius nuncij habuit, & de auxilijs mittendis conſuluit. Erat tum in eo ordine atque concilio Antonius Perenotus cognomento Granuellanus, cuius pater ferrario fabro apud Veſontionem in Sequanis natus, ſua induſtria, & Caroli Cæſaris gratia ad ingentes opes in Belgis peruenerat, filiosque produxerat. Et Antonius cùm copijs ac diuitijs, quas maximas & à patre acceptas, & à ſe partas poſſidebat, tùm Philippi magnitudine, apud quem auctoritate pollere credebatur, tum verò etiam ingenij opinione, & multarum linguarum ſcientia, & magnarum rerum vſu, quibus propè à paruulo exercitus fuerat; magnopere eminebat, magnoq. in honore atque exiſtimatione erat. Quibus ex rebus animus natura ferox & inſolens, & imperijs aſſuetus tantos ſibi ſumpſerat ſpiritus, vt ſæpe immodicè atque impotenter efferri ſoleret. Patribus igitur ad vnum omnibus, non deſerendos grauiſſimo eorum tempore Venetos cenſentibus, ſolus ignauiæ ac formidinis incuſatos, multis ac peracribus verbis eos, vt indignos, quibus quicquam ferretur opis, eſt inſectatus, quam non ad bellum enixè, ac ſtrenuè gerendum, ſed, quod ſuperioribus annis feciſſent, cùm Carolum ipſum Quintum armorum ſocium haberent, ad pacis æquiores conditiones ab hoſte impetrandas petere inſimulauit: proindeq. debere Pontificem, dixit, ſinere, priùs id procedere paulum, & cruentari bellum, quàm ei ſe immiſcere. tum enim veram opem imploraturos, cùm aliqua affecti clade, & incumbentem exitio eorum hoſtem, & ſe ſine alieno præſidio impares libertati ſuæ tuendæ eſſe ſenſiſſent:

Grãuellani Card. genus & mores.

Granuellani de non mittendis auxilijs Venetis ſententia.

quando-

quandoquidem fieret iuſto Dei immortalis iudicio, vt qui antè aliorum pericula ex tuto ſemper ſpectare voluiſſent, aliquando aduerſarum rerum ſocios quærere, atque implorare ipſi cogerentur. Muſſantibus ad hæc cæteris Venetis Cardinalibus Cornelio, Amulio, Delphino, Philippi & Granuellani reſpectu; non tacitus tulit tam arroganter Italiæ periculis, & patriæ ſuæ malis inſultantem hominem Belgam Ioannes Franciſcus Commendonus Cardinalis, ſtudioſus vir boni æquique, & quem nec gratia nec metus auocaret ab officio, aut deterreret. Is ſententiam Granuellani graui oratione refutauit: & commemoratis Venetorum reip. meritis cùm vniuersè in rem Chriſtianam, tùm propriè in Pontifices Max. dubijs eorum temporibus, auxilia ijs nec neganda cenſuit eſſe, nec differenda, ſed ipſo ſtatim initio iuuandos atque fulciendos, eorumq. ex recenti contumelia violati ab hoſte fœderis, iram ardoremque ad capeſſendum nauiter bellum accendendum, non debilitandum frangendumque eſſe: quod fieri neceſſe foret, ſi deſeri ſe illi à Pontifice Max. Chriſtianisque regibus intellexiſſent. Quod enim id conſilium eſſet, vt priùs bellum ſanguine imbueretur, expectare, ſe quidem non videre. nam qui integrorum, ac recentium conſtantiam in ſuſpicione poneret, quid eſſe, cur perculſis aduerſa aliqua re, & belli incommoda perpeſſis magis fideret, aut firmiores & audaciores ad reliqua fore ſperaret? Sed nec Venetos dignitati ſuæ, ac reip. defuturos, ſi aduerſus immanes, & non ipſis ſolùm graues, ſed Chriſtianis omnibus terribiles Turcarum vires, Pontificis Max. ac reliquorum ſtudio atque ope regum ſubleuarentur. & qui in Italia nati Italiæ incolumitati conſultum cuperent, haud magis Ve-

Commendoni Cardinalis virtus.

Idem pro Venetis Granuellano reſpondet.

netis id bellum à barbaris, quàm ſibi & toti Italiæ illatum eſſe, exiſtimare debere: nec porrò minori contentione, aut animo ad illud propulſandum conſurgere. Poſtremò mirari ſe, dixit, ſuperioris belli, pacisque cum Turcis initæ mentio nem fieri, cùm ita ſe Veneti tractatos à ſocijs eo bello quererentur, vt optandum eſſe videretur, vt eius commemoratione & alij abſtinerent, & ipſos perpetua Venetos obliuio caperet. His magna approbatione à Commendono dictis, conſenſu decernitur auxilium.

ACCEPTOS à Venetis duodecim longarum nauium alueos, atque Anconam deductos Pius ornauit, adiectisque ijs Melitenſium tribus, & Sabaudienſibus quatuor item longis nauibus, omnibus M. Antonium Columnam principem tum Romanæ nobilitatis, ac ſpectatæ virtutis & conſilij virum præfecit. Is ab eximia facundia ita ſe per obſequia in Pij gratiam inſinuauerat, tantamque opinionem induſtriæ ac ſcientiæ rei bellicæ diſſerendo apud talium rudem fecerat, vt, eum honorem appetentibus multis Italiæ principibus, Columnam omnibus prælatum imperatorem eius belli declarauerit. Qui expectationi de ſe Pij, & pacis & belli artibus pleniſſimè reſpondens meruit, vt ei quotidie charior, acceptiorque euaderet, eiusque dignitatem, cui maximè Hiſpani aduerſabantur, multisque artibus labefactare ſtudebant, non ſolùm defenderet Pius, ſed etiam longè augeret. Renuerant initio Veneti Columnam ducem, quòd eum haud dubiè partium Philippi eſſe, &, quia in regno eius aliquot oppida poſſideret, obnoxium imperio fore Hiſpanorum dicerent. Sed Columna ipſe ita dexterè ſe Venetis, ſuamque fidem probauit, vt breui publicè priuatimque acceptus ciuitati,

M. Ant. Columna Pontificiæ Claſſis Præfectus.

Columna Pontifici Pio percarus.

Magnam gratiam init apud Venetos

vnus maximè ab ijs imperator eius belli expeteretur. Eodem quoque tempore Pius Aloyſium Torrium, vnum è ſeptem quæſtoribus vrbanis, in Hiſpaniam miſit ad regem, ſimul oratum, vt ſuam claſſem ſubſidio Venetis mitteret, ſimul de ſocietate cum ijs ineunda, quam antea ſæpe rex concupiuerat, admonitum: non enim ſolùm operam & auctoritatem ſuam in eam rem interpoſiturum, ſed ſe quoque ijs belli ſocium acceſſurum. Idem Romæ cum Michaele Soriano Venetorum legato egit. Rex, dilato de fœdere reſponſo, claſſem quinquaginta nauium miſſurum, promiſit: eas primo quoque tempore conuenire in Siciliam, & duce, quem Pius delegiſſet, parere iuſſurum. Hæ claſſes, vt opinio multorum fuit, ſtudio cunctantibus Hiſpanis, antequam in Cretam, vt Zanio coniungerentur, venirent, æſtas exacta eſt, tempusque omiſſum laborantibus Cyprijs ſubueniendi: nam & Columna regias naues diu expectauit, & Ioannes Andreas Auria, qui eas ducebat, Iulio menſe Meſſanam cùm veniſſet, negauit, poſſe ſe inde iniuſſu regis diſcedere, & Columnam ipſum reuocare ab ea profectione conatus eſt: Qui cùm ea de re Pium feciſſet certiorem, miſſi continuò ab eo ſumma celeritate ſunt in Hiſpaniam, qui regem promiſſi admonerent. Sed illi vix ante Idus Auguſti redire potuerunt. Profecti igitur Columna, & Auria poſt idus Cretam duodecimo die tenuere. Zanius vbi ſociæ claſſes aduenere, quanquam à ſenatu, adiunctis auxilijs, extemplo ad eripiendam periculo Cyprum vadere, &, ſi ſe Turcica claſſis obiecisſet, prælio decertare iuſſus erat, tamen, quia autumnus ſuberat, neque ei debilitata morbis claſſe ſatis animi ad tantum rerum diſcrimen erat, conſilium ſuorum de profectione habuit. Erant ei à ſenatu legati ex ciuitatis inſtituto, ne nimia

Aloyſius Torrius in Hiſpaniam à Pio mittitur.

potestas

Antonius Canalis, Iacobus Celſus Zanio Conſiliarij.

poteſtas vni committatur, Antonius Canalis, & Iacobus Celſus. Hi ſicut imperio præfecti ſubijciuntur, ita ſtatuere ille de ſumma rerum, niſi alter eorum eius ſententiæ aſſentiatur, nihil poteſt. His, quia pari iure (quod nemini, qui ciuis Venetus non eſſet, ante eum contigit) Sfortia Pallauicinus acceſſerat, placuit vt, ſi diuiſæ inter binos ſententiæ forent, ei ſtaretur, in qua præfectus ipſe fuiſſet. Quod tum contigit. nam Celſus & Pallauicinus negabant, in Cyprum eundum eſſe; quòd autumnales tempeſtates imminerent, quòd magna pars nauium nouo remigio parum apta, ac ne milite quidem ſatis inſtructa: & vt à claſſe paratiſſimi eſſent; bene gerendæ tamen rei quam ſpem oſtendi? cùm Turcæ, ſeu pugnæ ſeſe offerrent, inſtructas affatim terreſtribus copijs naues in aciem educturi, & multis nauigijs milite completis, cæſis fuſiſque ſuis integros aſſiduè ſummiſſuri eſſent: ſiue detrectare certamen mallent, in propinquos Ciliciæ portus recepti, loco ſe defenſuri, atque inde nullo negocio noſtras naues, quæ diu conſiſtere in illis locis iam non poſſent, prohibituri. Præſtare igitur, ſubſidio inſulæ aliquot onerarias cum militibus & commeatibus mittere, quàm vniuerſa claſſe, qua publica ſalus contineretur, periclitari: poſſe vtiliùs, ne fruſtra tantæ coactæ in vnum vires eſſent, aut Seſtum, Abydumùe ad anguſtias Helleſponti tentari, aut ad Eubœam inſulam appulſa claſſe Chalcidem repentina vi atque impreſſione oppugnari. Si enim Turcæ in obſidione Cypri permanerent, capi Chalcidem ac totam in poteſtatem redigi Eubœam poſſe, quæ haud minoris eſſet, quàm ipſa Cyprus: ſin ad opem ferendam ſuis venirent, & Cyprum dimidia parte periculi leuatum iri, & exæquata tum pugnæ conditione, victoriæ ſpem penes ipſos fore. Hæc Za-

Sfortia Pallauicinus.

Celſi & Pallauicini de non adeunda tùm Cypro ſententia.

nius

nius probabat magis, quàm dicebat. Sed Canalis, niſi præceptum id à ſenatu eſſet, & natura comparatum eſſe, inquit, ſua prius quemque defendere, quàm aliena oppugnatum ire: & ad propulſandum à Cypro bellum miſſos, ſi cunctentur, ſero opem oppreſſis iam eſſe laturos. quid enim tandem onerarijs cum milite mittendis, vt ſecundiſſimis ventis, quod præſtare tamen nemo poſſet, in Famauguſtæ portum incolumes inferrentur, conſecuturi eſſent aliud, quàm vt Famauguſtæ ipſi firmiori præſidio conſuleretur; Nicoſia, in cuius cuſtodia inſulæ totius ſalus vertitur, nihilominus premeretur? At tempus, inſtante autumno, nauigandi in Cyprum atq; ſuccurrendi obſeſſis non eſſe: At quo pacto idem tempus ad longinquiorem in Helleſpontum nauigationem, oppugnationemque vrbium in oculis regis & Conſtantinopolis ſitarum, aut Eubœam inſulam, Chalcidemùe in inſula occupandam, ſupereſſe? vbi non milites modò, ſed tormenta bellica, quod ſine magno molimine non fit, in terram exponenda, & idoneis locanda locis eſſent. in Cyprum Eteſijs ventis, qui tum maximè ſecundi flarent, quarta die peruenturos; & Auſtro, qui flare ineunte autumno ſolet, redituros: Cyprum belli ſedem cauſamque huius eſſe; eam qui aut defenderit, aut ceperit, non qui alia per occaſionem inuaſerit, victoris famam eſſe laturum. Ad id ergo euocatas tanto ſtudio, tanto maris interuallo Pij, & Philippi claſſes, & æſtatem ipſam ceſſando expectatas eſſe, vt tum demum conſultaretur, an Cypro ſuccurrendum ſit, cùm auxilia ea cauſa implorata veniſſent, & vires congrediendi cum hoſtibus eſſent? qui ſi ceſſiſſent, & declinato certamine portubus ſe tenerent ſuis, præterquam quòd Nicoſiç ſubuentum eſſet, num expreſſam timoris confeſſionem parui referre ad famam exiſtimationemq. ſociorum,

Canalis cenſet Cyprum ſtatim adeundã.

ho-

hoſtiumque? Si verò, quod credibilius ſit, in aciē prodirent, communem quidem belli martem fore, ſed ſe ipſos iuſtam victoriæ ſpem ſecum laturos, & Deum immortalem ipſi, & cauſæ fidentibus præſenti numine adfuturum; & ſi non numero nauium, genere certè ſuperiores fore: centum octuaginta naues longas, & duodecim Galeatias, quæ ipſæ iuſtæ claſſis inſtar ſint, in aciem deducturos; cui præterea multæ onerariæ munimento eſſent futuræ: Turcis centum & ſexaginta longas naues, biremes circiter quinquaginta eſſe; reliquum numerum impedimento magis, quàm vſui futurum. poſtremò vinci ſatius eſſe, quàm deſertorum ſociorum infamiam ſubire. quì enim ſuſtineri Chriſtianorum populorum voces & querelæ poſſent, ſi propè in conſpectu tantæ claſſis vaſtari nobilem inſulam ac ſubigi à barbaris patiantur? At contrà, vt cætera aduerſa caderent, ipſam ſenatus fidem in ſocijs tuendis cunctos ad renouandos conatus excitaturam, cùm conſtiterit, eam Veneti ſenatus pietatem eſſe, vt de ſuo imperio periclitari, quàm ſuorum ſaluti deeſse malit. Sibi igitur videri, antiquiſſimum ſenatus iuſsum eſse habendum, eò magis, quòd auctoritas conſentanea rationi ne excuſandi quidem locum relinquat. Zanius ea oratione permotus, ne in ſe vnum omnis inde rei omiſsæ inuidia incumberet, in Canalis ſententiam ijt, ſeque ſenatui obtemperaturum pronunciauit. ſed noua eum diſceptatio excepit, cùm eadem de re ad Columnam ipſe, & Auria conueniſsent; quanquam Columna quidem petenti Zanio ſenatus verbis, vt ad hoſtes liberandamque Cyprum iretur, haud cunctanter eſt aſsenſus, atque eum Pompeius item Columna, & Aluarus Bazanus, qui Neapolitanis triremibus præerat, ſecuti ſunt: ſed Auria acriùs diſserendo quæ à Pallauicino, & Cello dicta

in Venetorum conſilio erant, vehementer contendebat, non eſſe Venetas naues extenuatas & exhauſtas morbis, obijciendas inſtructiſſimæ omnibus rebus hoſtium claſſi: & de Columna querebatur, quòd Venetis per ambitionem gratificando, regis claſſem in certum diſcrimen conijceret. Sed cùm Columna, vtiliùs, non ſolùm honeſtiùs regem eam claſſem in prælio amiſſurum, quam tantæ publicæ cauſæ atque omnium gentium expectationi defuturum, diceret, nec attinuiſſe, eos in Cretam vſque tantum viæ marisque procedere, excitata per Chriſtianos populos ingenti eius auxilij fama, ſi ad aliud nihil, quàm obuiam nuncijs cladium, quæ Cyprios manerent, niſi ipſi ſubueniſſent, venturi erant, ad augendam Turcarum victoriam, ſegnitie ac detrectatione ſua (neque enim minus Turcis glorioſum fore, ceſſiſſe retrò Chriſtianas claſſes non auſas hoſtem aſpicere, quàm Venetos paucis diebus Cypro expuliſſe) cumque inde oſtenderet, quibus auxilium laturi veniſſent, eorum iudicium eſſe debere, quò potiſſimùm eo vterentur, præſertim qui non ſpectatores, ſed ſocij ac principes eius periculi, quod proponerent, eſſent futuri: & adijceret poſtremò, hanc eſſe Pij voluntatem, diſertèque ſibi ab eo præceptum, vt ad hoſtes vaderet & rem prælio decernendam daret, ſibique ſtare, nihil ex eo, quod Pius iuſſiſſet, & ex fide ſua & dignitate Chriſtiani nominis eſſet, mutare; Auria, ne pertinaciùs negando aut timoris, aut malignitatis ſuſpicionem incurreret, reliquorum tandem non tam auctoritati, quàm conſenſui ceſſit. quanquam eam ipſam gratiam mox corrupit, breuius ſibi ad manendum tempus finiendo, quàm res poſtulare videbatur. Cùm enim tempus extractum deliberando eſſet ad Idus Septembris, Calendis ſe Octobris, vbicunque gentium eſſent, diſceſſurum

Auria à Canali diſſentit.

ab ijs, quod præmonitos vellet, denunciauit. Et cùm magnopere optarent, vt ſingulæ tam Hiſpanæ, quàm Venetæ, ac Pontificiæ naues aliæ alijs interiectæ mixtim, non ſeparatim in acie locarentur, quò partitus ex æquo inter omnes labor & periculum eſſet, & æmulatio virtutis vbique accenderet animos; negauit ſe aliter in pugnam deſcenſurum, quàm vt ſua cum claſſe dexterum cornu teneret. Id verò Venetis non moleſtum modò, ſed etiam ſuſpectum fuit: quærere altum, vt, cùm vellet, cedere acie & euadere ſine vulnere poſset, opinantibus. Erat Auria non ſolùm Genuenſis ciuitate quamuis longè tum infra Venetorum magnitudinem delapſa, tamen memoria veteris æmulationis & mutuarum cladium aduerſa Venetæ potentiæ, ſed domeſtico etiam odio inuiſus inſenſusque Venetis, quippe Andreæ nepos illius, quo duce queruntur Veneti malè rem geſtam ad Ambraciam anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſexto, & vitatam de induſtria pugnam eſse, cùm & non dubiam victoriam, & incluſam Ambraciæ ſinu hoſtium claſſem tenerent. Sed & Venetos hæc diſſimulare tempus tum cogebat, & pòſt ab Auria facilè contemnebantur eorum querelæ: quin eis culpæ vertebat, quòd cùm tanta eorum res ageretur, tantumque apparatum nauium oſtentaſsent, eas inanes militibus, à remigibus & ab omnibus rebus imparatas haberent. Nam id quoque poſtulauit, poſtquam ę Candia (quæ caput Cretæ nunc eſt, vnde nouum inſulę inditum nomen) Sitiam venere, vt ſingulæ naues recenſerentur, ipſe Venetas, Veneti Hiſpanas inſpicerent. Qua luſtratione, cùm ipſe egreſsus portu in alto conſtitiſset, & ſcaphas in naues recipi ex diſciplina iuſſiſset, ne ex vna in aliam nauim tranſmitti clàm milites poſsent, Venetos aiebat ſuas

Auria eur non fiderent Venetis.

Candia Vrbs toti inſulę nomē fecit.

in portu

in portu puppibus terræ applicatis oſtendiſſe, ac ne ita quidem occultare potuiſſe, quin omnes intelligerent, mancas ac debiles eſſe. His rebus contentionibusque vndeuiginti diebus conſumptis, tandem duabus triremibus ad explorandum præmiſſis, ad XIII. Cal. Oct. Sitia ſoluerunt. At ne iter quidem ſine offenſione fuit. cùm enim ex nautico more ſola imperatoria nauis noctu lumen in ſumma puppi elatum, quod cæteræ naues ſequantur, geſtare ſoleat, & Venetus præfectus, honoris Columnæ cauſa, ſine ea luce nauigaret; Auria, quò Columnæ æquari videretur, idem in ſua naui per noctem lumen ardere voluit. Quod etſi non arrogantia fieri ab ſe, ſed metu tempeſtatum, vt ſuæ claſſis naues, vbi earum dux eſſet, non ignorarent, dictitabat; tamen Columnæ animum tam contumax dignitatis ſuæ contemptio incredibiliter vrebat: quanquam eam iniuriam inſigni moderatione rei publicæ condonare ſe, Venetis rem accuſantibus, reſpondebat.

FINIS LIBRI PRIMI.

ANTONII MARIAE GRATIANI
A BVRGO S. SEPVLCHRI.
DE BELLO CYPRIO
LIBER SECVNDVS.

AT apud Cyprios ad primos belli nuncios cùm ingens pauor & trepidatio, tùm varius pto cuiuſque generis ſtudijs animorum habitus: agreſtes, vt quique grauiori ſeruitute premebantur, paſſim lætari, & cuiuſcunque, dum nouæ, fortunæ ſpem fouere. His enim Cyprij pro ſeruis vtebantur, & acerbè crudeliterque habebant. quem illi dominatum ita non abiecto animo ferebant, vt ad eum excutiendum ſæpe cum Turcis prodendæ inſulæ conſilia miſcuerint. Et peregiſſent aliquando facinus, ſi validum auctorem inueniſſent: qui vſque eò illis defuit, vt proximis ſuperioribus annis didaſcalum quendam infimæ ſortis hominem ſecuti, eum regem facturi viderentur, niſi, antequam cum Turcis, in quorum ſe clientelam ille dedebat, tranſigeret, detecta coniuratione eum magiſtratus Venetus ſupplicio ſubitò affeciſſet. Verùm nobilitas, vt pro

Agreſtes Cyprij proditionem aliquando meditati.

ſalu-

ſalute patriç & captura haud ſegniter arma, & ſtrenuam operam reip. nauatura videretur: tamen, cùm nullum eſſet in inſula imperium, cui reliqui magiſtratus parerent, præfectorum diſſidio & æmulatione nihil pro præſenti tempore adminiſtratum eſt. Primis ineuntis anni diebus, qui annus fuit nati Chriſti CIↃ.IↃ.LXX. de Turcarum deque belli denunciatione literæ Bizantio miſſæ à M. Antonio Legato in inſulam perlatæ ſunt. Præerant tum, Nicoſiæ Nicolaus Dandulus prætor, qui Laurentio Bembo legato incommodiſſimo tempore reip. morte ſubtracto, ſine vlla ſenatus auctoritate tranſlato eius in ſe munere, imperium conceſſo maius vſurpauerat, homo arrogantia inſigni, nec vllo vſu earum rerum, in quarum procurationem inuaſerat; Famaguſtæ Laurentius Theupulus, & M. Antonius Bragadenus: Theupulus iuriſdictioni, Bragadenus cuſtodiæ vrbis, partitis muneribus intendebant. Militibus præerat Aſtor Balionus, vir gnarus militiæ, & quem nec hoſtium fama terruiſſet, nec ei, ſi obſequium & vires ad reſiſtendum habuiſſet, regendi animus aut artes deerant. Acceptis M. Antonij literis, conſultatur Nicoſiæ, quid facto opus ſit: adhibitiſque principibus ciuitatis, ijs primùm imperatur, vt ex agris frumenta in vrbem comportanda curarent: idque eſt ſine mora adminiſtratum. At in perficiendis munitionibus & firmandis mœnium propugnaculis, quæ prima cogitatio inceſſit, Dandulo, ad quem ea cura redierat, neque vſus ſatis neque conſilij fuit. Nam, cùm decretum eſſet, vt partes ex Sauorniani inſtituto ijſdem, à quibus dictæ erant, principibus diſtribuerentur, quò negocium certatim atque eò ſtudioſiùs omnibus ſimul locis perficeretur, Dandulus, eò magis diſtrahi publi-

Nicolaus Dãdulus Prætor pro legato Cyprũ adminiſtrât.

Laurentius Theupulus, M. Ant. Bragadenus Famaguſtæ præpoſiti.

Aſtor Balionus militũ dux.

 cam

cam pecuniam, dictitans, quò pluribus committeretur, ſuam ſe rationem ſecuturum ait, nec cuncta ſimul propugnacula, ſed ſingula muniturum. Cumque conſtituiſſent, vt plura hominum millia ad opus faciendum adhiberentur, res ab eo perpaucis operis acta eſt. Nec reliquis rebus intentiùs prouiſum. nam vt percrebeſcebat aut reſidebat de claſſe rumor, ita intendebatur aut remittebatur belli cura; vt, cùm vulgata temerè fama eſſet, non exituram eo anno Bizantio Turcicam claſſem, tanquam depulſo periculo ſegniter omnia incurioſèque adminiſtrarentur: monentibus ſæpe, &, ſuperuenturos imparatis repente hoſtes, clamantibus Aſtore, & quibus aliquis militiæ vſus erat. Tunc Eugenius Syncliticus Rocaſij Comes ex Cypriorum principibus, Venetijs ad tuendam patriam miſſus, & equitatui à ſenatu honoris cauſa præpoſitus aduenit, certus belli nuncius opis nihil afferens. Quæ res vehementer omnium ſpem fefellit. nam hominem Cyprium de inſulæ ſtatu, de paucitate militum, de inopia armorum, maximè ſclopetorum, quibus propugnatores armandi erant, quæ cognita ipſe habebat, ſenatum edocturum, neque Venetijs ſine aliquo ſubſidio, quod ſuis ciuibus afferret, diſceſſurum exiſtimauerant. Quæ ille propter imbecillitatem animi præfecturæ honore immodicè lætatus omiſerat. Itaque ſuam fruſtrationẽ Cyprij haud taciti ferebant: ſcilicet tanto inſtante bello in patriam redeuntem nihil pręter inanes honorum titulos, quibus per ſuperbiam abuteretur, attuliſſe: libuiſſe ei, Venetijs in ſinu Italicæ vxoris ex luxu & copia ſuę patriæ periculum ſpectare: quid enim ſibi eo duce opus eſſe, qui ſpecie modò imperij delectaretur, rem ipſam negligeret? Atque hæ voces à Iacobo Nores Comite Tripolis

Eugenius Syncliticus Equitatui præpoſitus.

antiqua

antiqua æmulatione Rocaſio inimico, & tum eius honori obtrectante fouebantur. atque huius erat ab egregia virtute magna in nobilitate auctoritas: hinc odium, & mox etiam contemptus ducis. Quæ res ipſorum etiam præfectorum animos debilitauit, eo genere imperij nihil ſalutariter aut conſultum aut geſtum iri reputantium. Cùm ſæpe in conſilium coacti nulla de re conuenirent, & Rocaſius, & Dandalus, & vt quiſque belli rudior plus ſibi arrogaret, & à ſuis ſententijs non diſcederet, agebantur omnia perperam & inconſultè. Atque per has maximè contentiones hiems exacta eſt.

ADVLTO iam vere certamen inter Nicoſiæ, & Famaguſtæ magiſtratum eſt ortum, vter eorum ex Meſſarenſi agro medio inter vtrumque oppidum, & præcipua fertilitate, frumenta in ſuam vrbem deportaret. In his diſſidijs optimum viſum eſt, vt locus diesque diceretur, quem ad locum quamque ad diem omnes magiſtratus, præfecti militum, & aliquot præterea nobilitatis principes conuenirent, ac de tota ratione belli decernerent, & ſuæ cuique partes tribuerentur, quò omnes ſcirent, quid ſibi curandum efficiendumque eſſet. Aſchiam ad conſtitutam diem conueniunt, & cohortati inter ſe, vt depoſitis contentionibus coniunctis animis rei publicæ & communi ſaluti conſulerent, decreuere, vt frumenta Meſſarenſis agri inter Famaguſtam, & Nicoſiam ex æquo diuiderentur, & quæque ciuitas ex proximo ſibi agro frumentum deſumeret. mandatum præterea vtriuſque ciuitatis magiſtratibus, darent operam, vt, vbi matureſcere in agris fruges cœpiſſent, in oppida comportarentur: quæ aut longiùs abeſſent, aut percipi non poſſent, vt corrumperentur.

Diſſidiũ inter Nicoſiã, & Famaguſtã compoſitum.

Verùm poſtea reſeruari eas placuit in ſpem aduentus Chriſtianæ claſſis, quòd, confractis omnibus molis vſui hoſtibus non eſſe futuras, duces dictitabant. Atque ita Turcis, qui ſibi omnia ex Cilicia ſubuehenda exiſtimauerant, præter ſpem accidit, vt egregiam frumenti copiam in inſula inuenirent. Actum de Aſtore Baliono, vtram vrbem defendendam ſuſciperet: ac decretum, vt Famaguſtam, quam primùm hoſtes aggreſſuri credebantur, obtineret, dum Hieronymus Martinengus, quem Venetijs cùm tribus millibus militum profectum acceperant, in inſulam veniret, atque ei ex Cypriorum militia, quæ libertinis conſtabat, tria millia militum attribuerentur: totidem Nicoſiam mitterentur, nouique agreſtium delectus haberentur & reliquis adiungerentur. populo vtriuſque ciuitatis arma tribuenda, deſcribendumque in cohortes, atque ijs nobiles iuuenes præficiendos cenſuerunt. Ducta deinde ratione, quem quæque vrbs hominum numerum eſſet captura, eos ex reliquis oppidis vicisque Nicoſiam ac Famaguſtam demigrare iuſſerunt; reliquam omnem multitudinem ex tota inſula cum liberis & coniugibus & ſuis rebus omnibus in montes ſiluaſque abdere placuit: miſſique continuò, qui loca inſpicerent: ac negocium ducendi omnes ac deponendi in ſaltus Ioanni Suſomino induſtrio homini eſt datum, atque eòdem pecora armentaque abigi iuſſa. Cerines in littore, quod Ciliciam aſpicit, haud ita munitum oppidum, vt hoſtium impetum ſuſtinere poſſe confiderent, dirutis mœnibus, bellicisque tormentis Nicoſiam abductis, vacuum relinquendum cenſebant. verùm contradicentibus nonnullis, placuit de eo ſenatus voluntatem expectari. Poſtremò magnis diſſenſionibus actum eſt, an

Aſtor Balionus Famaguſtæ tuendæ præpoſitus.

hoſtibus

hoſtibus in terram egredientibus occurrendum, an, quia prohiberi nequirent, vt exponerent ſine moleſtia exercitum, permittendum. In hac erant ſententia Rocaſius, & Dandulus fatali pertinacia optimis ſemper conſilijs aduerſari ſoliti, tanquam ab his, qui opinionem bellicæ ſcientiæ haberent, diſſentiendo laudem ipſi ſapientiæ quærerent. Contrà vehementer diſſerebat Aſtor, & illam arcendi ab inſula hoſtes deſperationem deteſtabatur, nullam clamans fortibus auſis peſtem capitaliorem, & ſæpe deſperando fieri, vt deſperandum ſit, ſolere: ſe percunctationibus comperiſſe, multò plures in Cypro eſſe equos, quàm homines opinarentur: ſperareque, ſi diligentia adhibeatur, ad octo equorum millia contrahi poſſe. horum bonam partem haſtatum equitem laturam, reliquis ſclopetarios imponi oportere, quorum ad id, quod conarentur, egregius eſſet futurus vſus. Hoc equitatu, adiunctis delectorum tota inſula militum cohortibus, cur deſperaretur, prohiberi exſcenſu hoſtes poſſe? At præterea plus viginti quinque millibus hominum confecturos, quibus armatis & in proximis ſalinarum collibus collocatis, ſi nihil aliud, id certè præſtituros eſſe, vt hoſtibus ſpeciem magnarum copiarum præbeant; qui profectò haud temere ſe in littus eijcient, ſi cum iuſto exercitu ſibi depugnandum eſſe proſpexerint. At verò id eſſe in vtramque partem tutum conſilium: ſiue enim egreſſu in terram hoſtis prohibeatur, periculo ſe inſulamque liberaturos; ſiue arceri nequeat, magnam ei de inſulæ viribus & conſenſu opinionem eſſe facturos. Poſtremò id belli rationem poſtulare, præſtareque irritum conatum ſuſcipere, quàm contra militiæ diſciplinam in ipſo belli initio & hoſtibus contem-

Aſtoris ſententia de occurrēdo hoſtibus.

ptionem

ptionem ſui, & ſuis hoſtium metum facere: quod quantam in bellis vim habeat, neminem, cui vſus modò aliquis militiæ ſit, ignorare. Hac ab Aſtore habita oratione, cùm idem nobiles Cyprij qui aderant, probarent, ſeque paratos oſtenderent, nullum laborem officiumque quod eis imperaretur, recuſare, nihilominus Dandalus, & Rocaſius reſiſtere, &, duas modò ciuitates defendendas eſſe, contendere, quibus conſeruatis ſua ſponte exceſſuri inſula barbari eſſent, neque diu in caſtris magnitudinem æſtus & cæli grauitatem toleraturi: &; Rocaſius, hanc Venetijs fuiſſe Sfortiæ Pallauicini ſententiam probatam Patribus, adiecit: & ſibi pluris ſenatus & Clariſſimi Ducis auctoritatem, quàm vllius ſpecioſam rationem futuram. Hic eius ſermonem interpellans, &, Quem mihi, inquit Aſtor, ſenatum, quem Sfortiam narras, ſi nos oculis hæc atque vſu multò melius, quàm illi auditionibus cognita exploratаque habemus? Non conſilia Venetijs nobis, ſed auxilia mittant Patres: nam nequid per metum aut imperitiam, ſed omnia ex diſciplina atq; vſu belli fiant, cordi nobis erit. Atq; ita contentione eſt elatus, vt diceret, ſi cęteri ſequi recuſarent, ſe vel cum ſolis clientibus & familiaribus ſuis iturum neque admiſſurum, vt hoſtes ſine impedimento, tanquam tradentibus ipſis, in poſſeſſionem inſulæ venirent. ſi prohiberi, quin deſcendant, non poſſint, noceri certè ijs magnopere poſſe, ſi cum equitatu & ſclopetarijs, qui equo vtantur, in applicantes impeditoſque impetus fieret. Ecquid ipſos de ſe dicturos hoſtes, quod iudicium facturos? id ipſum ſcilicet, quod res ipſa indicaret; Venetos metu perterritos ne dare quidem ſe in conſpectum auſos fuiſſe. Nihil ob hæc de ſententia mutantibus Rocaſio, & Dandalo, ne

Dādalus, & Rocaſius ab Aſtore diſſētiūt.

Aſtoris contrà oratio.

Aſtor quidem ceſſit, ſeque cum ijs equitibus, qui ſe ſequi voluerint, hoſtibus occurſurum eſt profeſſus, illorumque vires, genus, numerum copiarum exploraturum, ac certè non paſſurum, exiſtimare eos, in tanta inſula fuiſſe neminem, qui aſpectum modò eorum ferre potuerit. Cùm illi in ſententia perſeuerarent, &, paſſuros quidem ſe, eum vti ſuo conſilio, dicerent, verùm id aut probaturos vnquam aut auxilio futuros pernegarent, ac, ſiquid aduerſi ei accidiſſet, ſenatum ſe de tota re edocturum Dandulus denunciaret, Aſtor haud ignarus Venetorum moris legatis ſuis maiorem, quàm præfectis fidem præbentium, & cauta conſilia fortibus facilè anteferentium, etſi ſententia non deſtitit in præſentia, apparuit tamen, eum nihil temerè contra Danduli voluntatem eſſe facturum. Atque ita conuentus eſt dimiſſus, & omnes ad ea, quæ conſtituiſſent, exequenda diſcedere ſunt iuſſi.

HIS rebus conſtitutis, & querentibus omnibus, neminem vnum eſſe in inſula, ad quem imperij ſumma reſpiceret, naues onerariæ tres, quæ Hieronymum Martinengum cum militibus à ſenatu in Cyprum miſſis ſuſtulerant, Famaguſtam appulere, militesque expoſiti triſtem nuntium de ducis ſui morte attulerunt. Nam Hieronymus & maris iactatione & grauitate cæli grauis ipſe annis vehementer conflictatus in morbum incidit, quem cùm neque commodè curare poſſet, nec inſtitutam nauigationem intermittere vellet, eius vim non ſuſtinuit. Auxit de eo dolorem, quòd militum eius pars eodem, quo ipſe, morbo in itinere abſumpta erat, & qui peruenere, affecta valetudine non magno vſui futuri videbantur. Eius mortem incommodiſſimo tempore reip. accidiſſe omnes fatebantur.

Hieronymus Martinengus moritur.

bantur. Cùm enim Aſtori Famaguſt a defendenda obtigiſſet, quòd eam ante omnia oppugnaturos Turcas exiſtimauerant, Nicoſiæ militare imperium ad Rocaſium redierat, quem cum Dandulo nihil pro ratione belli facturum intelligebant. Quam ob cauſam Ranconium, & Palatium veteres tribunos Nicoſiam ire placuit, vt eorum conſilio illi, ſi vellent, vti poſſent. Nam etiam poſt concilium Aſchiæ habitum frigidè omnia agebantur, quòd omnes ea opinio peruaſerat, non diſceſſuram eo anno Conſtantinopoli Turcicam claſſem; vt in ipſis etiam munitionibus res lentè admodum ac remiſsè procederet: ipſique duces, tanquam eo ſolatio reliquos confirmaturi, bono animo eſſe eos iubebant; fore enim, vt Turcæ in ſequentem annum Cypriam expeditionem differrent, atque ipſis ſpatium communiendi ſui darent. Atque eò amentiæ ſunt progreſſi, vt militibus Cyprijs, quos ex libertino genere deſcribi in militiam ſuprà memorauimus, Nicoſiam cùm præſidio tùm perficiendis munitionibus antè euocatis poteſtatem in ſuas domus diſcedendi facerent, quò vxores ſuas reuiſerent, &, ſi vellent, in vrbem adducerent.

Turcicæ naues præmiſſæ in Cyprũ

NONDVM ea copia domum redierat, cùm trepidi nuncij Nicoſiam afferuntur, viginti quinque naues Turcarum Paphi eſſe viſas. Itaque adeſſe omnem claſſem rati, ipſi inprimis duces ſua ſpe decepti vehementer perturbantur, ciuitas trepidatione ac tumultu repletur. Præmiſerant eas naues Turcæ cum Scirocco præfecto, atque ei imperauerant, vt exſcenſione in Cypro facta, interceptisque quos ei ſors obtuliſſet, inſulæ ſtatum, vires, & conſilium hoſtium exploraret; quo facto ad ſe celeriter rediret. Sciroccus expoſitis ad Laram (id loco eſt nomen,

quò

quò appulerat) quingentis militibus, imperata facere ſatagit: captisque aliquot agreſtibus hominibus, direptisque & incenſis eorum ædificijs, dulcedine prædæ longiùs progrediebatur. Sed equitum Epriotarum turma, quæ ſtationem in illis locis habebat, cum eo congreſſa non ſolùm impetum barbarorum repreſſit, ſed eos in fugam dedit atque in naues compulit, vndecim eorum interfectis, duobus captis, & ſigno militari potiti, quod Randochius equitum præfectus cum captiuis, & cæsorum capitibus equitum haſtis ſuperfixis Nicoſiam miſit. Ab ijs cognitum eſt, Turcicam claſſem ad Finicam eſſe, omnium quas vnquam Conſtantinopoli eduxiſſent, maximam & pulcherrimam, magno nauium omnis generis numero, tormentorum apparatu, commeatibus, rebus omnibus ornatiſſimam: ducem imponendis equis militibusque operam dare, breuique adfuturum. Tum demum, qui periculum in ſequentem annum reijciebant, ſibique omnia læta fingebant, repentino metu perculſi conciderunt. Dandulus, ac Rocaſius hilares atque elati incedere ac volitare per vrbem ſoliti, tum conſilij inopes ne diſſimulare quidem timorem animi demiſſi atque conturbati poterant, imperfectis munitionibus, infirmo præſidio, nulla copia armorum, dimiſſis libertinis, infidelibus ſeruis: & ſuper his bonos maximè angebat imbecillitas ducum, quibus nec ſcientia rei militaris, nec auctoritas aderat. Dimiſſæ extemplo literæ, quibus libertini Nicoſiam reuocabantur. ſed & ab hominibus agreſtibus ægre impetratum eſt, vt ſe reduci in vrbem paterentur, & maxima pars eorum dilapſa in montes ſe ſiluasque recepit, vbi tutiores, aut certè liberiores fore ſe arbitrabantur; vt ex millibus ſeptem, qui deſcripti fuerant,

Prædabūdos Turcas Epirotæ repellunt.

circiter duo millia & quingenti Nicoſiam redierint. Tum quoque ſerò actum eſt de ſeruis libertate donandis. quod munus maturatum infenſi generis animos reip. reconciliare potuiſſet: in ſummam atque apertam neceſſitatem dilatum illi neglexerunt.. Nam, cùm edicta eſſent propoſita, quibus pronunciabatur, prætorem reliquosque Venetos magiſtratus ex auctoritate ſenatus iubere, omnes, quicunque in inſula ſerui nati eſſent, liberos eſſe, tantùm eos hortari, vt fidelem ac fortem operam pro eo beneficio reip. præſtarent, & quibus ætas, atque animus belli patiens eſſet, Nicoſiam Famaguſtamùe ad communis ſalutis arces defendendas ſine mora conuenirent; pauci, qui vicinos vrbibus agros incolebant, paruere, reliqui ſe ſuaque montibus credidere. Atque hæc circiter Non. Iunij acta cùm eſſent, ipſo die Calendarum Iulij vniuerſa claſſis ad inſulam vela faciens conſpecta eſt. Turcæ, cùm ad Paphum acceſſiſſent, vnum ibi diem in anchoris morati, biduo pòſt ad Imiſum appulere, & paucos ibi explorandi cauſa in terram emiſere milites, cum quibus Epirotæ equites congreſſi, aliquot eorum occiſis, reliquos ad claſſem repulerunt. Inde Salinas petiere, in ſinumque illati omnes ſuas copias, cõtrà quam opinati fuerant, nemine impediente, expoſuere. Nam Aſtorem obteſtantem, ne tantum dedecus admitteretur, ac ſe cum paucis obijcere hoſtibus conantem Dandulus deterruit, qui cum Rocaſio equitum duce, vt Aſtoris conſilio obſiſterent, omnem equitatum contraxerant ſecumque habebant: & ſiue pertinacia animi ſiue quòd receptui timerent, ſpectatores modò egredientium in terram Turcarum eſſe voluerunt. Ea res Muſtaphæ, imperitia aut metu noſtrorum ducum animaduerſo, magnam

Edictum de ſeruis libertate donandis.

Turcæ Copias in terrã exponũt ſine vllo certamine.

victoriæ

victoriæ fiduciam fecit, & vulgò Turcæ ſpem eandem concepere. Applicuere inſulæ nauigijs omnis generis circiter quadringentis, in quibus erant naues longæ, triremes, & quadriremes centum & ſexaginta, biremes circiter quinquaginta: reliqua omnis multitudo ferendis modò oneribus, commeatibus, & militibus tranſportandis comparata erat; ad pugnam congreſſumque inutilis; ſed ad ſpeciem terroremque noſtris inferendum, qui pæne ipſum mare, quantum oculis longè lateque proſpicere poterant, hoſtili claſſe conſtratum cernebant, magnopere valuit: tantusque applicantium clamor & lætitiæ ſignificatio fuit, vt noſtri, tanquam triſti omine perculſi, mœſti tacitique ſe reciperent: Rocaſius, & Dandulus cum Epirotis equitibus Nicoſiam, Aſtor Famaguſtam, ad quam oppugnandam venire hoſtes, omnibus & captiuorum & transfugarum indicijs confirmabatur. Exercitus omnis fuere armatorum millia ſeptuaginta, præter lixarum & calonum turbam, quibus numerum centum millium impleſſe dicuntur: in quibus prætorianorum, quos ipſi Ianizeros appellant, & quorum virtuti maximè fidunt, nouem millia. Equorum traduxere ad duo millia, totidem iumenta ac mulos ſarcinis ferendis, quibus poſtea, detractis clitellis, ephippia accommodauerunt, ijsque pro equis vſi ſunt: atque omnes partim onerarijs impoſuerant, partim longis nauibus ſingulis binos quaternosùe traducendos attribuerant. Hæ autem copiæ omnes duobus commeatibus traductæ ſunt, quibus Muſtapha ipſe huius belli concitator præerat. Huic exercitus & terreſtrium copiarum, maris & claſſis cura Halijo permiſſa erat, cui Turcarum more Pialeius ex Baſarum numero maiori cum imperio additus erat. Qui quidem de

Turcica claſſis quanta fuerit.

Exercitus, & armatorum numerus.

Equorũ, & iumentorum.

Muſtaphę exercitus: Halijo, & Pialeio claſſis cura commiſſa.

claſſiarijs militibus ſuis neminem in terram expoſuere: ne, ſi cum Chriſtiana claſſe, quam venturam auxilio noſtris exiſtimabant, congrediendum foret, imparati ipſi immunitiq. offenderentur.

Transfugæ duo ad Nicoſiam primò aggrediendam Muſtapham impellunt.

CONSVMPTIS in exponendis repetendiſque militibus, exercituque reficiendo aliquot diebus, Muſtapha, quid hoſtes virium quid animi haberent, explorabat: & conſilio, quo profectus Bizantio erat, inſiſtens, quæ ad Famaguſtam oppugnandam opus eſſe intelligebat, diligenti cura apparabat, cùm noui de Nicoſia indices mutare ſententiam coëgerunt. Græci homines duo Nicoſienſes ciues, inſpectis omnibus munitionibus vitijsque, & quæ imperfecta & infirma erant, diligenter animaduerſis, noctu egreſſi oppido ad hoſtes profugere: deductique ad Muſtapham, ſi egregiæ in rem Turcicam fideí iuſta præmia ſint, habere ſe dicunt, quæ eum magnopere doceant. Et vt non ſolùm odio noſtri, ſed religionis ſtudio tranſiſſe ad Turcas viderentur, & ea re cùm plus gratiæ inirent, tùm plus fidei eorum orationi eſſet, repudiato Chriſti cultu, Mahometis ſacris procurari ſe ac in Turcarum ritus diſciplinamque aſciſci velle profitentur. Tum interpretibus tantùm adhibitis Muſtapha dicere, quid veniſſent, iubet. illi exploratam, ſi ſe audiat, victoriam afferre præfantur: ac deinceps omnia de Nicoſiæ ſtatu, quæ comperta habebant, Muſtaphæ enunciant, multa de imperitia & contemptu ducum, de paucitate defenſorum, de armorum inopia, de nobilibus Rocaſij imperia detrectantibus, de imbelli ac pæne inermi populo & ad ipſum Turcarum nomen contremiſcente, de munitionibus imperfectis ac multis locis imperitè adauctis. Quæ omnia partim vera erant,

partim

partim ab ipſis, quò indicij gratiam augerent, affingebantur. Poſtremò ciuitatis opulentiam diuitiasque & magnitudinem prædæ oſtentant: illis includi mœnibus vniuerſam nobilitatem, & quicquid opum, quicquid auri argentiùe in inſula eſſet: ea expugnata vrbe, quo nihil eſſet facilius, totius regni ſine certamine potiturum. Proinde, omiſſa Famaguſta, quæ & ab firmiori præſidio, ac à peritiori duce obtineretur, & in qua tantum neque momenti ad vniuerſam victoriam neque ſpei ad prædam eſſet, exercitum Nicoſiam duceret: ſe ſecuturos, atque omnes aditus omnes penetrandi in vrbem vias commonſtraturos. denique, ſe victoriæ tanquam obſides vt recipiat, orant. Motus ea oratione barbarus protinus à priori conſilio diſcedere in animum induxit. transfugas collaudat, præſentibus muneribus & pollicitationibus confirmat, & in magno honore palàm habet. Poſtero die, quæ ab ijs acceperat, cum Pialeio adhibito, claſſis præfecto, communicat. Ille omnia transfugis credenda negat, nec temere à priori conſilio oppugnandæ Famaguſtæ recedendum eſſe ait: id & tutius videri & antè Bizantij ipſi regi probatum fuiſſe: eam vtriuſque viribus terra marique eodem tempore oppugnari poſſe. quibusnam militibus Chriſtianos duplicem oppugnationem eſſe laturos, qui vix pauculas armatorum cohortes in mœnibus eſſent habituri? qua expugnata vrbe, intercluſoque auxilijs aditu, ne Nicoſienſes quidem dubitaturos, quin victoribus cedant. Nicoſiam mediterraneam vrbem eſſe, nuper à Venetis magna vi curaque permunitam: hoc ipſo, quòd in eam omnis nobilitas, omnes inſulæ facultates collatæ eſſent, minùs ſimilia vero videri, quæ de munitionum ac præſidij infirmitate transfugæ detuliſ-

Pialeij de Famaguſta primùm oppugnãda ſententia.

ſent. vt alia ijs deſint, ipſam nobilitatem pro ſua dignitate, pro liberis, pro coniugibus, pro patria, pro rerum omnium incolumitate vſque ad vltimum caſum ſtrenuè eſſe dimicaturam: atque ipſum ad eam oppugnandam dimidia parte virium eſſe cariturum: neque enim ſe naues militibus nudare debere, ne à Chriſtiana claſſe, quam periclitantibus ſuis opem laturam dubitari non debeat, opprimeretur. Hæc Pialei ſententia fuit; ſiue ita ſentiret, ſiue in Famaguſta victoriæ ſocietatem appeteret. Verùm Muſtapha, cùm, quæ edixerant transfugæ, captiuorum quoque indicia tormentis ſupplicijſque expreſſa confirmarent, totum ſe animo ad nouum conſilium conuerterat. Hoc conſtituto, ad fallendos hoſtes tria millia peditum Famaguſtam antecedere iubet, eisque præcipit, vt iter cautè faciant, neque temerè ſe in vrbis conſpectum dent, ne Aſtor, quem Famaguſtæ eſſe ſciebat, ſuo loco cum ijs committere prælium poſſet: tantùm obſeſſis vijs infeſtum iter, quod Famaguſta Nicoſiam ducit, præſtent & commeare illac patiantur neminem. ipſe monachum Cyprium inter captiuos nactus literas ei ad proceres inſulæ perferendas dedit, quibus barbara vaniloquentia cùm opes ac dignitatem Selimi cum cæleſtium vi ac maieſtate æquaſſet, ac non Venetorum modò ſed Chriſtianorum omnium vires vaniſſimè obtriuiſſet, vrbem ſibi atque inſulam dedi poſtulabat, libertatem fortunasque omnes, & ſacrorum iura manſura ijs promittens. Cyprijs ad ea nihil reſpondere eſt viſum. Itaque Muſtapha ſilentium pro reſponſo accipiens incendi ac diripi latè agros iubet. Primi omnium Leiparum pagum qui colunt partim veriti populationem vaſtantium cuncta Turcarum, partim odio veterum dominorum, non ſolùm Tur-

Muſtapha Nicoſiam aggredi primò ſtatuit.

Idem literas dat ad Cyprios Proceres.

cæ ſe dediderunt, ſed accepti ipſi benignè auctores idem faciendi alijs pagis fuerunt. Ad quorum vlciſcendam perfidiam, exemplumque alijs ſtatuendum miſſæ à Nicoſienſibus duce Demetrio Laſcari, cognomento Meduca, cohortes, cùm intempeſta nocte obrutos ſomno oppreſſiſſent, ad vnum omnes interfecere, iniectisque ignibus pagum ipſum funditus deleuere. Quo terrore agreſtibus iniecto, fides eorum magnopere in poſterum ſancita eſt.

Leiparũ pagũ Nicoſienſes funditus delent, quòd defeciſſet ad Turcas.

MVSTAPHA, reliquo exercitu cum impedimentis bellicisque tormentis ſubſequi iuſſo, cum duobus millibus equitum & parte copiarum ab Salinis profectus ſextis caſtris Nicoſiam peruenit, & millia paſſuum quatuor longè ab oppido conſedit. Erant Nicoſiæ milites Italorum mille quingenti, nobilium cum clientibus mille, libertinorum duo millia quingenti; ex omni genere ad duo millia: ex populo ad duo item millia quingentos confecerant: pedites Epirotarum ducenti, equites quingenti, mille è nobilitate equites: ſeruorum quoque quot colligere potuerunt, armauerant. frumenti ex ante conuecto copia ingens vel diuturnæ obſidioni ſuffectura: & in montes receperant ſe, præter imbellem multitudinem, ſupra viginti millia hominum, qui ferre arma potuiſſent; haud contemnendus numerus, ſi, qui regerent, ac arma, quæ eis darentur, fuiſſent. Palatius Fanenſis tribunus, quem ſuprà attributum Dandulo & Rocaſio, vt eius conſilio iuuarentur, narrauimus, moris militaris haud ignarus vehementer ſuadebat, vt equitibus omnibus, & parte peditum oppido emiſſis impetus in tendentes hoſtes fieret: poſſe illa impreſſione graue aliquod aduerſarijs incommodum inferri, antequam omnes copiæ ſuperuenirent. Huic conſilio idem Rocaſius &

Nicoſiæ qui numerus fuerit bellatorum.

Annonæ copia.

Dandulus, etſi Palatio multum tribuere erant ſoliti, tamen ex inſtituto ſuo reſtitere. Poſtero die, qui fuit VIII. Cal. Auguſti, reliquæ omnes copiæ ſuperuenere. Muſtapha ipſe tabernaculum ſuum in planitie proximi collis, cui Mandiæ eſt nomen, collocauerat, caſtris inde ad ædem vſque Demetrij extenſis. Et quia compererat, omnes circà aquas à Cyprijs veneno infectas eſſe, effodi terram nouosque puteos fieri imperauit, & vbere paſſim reperta aqua noſtrorum opinionem longè feſellit, qui aut venenum hauſturos aut in arido loco aquæ inopia laboraturos hoſtes, putauerant. Primis aduentus ſui diebus Muſtapha cum equitatu circumire vrbem, ſimul ſpeculandi cauſa munitiones ſitumque ciuitatis, ſimul vt noſtros ad certamen eliceret: quos Dandulus & Rocaſius diligenter intra oppidum continebant, ægerrimè id ferentibus Epirotis equitibus, & nobilibus Cyprijs, qui periculum ſui facere cupientes pugna prohiberi ſe magnopere querebantur. Muſtapha ſæpe obuerſatus mœnibus, vbi certamen detrectare noſtros & facultatem ſui non facturos apparuit, metum ijs & Græcam mollitiem exprobrans, conuerſus ad ſuos, Hi, inquit ridens, illo aggere ſe tutos fore arbitrantur; atque inde operibus munitionibusque circumſidere, atque propius accedere vrbem inſtituit. Primum opus in colle, qui S. Marinæ vocabatur, noctu haud multùm impedientibus noſtris celeriter perfecit loco edito & ab propugnaculo, cui Podocatero erat nomen, paſſus circiter trecentos diſtantē, ex eo muros & proxima muris ædificia tormentis verberabat: verùm propter longinquitatem noſtris parum nocebat. Pari ratione alteram quoque munitionem ad ædem Georgij inſtituit: tertiam in tumulo, cui Margaritæ erat

Caſtrametatur ad Nicoſiam Turca.

Obſidetur Nicoſia.

nomen: quartam in Mandiano colle: quibus ex munitionibus tormenta, quæ noſtri ſuis locis propugnandi cauſa collocauerant, deijcere conabatur. ſed cùm parum proficeret, produxit opus ad veteris vrbis muros, atq; inde protinus foſſis altiſſimis propiùs ſe ad oppidum Turcæ inſinuant. Ibi inſtituta ratione, paſſus circiter centum & quinquaginta à muris contra quatuor vrbis propugnacula, quatuor ipſi munitiones excitant. Ea ſic vocabantur, Podocateri, Auilæ, Conſtantij, Tripolis. Hæc ſunt eorum, qui perficiendis ijs propugnaculis à Iulio Sauorniano, vt initio tradidimus, præpoſiti fuerant, cognomina. Eo opere celeriter effecto tormentiſque productis Turcæ ferreis globis ſexaginta pondo quatere muros magna ſpe deijciendi aggrediuntur. quod cùm dies quatuor ſumma vi continenter feciſſent, neque nocere ſe muro intelligerent, quòd globi in noſtras munitiones illati cæſpitibus hauriebantur & ſine detrimento hærebant, eo incepto deſtitere. Veneti duces de eruptione cogitare nunquam auſi procùl tormenta in munientes hoſtes explodebant, & prohibere eos ab opere conabantur, multoſque quotidie eorum interficiebant. Illi, omiſſa mœnium verberatione, qua parum ſe proficere animaduerterant, foſſas agere & appropinquare muris pergunt; ac ne certis noſtrorum ictibus peterentur nullam ex mœnibus finem collineandi ac iaciendi facientium, foſſis non directis ſed ſinuoſis progrediebantur, terramque contra noſtrorum petitiones eijciebant, ſeque ea ratione contegebant: ac ne meridie quidem in feruentiſſimis caloribus ceſſabant, & noctu multò efficaciùs tutiùſque in opere verſabantur. Itaque breui eò ſe intulere, vt oppidi foſſas ſua munitione contingerent: vbi aliam ipſi foſſam ma-

Aggrediuntur Turcæ oppugnatione vrbis, ſed irrito conatu.

Muniẽdi ſe & appropinquãdi muris ratio.

gnæ altitudinis perfecerunt, eumque locum quà lunatis quà quadratis ſpatijs altiſſimè effoſſis totum ita communiuerunt, vt tormentis ex oppido noceri ijs non poſſet: & in illis ſpatijs ſclopetariorum manipulos collocauerant, qui continenti plumbearum glandium procella noſtros conſiſtere in mœnibus non patiebantur. tum in ipſas oppidi foſſas, nequicquam repugnantibus Cyprijs, opus perductum eſt: nam neque à fronte nocere eis erat facile, quia vt quiſque noſtrorum ſe in mœnibus oſtendebat, multis ſimul ſclopetariorum ictibus appetebatur, & ipſi à lateribus ſe effoſſa terra protegebant, cui quidem terræ faſcibus, quos equitatus etſi longè petitos abunde conferebat, interiectis vallum ita ſuſtulere, vt inutiles ictus tormentorum ex oppidi propugnaculis reddiderint. Neque nobiles Cyprij equites ad impediendum, ne hoſtium equitatus tam liberè comportandis faſcibus commearet, à ducibus impetrare potuerant, vt oppido emitterentur. Erat in dies grauior atque aſperior oppugnatio, & fortiſſimo ac acerrimo quoque militum aut interfecto aut vulnerato, defenſorum vires magnopere attenuabantur. Nam hoſtes, qua abundabant multitudine nullum ad oppugnandum tempus idque pluribus ſimul locis intermittebant, ſemperque feſſis ac laborantibus ſuis recentes ſubſidio erant. Iamque in oppidi foſſa pæne tutò verſantes conuellere ac ſubruere propugnaculorum aggerem incipiebant. neque ei malo, quo penitus in oppidum penetraturi erant, occurrendi aut facultas noſtris aut conſilium erat. Tum animaduerſo periculo, concurrunt ad Dandulum Rocaſiumque: in quanto diſcrimine res ſit, oſtendunt: rogant atque obteſtantur, vt ciuitatis ſaluti conſulant, vt ne capi vrbem tam inerti

Acerrimè oppugnatur Nicoſia.

defen-

deſenſione, neu ſe, veluti pecora incluſa ſeptis, mactari in dies velint. ſi pereundum ſit, id ſaltem ſolatij capere eos paterentur, vt virorum fortium more pugnando caderent potiùs, quàm lenta obſidione paulatim, veluti tabifico morbo, conficerentur: darent facultatem refringendi creſcentem in dies hoſtium audaciam, cominusque cum ijs congrediendi, vbi vera virtute certatur. Nam è longinquo pugnantium nec ignauus à ſtrenuo diſcernitur, & timidi ac inertis manu plerumque fortis atque audax occiditur. Hoſtes propè iam mœnibus potitos eſſe, & niſi munitionibus illis pellantur, inſtare ſupremum exitium; nec auſum ad impediendum prodire quenquam, timori non conſilio tribui. ita fieri, vt & Turcis augeatur, & frangatur obſeſſis animus: vnam eſſe ſalutis viam, ſi, antequam minuantur magis vires, & barbari in propugnacula inuadant, eruptione pugnetur. His vocibus precibusque excitati duces, & rem ita ſe habere, quemadmodum illi monebant, intelligentes, ægre tamen adducti ſunt, vt ad erumpendi conſilium deſcenderent, quòd dicerent, vix quingentos milites Italorum ſupereſſe, quibus amiſſis quid ſibi ſpei reliquum fieri? libertinos agreſte genus neque animo neque exercitatione vllam fortem operam polliceri. Porrò oppidanis armorum nedum pugnarum inſolentibus ciuitatis ſalutem committas? atqui horum ipſorum, quadraginta dierum tam crebris oppugnationibus, magnopere imminutum eſſe numerum, & magnam præterea multitudinem morbis abſumptam eſſe, qui ob magnitudinem æſtus ciuitatem inuaſerant. Re multùm diùque agitata cùm omnes, aut ſummouendos omni conatu à mœnibus hoſtes aut pereundum, diſſererent, dant tandem Rocaſius & Dandulus

Obſeſſorũ oratio ad duces, vt ſe eruptionem facere patiãtur.

Cur Duces nollẽt emittere vrbe militem.

Deliberatio de eruptione

querelis ac fremitu omnium victi manus. decernitur, vt duo militum delectorum millia oppido emittantur, atque eos Epirotæ equites ſubſequantur. Aegerrimè Cyprij equites tulere, illa ſe expeditione arceri, quæ pro patriæ ſuæ ſalute ſuſciperetur: vehementiſſimeque à Dandulo contenderunt, vt ire ſe cum Epirotis pateretur, neque tot fortiſſimos iuuenes vitam pro patriæ incolumitate profundere cupientes ea ignominia afficeret, vt aut fidei aut animis eorum diffidere videretur. Verùm Dandulus, vt erat ſententiæ ſuæ tenax, ne omni ſimul præſidio ciuitas ſpoliaretur, edixit, nequis eques præter Epirotas oppido exiret. Sequenti die deliguntur ex omni genere militum duo millia: ijs Cæſar Piouenus præficitur; cui addunt ſe ſocios Albertus Scottus & Gregorius Panteo, & Veneti iuuenes Nicolaus Gradenicus & Zanetius Dandulus; quibus omnibus imperatur, vt acri impreſſione facta deiectisque loco hoſtibus, tormentis eorum potiri conarentur, clauisque foraminibus, quibus ignis ad explodendum admouetur, confixis inutilia redderent; quo vno perfecto facinore longè maximum Turcis incommodum eſſent illaturi. Cæſar curare corpora milites, & meridie ipſo ad portam armatos atque paratos animis conuenire iubet. Id autem patrando negocio tempus aptiſſimum eſt viſum, quo animaduerſum erat, Turcas propter calorum intolerandam vim plerumque ab opere diſcedere, & vmbras frigoraque captantes humi ſtratos paſſim conquieſcere. Et quanquam rei agendæ ordo ſeruatus non ſit partim Græcorum culpa, qui ante acceptum ſignum adorti proximam ſtationem hoſtes intempeſtiuè excitarant, partim inuidia quorundam, qui Cæſari à Dandulo ſubiecti inuiti imperio eius parebant

Tempus eruptionis aptiſſimum.

pro-

proſperique euentus gloriam æmulo acquiri, liuore animi deprauati nolebant; tamen Cæſar cum ea manu, quam ipſe ductabat, egreſſus oppido haud longo ambitu circum oppidi foſſas via occulta ad hoſtium munitiones, nemine ſentiente, ducit, ac nullo edito clamore, vt antè negocium patraret quàm tumultus ad caſtra perferretur, magno animo munitiones inuadit. Turcæ re ſubita nec opinata oppreſſi maiorem vim adeſſe veriti primo impetu vndique pelluntur. Fit magna cædes: victoresque noſtri duobus locis hoſtes munitionibus exturbant: illi vſque in caſtra fuga feruntur magnumque tumultum totis caſtris efficiunt: noſtri ſucceſſu elati ac ſpe propinqui auxilij audactèr inſequuntur. Sed Dandulus, excidio clariſſimæ vrbis à Deo nobis merito noſtro infenſo datus, leui caſu vehementer offenſus Epirotas in oppido continuit. Edixerat is, vt ſuprà docuimus, vt nequis alius præter Epirotas eques pugnandi cauſa oppido exiret. Quod cùm nobiles Cyprij iuuenes grauiter ferrent, eorum aliquot, duce Ioanne Falerio ciue Veneto, Epirotico armatu galeiſque clauſis, Epirotarum equitibus ſe immiſcuerant. ſed Falerius, dum ſe ſtudioſiùs occultat, à Dandulo (qui, nequis contra edicti ſui voluntatem egrederetur, in porta obſeruabat) agnoſcitur, grauiterq. corripitur: cùm ille, poſſe ſe & audere vitam pro rep. ponere, reſpondiſſet, percitus ira Dandalus, occludi portam & Epirotas reducere equos, imperat. Accedunt optimi quique, orant vt iræ moderetur, & ob paucorum adoleſcentium ex nimia pugnandi cupiditate delictum ne in conſpectu ſuo trucidari optimè de communi ſalute meritos milites, quod fieri niſi equitum auxilio ſubleuarentur neceſſe erat, velit. Ille reiectis omnium precibus, Pereant

Inuadũt noſtri munitiones Turcarũ.

Cyprij equites egreſſionem ex oppido tentant.

Dãdulus ira percitus, neq; Epirotas egredi patitur.

omnes,

omnes, inquit, dum mea imperia ne illudantur. atque ita milites, quorum virtute ciuitatis ſalus continebatur, vnius hominis furore atque amentia deſerti cædique obiecti ſunt. Interea illi pulſis Turcis eorumque munitionibus potiti duobus locis tormentis clauos infixerant: ſed ira atque impetu elati, ea omiſſa re, ſummotos hoſtes longiùs perſequi inſiſtunt, qui effuſa fuga ad ipſum vſq; Muſtapham terrorē pertulerant. Emittitur ab eo ſubitò equitatus qui noſtrorum impetum excipiat; & barbari, vbi ſe ex timore collegerunt, in prælium redeunt: Veneti, quòd ex conſtituto adfuturos ſubſidio mox Epirotas rebantur, acriter reſiſtunt. Pugnatum magna contentione: Turcas ignominia amiſſarum munitionum & indignatio, tantulas copias aggredi tantum exercitum eſſe auſas, ſtimulat: noſtri victoriæ gloria & ſpe equitatus ſuſtentantur. Ad extremum, cùm pro ſua paucitate diu vim multitudinemque hoſtium ſuſtinuiſſent, Exitus eruptionis aduentu equitum perturbantur: dein veriti ne circumuenirentur, in fugam vertuntur. Inſecutus hoſtium equitatus multos eorum interfecit. reliqui excluſi porta, quam aperiri Dandulus vetuerat, ne eodem impetu hoſtes in vrbem penetrarent, interuentu noctis tecti per foſſas occultis munitionum oſtijs diuerſi in oppidum recipiuntur. Cecidere eo prælio Turcarum ſupra mille quingentos: noſtrorum ducenti deſiderati, in quibus ipſe Cæſar ſæpe reſpiciens quà venturi Epirotæ equites erant, proditumque ſe ac deſertum querens fortiter pugnando interfectus eſt, & cum eo Albertus Scottus & promptiſſimus quiſque militum. Inſignis perterritis hoſtibus clades ea die inferri potuit, ſi, vt erat conſtitutum, equitatus noſter parta iam victoria eſſet ſubſecutus, neque hoſtibus colligendi ex timore animos ſpatium

eſſet datum. tanta enim perturbatio in Turcarum caſtris fuit, vt multis locis initium fugæ factum ſit; vt ipſi poſt victoriam Turcæ faſſi ſint, ſi noſtri territis inſtitiſſent, ſolui ea die obſidionem potuiſſe, vtique ſi (qua maximè de re emiſſi erant) tormenta clauis obſtruxiſſent. Acceptum vecordia & pertinacia ſua incommodum Dandulus maiori pertinacia ſarcire ſtatuit: neque cuiuſquam poſtea hortatú aut prece peruinci ſe paſſus eſt, vt ad pugnam perturbandosque in opere hoſtes vllus peditum equitumùe prodiret. At Turcæ periculo ſuo edocti ſuos armatos excubare, alios in opere eſſe iubebant, & ne magnitudine æſtus conficerentur, partita tempora habebant, vt ad quietem alij diſcederent, laborem viciſſim alij ſubirent: & quia multitudine abundabant, hac ratione conſequebantur vt & tutò milites in opere eſſent, & ea laboris viciſſitudine minùs fatigarentur corpora, & opus celeriùs perficeretur. Iam effoſſo & conuulſo aggere propugnaculorum pectora ruebant, Turcisque gradus aditumque ſcandendi mœnia efficiebant. quod ne fieret cùm prohiberi à Venetis non poſſet, aditum introrſus propugnaculorum obſtruunt & foſſa valloque communiunt, vt, ſi hoſtes propugnacula conſcendiſſent, ipſi tanquam è nouis muris pugnarent. Turcæ muris dirutis in dies acriùs oppugnationes inſtaurabant, & propè certam ſpem fouentes opulentiſſimæ prædæ ad laborem & virtutem accendebantur, & modò ad vnam oppidi partem modò pluribus ſimul locis magno conatu inuadebant. Quanquam autem oppidani ſæpe hoſtes cum magno detrimento à muris repuliſſent & magnum eorum numerum interfeciſſent, tamen ipſorum vires quotidie attenuabantur. Iamque ad paucitatem defenſorum res peruenerat, & conſumptis telis,

Turcæ poſt eruptionem cautius verſatur in opere.

ignibus, tormentorumque pulueribus, ac imminuto militum numero vehementer de ſalute timere cogebantur. tantum tamen animorum ſpes maturi auxilij & Chriſtianæ claſſis, quam quotidie adſore ad eos obſidione liberandos ſibi perſuaſerant, faciebat, vt, cùm à fortuna à ducibus desererentur & tanto periculo premerentur, ac ſæpe à Muſtapha literis, quas Turcæ ſagittis alligatas in oppidum conijciebant, nunc minis nunc adhortationibus, quibus ſe à capienda vrbe miſeratione eorum abſtinere oſtendebat, quà duces quà populus variè ſolicitarentur; nemo tamen vocem de pace aut conditionibus ab hoſte petendis mittere auſus ſit: ſeu ſtupor ducum hic, ſeu conſtantia militum, ſiue inſidens animis omnium ſpes maturi auxilij fuerit.

Obſeſſorum in defenſione conſtantia.

MITTVNTVR Famaguſtam ad Aſtorem literæ, vt, ſi poſſet ſine graui incommodo rei publicæ, ſubſidio Nicoſiæ veniret. eas notis conſcribunt literas, ne interceptæ ab hoſtibus intelligantur: magna præmia perferentibus proponuntur. Obſeſſis omnibus vijs, miſſi intercipiuntur, noſtriſque à barbaris oſtentantur & omnibus cruciatibus in conſpectu necantur, quò ab ſimili auſu cæteri deterreantur. Tum Baptiſtam Scolumbanum, ſtrenuum ac ſolertem hominem, qui ducentis militibus præerat & magnam locorum illorum notitiam habebat, omnes rogant, vt pro communi ſalute periculum ne recuſet, & mandata ad Aſtorem perferat. Ille rem ſuſcipit & egreſſus noctu, occultiſſimis itineribus Famaguſtam peruenit: Aſtoremque de periculo Nicoſiæ edocuit orans atque obteſtans, vt vrbi in ſummo ſalutis diſcrimine poſitæ & maximè ab imperitia ducum laboranti ſubueniret. Ille ea copia quam habebat, & relinquere Famaguſtæ præſidium,

Miſſæ ad Aſtorem literæ intercipiuntur.

Baptiſta Scolumbanus ad Aſtorem peruenit

quod neceſſe erat, & auxilium Nicoſienſibus ferre non poterat. Tamen ne aut periculum deſugiſſe aut defuiſſe ſuam opem implorantibus videri poſſet, decreuit, quoniam non paſſuros ſuos arbitrabatur, clàm ipſe Famaguſta diſcedere ac eodem Baptiſta duce, ſi poſſet, Nicoſiam penetrare; quod maximè optari ab omnibus tum Cyprijs tum præſidiarijs, eoque imperante animum militibus acceſſurum ac nihil quenquam recuſaturum quod ipſe iniunxiſſet, Baptiſta aiebat. & ipſe Rocaſij & Danduli inſcitiam ac temeritatem cognitam habebat, quos defendendæ vrbi non eſſe intelligebat, qua amiſſa ne Famaguſtæ quidem conſeruandæ magna ſpes erat. Hæc agentem, cùm conſilium eius prolatum eſſet, circumſiſtit vniuerſa multitudo vel vi retentura ducem, ſi preces non valerent: & Bragadinus & Theupulus partim orando partim deterrendo peruicere, vt maneret. Reſponſum à Bragadino eſt ex omnium auctoritate, non videri è re publica eſſe aut inde diſcedere Aſtorem aut minui militum numerum, ne eodem tempore & ille in diſcrimen veniret & ſpoliata præſidio Famaguſta prædæ hoſtibus relinqueretur. & quanquam hanc ipſi retinendi eius cauſam negligerent, tamen ne eſſe quidem poteſtatis eorum illum dimittere, quòd & milites præſidio abituros, ſi ab duce deſererentur, & ciues populumque Turcis portas aperturos, nec amoto cuſtode ciuitatem in vltimi caſus periculum daturos, apertè denunciarent. Cum hoc reſponſo Baptiſta Nicoſiam redijt. Obſeſſi ea ſpe deiecti nuncios ad eos, quos initio belli in montes ſiluasq. conceſſiſſe memorauimus, mittunt oratum, vt delecta ex omni numero manu ſibi ſubuenirent: & in quanto periculo res ſit, demonſtrant. Ij quoque intercepti nuntij noſtris oſtentantur, vt

Aſtor Famaguſta Nicoſiã ire prohibetur.

omni deſperata ſpe ad deditionem tandem deſcenderent.

CETERVM Muſtapha, vbi intellexit neque promiſſis neq; minis moueri obſeſſos, & è ſuis magnum quotidie numerum morbis interire (quòd vel valida corpora intoleranda vis caloris proſternebat) & multos præterea ipſa oppugnatione abſumi; ne diuturnitate rei ſimul copiæ minuerentur & ſui ad pugnam milites ſegniores efficerentur, ſtatuit ſummam vim experiri ac totius exercitus conatu vrbem oppugnare. Iuuit hominis conſilium fortuna. nam fortè crebri illis diebus nuncij allati erant, detineri Chriſtianam claſſem ad inſulam Cretam impeditam valetudine: tantamque luem inuaſiſſe corpora, vt extinctis ampliùs viginti millibus hominum nec ipſa ſuffectura eſſet inſula his ſarciendis damnis; & ſerò Venetijs ſupplementa ad claſſem eſſe ventura. Itaque ad Pialeium ſcribit, vt, quando periculum à Chriſtiana claſſe iam nullum ſit, quæ implicita morbis ſolicita de ſua ſalute magis quàm de ferenda alijs ope eſſet, expeditam Ianizzerorum & claſſiariorum militum manum ad ſe mitteret: patefacto in muros Nicoſiæ per ruinas aſcenſu haud dubium quin ad ſocietatem victoriæ venturi eſſent. Ipſe Halijus detractis è ſingulis nauibus militibus cum magnis copijs venit, & multi ſpe prædæ excitati ſponte ſequuntur. Horum aduentu auctis viribus Muſtapha in diem tertium, qui dies fuit V. Id. Sept. oppugnationem pronunciat: quæ ad rem gerendam neceſſaria ſunt, intento ſtudio apparat, milites arma animoſque comparare iubet, eoſque per præfectos hortatur, vt reuocent priſtinam belli virtutem, quam ſi eo die præſtiterint, finem præmiumque adeſſe laborum: vrbem oppugnaturos, cuius munitiones ita perfregiſſent, vt à forti atque audente milite

Dicitur dies oppugnationi.

Suaſio ad oppugnãda acriter Nicoſiam.

euadi

euadi in muros nullo negocio poſſit: cum ijs hoſtibus dimicaturos, qui concuſſi metu, debilitati vulneribus, in aliena ope quam quotidianis nuncijs implorant, non in propria virtute ſpem ſalutis habeant. Itaque de victoria idem ipſi quod obſeſſi iudicarent, certamque ſibi eam, ſi viri eſſent, pollicerentur: & vnius quidem vrbis mœnia atque ea ſemiruta & patentia oppugnaturos, verùm in vna vrbe vniuerſi regni fortunis potituros. Ibi eſſe omnem Cypri nobilitatem, quam vnius diei conatu ſeruam ſibi eſſent effecturi, ibi diuitias, quantas multorum ſeculorum pax in ſumma rerum omnium affluentia ad Græcorum luxuriam & ſuperbiam congregare & accumulare potuit: haud profectò ſine cauſa contra ſe id oppidum tantis refertum opibus tanto opere Venetos munire conatos eſſe. ſed irent ipſi & oſtenderent Venetis, fide Turcarum quàm mœnium munitione tutiores eos fuiſſe futuros. Addit promiſſum, qui primus in muris conſtiterit, eum ſe ad Sangiaccatus ordinem promoturum: ſecundis item tertijsque præmia proponit. His excitati ſermonibus tanquam ad exploratam prędam inſtructis ordinibus quadripartitò prima luce ad mœnia ducuntur. Vt ſuprà demonſtrauimus, quatuor locis Turcæ opera effecerant ad quatuor vrbis propugnacula. Igitur eodem tempore Caramanus Baſſa Podocaterum, Muſaferus Conſtantium, Halijus Auilam, Tripolim ipſe Muſtapha ingenti clamore ac tympanorum & tubarum ſtrepitu inuadunt. Noſtri, etſi multarum rerum affecti difficultatibus propè ſine duce rem adminiſtrabant, tamen rati, Turcas aduentu Chriſtianæ claſſis vltimum conatum tentare, ac ſi is non ſucceſſiſſet, relicta obſidione ad mare redire decreuiſſe, conſiſtunt audacter in mœnibus, ſeque forti animo ad

Oppugnatur totis viribus Nicoſia.

defenſionem comparant, in eius diei euentu verti communem ſalutem intelligentes. Italicos milites, qui ſupererant, inter ſe (id enim roboris habebant) diſpartiuntur: tormenta idoneis locis diſponunt, quibus miſſæ ferreæ pilæ hoſtes ſubeuntes arceant: tela, ignes, miſſilia omnis generis in muros conferunt. His inuadentes ſummouent barbaros eorumque impetum adnixi vi refringunt, & cum magna cæde à mœnibus repellunt. His prælijs vt multo plures Turcæ quàm oppidani caderent, tamen multitudine hominum illi abundabant, viresque Halij & claſſiariorum aduentu auxerant. Itaque recentes feſſis vulneratisque aſſiduè ſummittebant; noſtris nullum quieſcendi tempus permittebatur. Hoc modo complures horas continenter dimicatum eſt. Nam Barbari quòd non continuò vicerant victoriam deſperare incipiebant, & ſegniùs iam murum periculumque ſubibant: oppidani quòd ſupra omnem ſpem hoſtes repuliſſent, ceperant animos. Quod cùm Muſtapha cæterique duces animaduertiſſent, coactis circa ſe vndique viribus increpitisque militibus, quos ab rudi militiæ populo atque agreſtibus tironibus, ſe dirutis & captis propè iam mœnibus prohiberi, non puderet, prædæ ſpe denuò oſtentata ſuos quiſque in muros impellunt. Tum noſtros multo iam labore defeſſos atrocior quàm antea oppugnatio excepit, ſe tamen ipſi non deſeruerunt: & qui reliqui erant Italici milites ac Cypria nobilitas cum familijs clientibusque ſuis in caſu eius diei conſiſtere ſalutem libertatemque ſuam cernentes confirmabant ſeſe, vt aut incolumes patria defenſa cum gloria inde diſcederent, aut infamem ſeruitutem decora morte præuerterent. Itaque qui propugnaculum, cui Conſtantio erat nomen, tutabantur, quod Baſſæ Muſafero

Noſtri egregiè ſe defendũt.

oppu-

oppugnandum obtigerat, audaciùs irruentes barbaros in foſſas proturbant, & ex pluteis, quos pro munitione idoneo loco Iohannes Suſominus excitauerat & tormentis ſcienter inſtruxerat, effuſa glandium procella magnam ſtragem hoſtium edunt. Idem faciunt quique ad Auilæ, quique ad Tripolis propugnacula curabant: elatique ſucceſſu laceſſebant vltrò & ad conſcendendum hoſtes inuitabant.

Rocaſij culpa Turcæ in muros euadunt.

FRANGI ea die ſpes hoſtium poterant defenſaque haud dubiè vrbs eſſet, niſi ad Podocateri propugnaculum, quod Rocaſius defendendum ſuſceperat, Caramanus Baſſa cæteris non tam virtute quàm fortuna præſtitiſſet. Nam Rocaſius ne illo quidem ſupremo rerum diſcrimine ſui diſſimilis fuit. reiectis primo incurſu hoſtibus cùm pugna paulùm remiſiſſet, ipſe in vrbem diſceſſerat, eumque & nobilium & militum multi erant ſecuti; quorum diſceſſus ſtationem illam magnopere nudauerat. Itaque maiori vi renouato impetu Turcæ in muros euadunt, noſtroſque area, quam accipiendis militibus rebuſque miniſtrandis propugnacula habent, multis interfectis depellunt. Illi ex nouo muro, quem, vt ſuprà oſtendimus, in oſtio propugnaculi effecerant, pugnant; ſed inſiſtunt victoriæ Turcæ, & area potiti inque eam magno ſuorum numero recepto noua quoque munitione noſtros deijciunt. Tum clamorem barbari tollunt ſuiſque victoriæ ſignificationem faciunt. Quæ res propugnantium animos deiecit, & libertini locum timore deſeruerunt ſeque præcipites in fugam dederunt. Nobiles & pauci Itali milites generis ſui haud obliti fortiter pugnando ceciderunt. Tum clamoribus ac tumultuoſis fugientium nuncijs reuocatus Rocaſius accurrit, ac teneri ab hoſtibus muros cernens con-

Italorum virtus.

globatis qui cædi ſupererant quosque ſecum traxerat, impreſſione facta reijcere hoſtes conatur: vbi nihil proficit, amens dolore ruit in mediam pugnam atque ibi cum Palatio & fratribus propinquisque ſuis interficitur. Illuſum eius cadaueri eſt à barbaris; nam infartum ſulphureo tormentorum puluere machinæque impoſitum ſubiecto igne in ſublime diſiecerunt. Vbi nemo ſuperfuit qui reſiſteret, omnem ſuorum multitudinem proſtratis munitionibus Turcæ in vrbem admiſere, ac protinus intento curſu ad Conſtantij propugnaculum, vnde hoſtes oppidani acriter repulerant & vbi ingens certamen accenſum erat, bipartitò pergunt. Noſtri intenti pugnæ atque ignari ſuorum, repentè ab latere per mœnia vadentem ad ſe' infeſtis ſignis hoſtium globum conſpiciunt: ſimul ab tergo vis & trux vlulatus barbarorum adoritur: & Muſaferus eodem tempore occaſioni non deeſt, ſuosque euadere in muros compellit. Hoc modo miſerabiliter circumuenti, cùm anceps vndique terror circumſtaret & neſcirent in quos potiſſimùm hoſtes impetum inferrent, omnes trucidati ſunt. Eadem Auilæ & Tripolis propugnaculorum fortuna fuit; quibus in locis propè vniuerſa nobilitas interijt, & quicquid roboris in vrbe fuit occiſum eſt. Randochius cum Epirotis, qui ſupererant, per auerſam portam ſe in fugam proripuit. Ioannes Falerius Venetus, qui centum equitibus præerat quos Franciſcus Contarenus Paphi Epiſcopus priuato ſumptu confecerat, ne inultus caderet, in hoſtes erupit ac primo impetu magnam ſtragem dedit, deinde multitudine obrutus atque equo deiectus cùm diu inter cadauera ſanguine ac vulneribus fœdatus iacuiſſet, viuus repertus atque agnitus à Muſtapha poteſtate facta pretio ſe redimendi eſt dimiſſus. Epiſcopus

ipſe,

Rocaſius & Palatius interficiuntur.

Nicoſia expugnatur.

Ioannes Falerius pretio redimit ſe.

ipſe, qui toto eo bello Nicoſiæ multa pietatis officia militibus ciuibusq. præſtiterat, atque remp. ſuis facultatibus iuuerat, ab ignaris, quis eſſet, inter ignobilem plebem eſt occiſus. Pugnatum inde paſſim per viarum anguſtias ſine ducibus, ſine ordine, ſine cuiuſquam imperio, vt quæque pars multitudinis armata hoſtibus occurrebat. Sed his paruo negocio aut interfectis aut in fugam coniectis, barbari ad cædem diſcurrunt. Ac primò quidem recenti ira ſine vllo ætatis aut ſexus diſcrimine, quoſcunque furentibus per vrbem ſors obtulit, ferrum hauſit: nec vllus aut formæ aut auri reſpectus irruentium impetum remoratus eſt.

HORRIBILIS facies florentiſſimæ nuper vrbis erat: cuncta ploratibus, ſtridoribus, eiulatibus quà morientium quà mortem deprecantium perſonabant. Proſiliebant nobiliſſimæ matresfamilias ad templa diuum arasque tendentes: per vias paruos filios aliæ trahebant, aliæ victorum aduolutæ pedibus veniam non ſibi, ſed liberis nutu, vocibus, plangoribus poſcebant. Nonnullas memorant, ne fœdæ Turcarum libidini ſubijcerentur, ſe ex altiſſimis ædium partibus præcipitaſſe: alias filiabus ſuis mortem intuliſſe, vt earum corpora à ſeruitute ac impuritate barbarorum vindicarent. Inter quas præteriri ſilentio non debet nobilis matronæ facinus. Ea cùm teneri ab hoſtibus vrbem accepiſſet, iamque trepidatione ac tumultu cuncta perſtreperent, proripit ſe domo, vt quæ fortuna viri, quæ trium filiorum quos pater ſecum in pugnam adduxerat, cognoſceret: ad mœnia ipſa vadentem refugientium impetus domum retruſit. Hìc comperit, virum filiosque egregiè pugnantes pro patria mortem occubuiſſe. Tum præceps dolore & ſtrepitu ingruentis in vrbem tumultus alie-

Captæ vrbis aſpectus.

Nobilis matronæ atrox factum.

nata

nata propè mente domum irrupit. Ei impuber filius eximia forma, quem vnicè diligebat, occurrit; quem complexa mater diu oſculo inhæſit, mox furiali percita pietate, Egóne, inquit, te, fili, tam ſæuis hoſtibus vile mancipium relinquam? tu iamiamque complexu auulſus meo barbarorum libidini ludibrium ibis? Simul hæc dicens pueri iugulum cultro transfixit, ſeque inſuper tribus vulneribus in pectus adactis interfecit. At Muſtapha vrbem ingreſſus per trucidata paſſim corpora perque fluentes vias ſanguine in forum vbi venit, eius iuſſu eſt impoſitus finis cædibus, edictumq. vt inermibus & ſe dedentibus parceretur. Ad id edictum abiectis armis omnis ſe multitudo victori permiſit. Dandulum, qui cum multis in regiam ſe receperat, dum ſuos ponere arma & Tutium Conſtantium, qui ſalutem impetraret, ad Muſtapham ire iubet, Turcæ effractis portis irrumpentes ipſum & qui cum eo erant ad vnum trucidarunt. Poſtremus omnium Hector Podocaterus, qui domum Iacobi Comitis Tripolis, cuius ſororem in matrimonio habebat (nam ipſe Iacobus paucis antè diebus, dum acerrimè mœnia tuetur, occiderat) cum armatis tenebat, hoſti ſe dedidit pactus non ſalutem ſolùm omnibus, ſed etiam vt coniuges viris, liberi parentibus inuiolati relinquerentur, omnibus copia redimendi ſe pecunia fieret, prædaque diuitis domus & multis pretioſis refertæ rebus Muſtaphæ eſſet. Sed data in has conditiones fides nulla apud barbarum fuit.

Dandulus, & alij trucidantur.

Fides apud Turcas nulla.

CONVERSVS inde ad prædam miles omnia crudelitatis, libidinis, auaritiæ exempla in miſeros edidit, atque vrbem opulentiſſimam momento diripuit. tantæque in vna ciuitate repertæ opes, vt rapinæ auidiſſima gens expleri pæne potuerit. Muſtapha, vt appareret,

parci

parci deditis, non miſericordia ſed vtilitate imperaſſe, vbi inutilem turbam infantum ſenumque à reliquis captis ſegregaſſet, in forum deductos ac in medium conuectos & coaceruatos circundatis ignibus immaniter cremauit. Cæſorum ea die numerus viginti millia exceſſiſſe dicitur; cum quibus feliciter actum dicebant qui viui in hoſtium poteſtatem venere, non eò ſolùm quòd excidio patriæ non ſuperfuerunt, ſed quòd mala ſeruitutis infinita miſeriasq. morte effugere. cernebantur enim ſequentibus diebus totis campis captiuorum greges longis ordinibus eadem catena vinctorum: ſub dio atque humi cubantes brutorum more paſcebantur macie, illuuie, ſqualore deformes: & cùm in pari calamitate coniuges, liberos, parentes aſpicerent, mutua miſeratione conficiebantur: ac in eadem ſeruitute ne idem quidem dominus matribus filijsque contigerat, quò ſolari ac opem ferre inuicem poſſent. Auellebantur veluti à ſuis membris in contrarias amandandi terras ſine ſpe ampliùs coeundi, omnia acerba atque infanda in eorum oculis paſſi, vt multi quotidie ſuperante ærumnas dolore deficientes in ipſis catenis exanimarentur. Præter captos Nicoſiæ, viginti millia hominum varijs locis ab Turcis abducta in ſeruitutem ſunt: qui omnes poſtea in Syriam Ciliciamque deportati væniere. Octo dies egerendæ prædæ atque vrbi exhauriendæ ſunt dati. ſed prædæ fructum vnius fœminæ facinus Muſtaphæ auertit. Duabus maximis nauibus pretioſiſſimam quamq. rerum, multam veſtem, & magnum argenti pondus, bellica tormenta, nobiles captiuos, delectarum fœminarum ac puerorum ingentem numerum ſimul partis bello opibus ſpolijsque oſtentandis, ſimul victoriæ munera regi mittens Conſtantinopolim deuehenda impoſuerat. Hæ naues dum

Muſtaphæ execranda crudelitas.

Cæſorum numerus expugnationis die.

Captiuorum miſeriæ.

Cypriæ memorabile facinus.

coniunctæ nouis vſque rebus infarciuntur, ventoſque ad proficiſcendum expectant, vna captiuarum, vt ſeſe ciuesq. ab illa fœditate morte eriperet, ei loco vbi ſulphureus puluis in vſum tormentorum aſſeruatur, ignem admouit: cuius vi incenſa ac diffracta nauis flammas etiam in aliam, quæ proximè ſtabat, tranſtulit. atque ita omnis incendio corrupta & abſumpta præda eſt: nec ex eo numero præter paucos nautas, qui nando ad littus applicuere, quiſquam euaſit. Capta Nicoſia & miſerabiliter direpta, qui ſe in montes receperant & ducibus Scipione Carraffa, & Paulo Syncliticо vagantibus per inſulam Turcis ſæpe detrimenta intulerant, iiſdem auctoribus nuncios ad Muſtapham miſerunt, & pacta ſalute victori ſe tradiderunt.

Cerines oppidum ſe Turcis dedit.

CERINES antiquæ munitionis oppidum nobilitatum Carlottæ reginæ conſtantia diuturnam in eo Iacobi fratris obſidionem paſſæ, vbi, quia Ciliciæ eſt obiectum, milites Itali & multi libertini generis in præſidio erant, nec ſine magno conatu capi videbatur poſſe, quòd eò tormenta pertrahere difficilis negocij erat; territo, qui præerat, Ioanne Maria Mudacio, miſſo ad id recipiendum Cilicum præfecto portas aperuit. Muſtapha, refectis vrbis munitionibus dirutiſque ac repletis operibus, quæ ipſe in oppugnatione inſtituerat, arma deditis adempta in vrbem comportauit. Paphum, Imiſſum, ac Salinas, qui præeſſent, dimiſit. Nicoſiæ Giafferum præficit: atque modico ibi relicto præſidio XIV. Cal. Oct. cum exercitu ad oppugnandam Famaguſtam profectus eſt. Præmiſerat captiuum ſeruum nullis cum mandatis, niſi vt caput Danduli deferret ad duces, id oratione efficacius ad terrendos Venetos ratus. Nihil ea ſpecies noſtros mouit, qui Dandulum

Itur ad oppugnandam Famaguſtã.

exi-

exiguam partem cladis eius eſſe ducebant, cuius cauſa ipſe fuiſſet: ſed tradito ad ſepulturam capite ipſi ſe in vltionem confirmant. Cùm ad vrbem acceſſiſſet, quà occidentem aſpicit, conſedit: &, vt vno tempore terreſtris maritimæque oppugnationis metum incuteret, eòdem Pialeium cum claſſe tranſire iubet. Sed miſſo qui oppidanos hortaretur, vt fidem potius quàm vim Turcarum experirentur, cùm, fretos duce præſidioque & mœnibus dicta aſpernari, qui miſſus erat retuliſſet, & inſtaret iam hiems, oſtentato tantùm terrore in hiberna conceſſit.

HAEC ea æſtate in Cypro geſta ſunt à Turcis, dum Chriſtianæ claſſes diſcordibus & animis & conſilijs, neque imperio neque viribus ſatis firmæ ad opem ferendam, vix ægrèque ſe expediebant. Duces ad XIII. Cal. Oct. vt ſuprà docuimus, Creta profecti Caſtrum Rugium (id loco eſt nomen medio inter Cretam Cyprumque) cùm veniſſent ſub noctem, inualeſcente vento applicare & capere portum diuerſi coacti ſunt. Zanius paulo infra oppidum, Columna ad Calamatam, quò Auria quoque, etſi negarat tutam ſtationem eſſe, ſe intulit: ſed poſt mediam noctem nòn admonito Columna egreſſus altum tenuit, & Columnam per epiſtolam certiorem tempeſtatis imminentis ſuique conſilij fecit, addens, ſi ventus vehementiùs vrgeret, Italiam ſe repetiturum. Quæ res non tam Columnam offendit, quàm inſidentem Venetorum animis de Auriæ voluntate ſuſpicionem confirmauit, vt palàm ferrent, nihil Liguri illi fidendum: nec tam eius ſperandam iam opem quàm vitandam fraudem eſſe, inter ſe fremerent. Sed ſequenti die prima luce egredientibus portu Aloyſius Bembus, quem ad explorandum præmiſerant, captam Nicoſiam potitoſque Auria ſuſpectus Venetis.

Accepto captę Nicolię nũcio itur à ducibus claſſis in cõſilium.

præter Famaguſtam tota inſula Turcas, nunciauit; quæ ille intercepto Rhodio nauigio Cyprijs ſpolijs onuſto cognouerat. Eo nuncio accepto, Auria ad Columnã redijt, ad quem & Zanius & Veneti duces conſultaturi, quid fieri oporteret, eodem tempore conuenerant. Habuerat antea conſilium ſuorum Zanius, & ijſdem Pallauicino & Celſo Cypriam profectionem damnantibus cùm Canalis quoque poſt nuntium de Nicoſia acceſſiſſet, quanquam Venerius & Quirinus & cum his Franciſcus Duodus, qui Galeatijs præerat, & Sanctus Tronus, tum porrò maximè eundum, cenſerent, hoſtemque occupatum præda, & victoria ſolutum aggrediendum; tamen, quia horum ſententiæ par ius non erat, trium voluntas apud idem cupientem ducem magis valuit. Itaque cùm coacti in conſilium ad Columnam plerique, redeundum in Cretam cenſerent, ſilentio aſſentiente Zanio decretum fuit, vt omiſſa Cypro aut Chalcidem in Eubœa aut aliam opportunam vrbem ex itinere oppugnatum iretur: nec tamen præ turba, quò potiſſimùm eundum, decernitur, ſed extemplo ſolutis nauibus cum tumultu ac feſtinatione, vt cuique commodum, nullo ſeruato militiæ ordine abierunt. neque diſiectæ ventis priuſquam Cretam attingerent claſſes vſquam coiuerunt. Ad Carpathum tempeſtate delati duces fortè conuenere: cumque omnes in Zanij nauem tranſijſſent, ijs Auria, incommodo anni tempore longius ſibi inſtare iter dicens, nec ſui vſum iam vllum fore, nunciauit velle ſe in Siciliam redire. Zanius veritus ne Turcica claſſis vbi audiſſet, Chriſtianos non auſos ſuis opem ferre à Caſtro Rugio retrò abiuiſſe, ad inſequendum præſtò eſſet, vehementer ab Auria contendit, ne ſocios quibus auxilium laturus venerat, in medio periculo deſereret,

quando ne manſurus quidem eſſet vltra id tempus quod ſibi ipſe præſtituerat. Idem Columna poſtulabat: admonuitque Auriam, quàm ea res offenſura Venetorum animos & à rege alienatura eſſet. Illo nihilominus in ſententia permanente, nec ſe docendum eſſe, dicente, quid regis ſui rationibus conduceret; Columna, quam cuique eorum poteſtatem rex mandaſſet, meminiſſe eum arbitrari, dixit. cùm ille, meminiſſe verò, reſpondiſſet; Columna, Sicut ipſe, inquit, iuſſus alteri parere non fuiſſem recuſaturus, ita ne te quidem grauatè mihi dicto audientem eſſe decet. Auria, non ſubiectum ſe eius imperio à rege, ſed ſequi eum atque adiutare iuſſum eſſe quem Pont. Max. claſſi præfeciſſet, reſpondit. Tum Columna afferri regis literas allatasque legi imperauit, poſtulauitque ab eo, ſi contraria vtrique mandata rex dediſſet, ea vt proferret: negante Auria, ſibi rationem poteſtatis ſuæ alteri quàm regi reddendam, à conſilio per altercationem eſt diſceſſum: & Auria, cùm in ſuam nauem ſe recepiſſet, continuò ſublatis velis abire perrexit; nec tamen pudore deterritus antè in Italiam rediјt, quàm iterum in Creta expectatum Venetum præfectum adijſſet, quo ſalutato claſſem in Siciliam reduxit, protinusque in Hiſpaniam cum duabus triremibus ad regem abijt. Hæc Auriæ duritas, &, vt Veneti interpretabantur, callida auxilij ratio earum ſuſpicionum origo fuit, quæ nouis ſubinde auctæ offenſionibus magnum ad reliquas res & conſtituendas & gerendas impedimentum poſtea attulere.

Columnæ cum Auria altercatio.

Auria claſſem in Siciliam, ſe in Hiſpaniã trãſfert.

ZANIVS & Columna agitati tempeſtate ſeriùs in Cretam venere, magna parte nauium in itinere relicta, quæ ob paucitatem remigum æquare reliquarum curſum nequiuerant, aliquot etiam amiſſis, quæ magnitudine

æſtus in littus eiectæ & comminutæ ſunt. Nec tutos ſe in Creta exiſtimantes ſi Turcica claſſis eos aſſequeretur, iuſſo Pallauicino relictas naues excipere, ſubſidiumq. Famaguſtanis mittendum expedire, & Quirino cum xxv. nauibus ad cuſtodiam inſulæ manere, Corcyram ipſi itinere ſimillimo fugæ contenderunt; quò Pallauicinus quoque haud multò pòſt cum reliquis nauibus ſuperuenit. Haud quiſquam eorum inficiabatur, ſi Turcæ celeriter inſecuti eos adepti fuiſſent, quin deleri tota claſſis paruo negocio potuerit. Sed Pialeius poſt captam Nicoſiam Famaguſtam tranſierat, ſi duplici metu incuſſo oppidani ad tradendam vrbem impellerentur. Id agenti nunciatur, Chriſtianas claſſes è Creta profectas ad opem ferendam aduentare: Quod cùm præter ipſius & omnium iam opinionem accidiſſet, magna trepidatio fuit cùm prædam captiuosque, quibus onerauerant naues, in terram exponentium, tum conſcendentium militum ac ſe inuicem impedientium. Sedato tandem tumultu ſe in altum explicuit aciemque conſtituit: & Muſtapha in littore copias quotidie inſtructas habuit quò ſuis animos adderet, ſi nauale certamen committeretur. Verùm haud multò pòſt, ceſſiſſe retrò Chriſtianos ac repetere Cretam, affertur. Tum fugam metumque noſtris obijcientes &, ſi non partam, conceſſam certè naualem victoriam, clamoribus gratulationibusque celebrantes recepta iterum præda Rhodum traiecere. Hinc Pialeius cum centum delectis nauibus inſequi Chriſtianos inſtitit: ſed benignitate Dei illam à nobis cladem auertentis vehementi repulſus vento redire Rhodum coactus eſt; atque inde Bizantium ſe recipit: increpitumque vehementer à rege ferunt, quòd tantam è manibus extinguendæ Chriſtianæ claſſis, ac pro-

Zanius & Columna Corcyrã ſe cum claſſe recipiunt.

fligandi

fligandi belli occaſionem emiſiſſet. Columna & Pallauicinus cùm Corcyra, relicto ibi Veneto præfecto, ſoluiſſent, pæne obruti tempeſtate periere. & quidem cùm Columna adnixus remis ægre ſe in Catari ſinum iniecisſet, repente malus nauis eius fulmine ictus conflagrauit; nauemque ipſam ita incendit, vt vix appulſa littori homines, tormentaque ſeruata ſint. Inde Ironi naue conſcenſa quem ſubitò ad ſe euocauerat, vbi ira maris deſæuiſſet, profectus, noua veluti inſidijs orta procella, tantùm non abſorptus fluctibus paulò infra Raguſium ad terram impulſus nauem fregit: omnibus tamen incolumibus in littus cùm euaſiſſet, ingenti diſcrimine, ſi naufragium eius Turcæ qui illa loca tenent perſenſiſſent, eam noctem tranſegit in ædicula, quam forte nactus pro tempore communierat. Mane ſummo miſſis à Raguſio equis vrbem eſt ingreſſus, quò Pallauicinus quoque pari agitatus periculo eodem tempore venerat. Ita eadem perſequente ac defendente fortuna, naufragio incendioque defunctus Columna Romam, Pallauicinus Venetias rediere.

Columnę ac Pallauicini fortuna …

[illegible]

EODEM tempore quo hæc gerebantur, triremes duæ Venetæ, quæ Catari ad cuſtodiam vrbis ſinusque relictæ erant, negligentiâ præfectorum à Turcis Caſtellonouum in aduerſa ſinus ripa obtinentibus occupatæ ſunt. Qui, eo præſidio hoſtibus detracto, armatis aliquot nauigijs omnia circùm rapinis & excurſionibus infeſta habebant; & Catarum ipſum pæne obſeſſum inopia rerum tenebant: Itaque coacti Veneti ſunt eò Hermolaum Theupulum cum quatuor triremibus ad tuendos ſocios mittere. & repreſſit quidem Theupulus hoſtium audaciam tutamque Catarenſibus frugum perceptionem præſtitit; ſed relictas inde ab ſe triremes tanta peſtilentia inuaſit, vt breui extinctis omnibus homini-

Turcę prę ſidiarias Catari naues eripiunt.

bus naues ſubductæ atque deſertæ ſint. Magna quoque oneraria nauis, quæ Venetijs profecta Corcyram petebat, commeatus, pecuniam, veſtimenta ad claſſem ferens, aduerſis ventis in eundem Catari ſinum illata cùm contra Caſtellonouum tranquillato repentè mari reſediſſet, multis tormentorum ictibus ex oppido petita, metu perterrita contrario littori applicuit, &, omnibus ſe militibus nautisq. in terram eijcientibus, inſperata Turcis præda ceſſit, qui re animaduerſa, vbi verum metum eum, non dolum eſſe intellexerunt, quatuor nauigijs aggreſſi deſertam nauim ceperunt, onuſtamque inſigni præda abduxerunt. Duæ item triremes, quarum alteri Franciſcus Priolus alteri Angelus Sorianus præerant, à Zanio ſpeculatum miſſæ in quinque Turcarum triremes inciderunt. Sorianus conſpectis hoſtibus celeriter in fugam euaſit: Priolus, vbi ſe propiùs deprehenſum ſenſit quàm vt effugere poſſet, cohortatus ſuos, vt decoram mortem turpi ſeruituti præferrent, incitatis remis in aduerſas naues inuaſit, nec ante pugnæ finis fuit, quàm ſuis ferè omnibus interfectis Priolus maximè cruentam victoriam relinquens hoſtibus cecidit. Multa & in Dalmatia accepta incommoda ſunt, cum Turcæ equitatu pollentes ex omnibus agris Chriſtianos in oppida compuliſſent, demeſſiſque aut corruptis frugibus in magnas frumentariæ rei anguſtias redegiſſent. Quæ omnia & ſi grauia, in ipſo præſertim rerum initio, Venetis acciderent, tamen auerſis omnium animis in cogitationem claſſis, in qua ſumma rerum agebatur, eius ſpe ſuſtentabantur. Igitur amiſſam Nicoſiam & ſe poſſeſſione inſulæ pulſos, turpemque Zanij & aliorum fugam amiſſasque varijs caſibus duodeuiginti naues tantò dolentiùs accepere, quantò magis infinito ſumptu

Alijs pariter nauibus potiuntur.

Prioli virtus, & mors.

compa-

comparata claſſe, Pij & Philippi auxilijs ſuffulti, non propulſari ſolùm à Cypro, ſed nauali quoque prælio vinci poſſe Turcas, crediderant; eiusque rei paulo antè falſum gaudium & ipſi perceperant & alijs impartiti fuerant, cùm conſtans rumor Venetias pertuliſſet, pugnatum cum Turcis proſperè eſſe, victores Chriſtianos fugatis hoſtibus inſulam periculo liberaſſe; vt ſibi ipſi ridiculi viderentur, qui temerè vulgatam famam pro re certa Pio regibusque nunciaſſent.

Falſus rumor liberatæ periculo Cypri.

TOT aduerſis perculſa rebus ciuitas vix in reliquum tempus conſilia explicabat: hinc tanto imminente hoſte, qui in viſcera iam imperij inuaſurus eſſet, hinc reſiſtendi ſpe imminuta, cernentibus aut ſera Hiſpanorum auxilia, aut calliditate præfectorum parum vtilia fore. Sed & vniuerſa Italia cùm tot mœſta funeribus, tùm anxia præpotentis hoſtis auctu Auriam quidem & Hiſpanos incuſabant, qui, debilitari rem Venetam ac periculoſo detineri bello, impiè lætarentur, verùm in Venetos ipſos magis inuehebantur, qui nec Cypro pro magnitudine impendentis belli ſatis proſpexiſſent, inſulam ſine duce ac ſine exercitu habuiſſent, & ipſi claſſi, in qua omnes ſpes tuendæ dignitatis ſuæ locauerant, nec idoneum rectorem dediſſent, & tanta vbique ob multitudinem peculatorum commeatus inopia fuiſſet, vt miles noxijs altus cibis morbos contraxerit, quorum contagione tanta clades accepta eſſet. Querebantur præterea, ſuperbè ac iniurioſè à Venetis nauarchis ciuibusque habitos ac ſæpe ita contemptim tractatos, vt ſi cum remige ac miniſtro Venetæ cymbæ, cui generi domi imperitare illi aſſueſſent, non cum liberis atque ingenuis res fuiſſet. Vnde non ille modò ardor, qui initio fuit, ad bel-

lum

lum refrixerat, ſed planè defuturi, qui militare ijs ampliùs vellent, videbantur; vt coacti ipſi ſint rerum capitalium damnatos exulesque reducere, qui aut milites fierent aut remiges darent, ſtatuto pro cuiusque noxa, quamdiu quotq; cum hominibus eam operam reip. præſtarent. Sed his vocibus quæ in curiam quoque ſenatumque peruenerant commoti, quò abeſſe publicam fraudem omnes intelligerent exemplaque in poſterum ſtatuerentur, & ſcirent Veneti ciues, ita foris imperia exercenda, vt domi interrogandi eos legibus reosque agendi vel humillimis poteſtas futura eſſet; quæſtionem Patres decernunt de his, qui priori anno remp. adminiſtrarant, qui aut diſſolutè imperaſſe aut negligenter imperata feciſſe, qui militem naualemùe ſocium aut vllum omnino hominum iniuria contumeliaque affeciſſe, qui publicam pecuniam auertentes mandatis muneribus minimè ſatisfeciſſe dicerentur. Triumuiros, qui huic quæſtioni præſint, principes ſenatorum Iohannem Mocenicum, Federicum Valareſium, Nicolaum Contarenum creant, atque in huius locum, qui ſtatim magiſtratu inito mortuus eſt, Gaſparem Ranerium ſufficiunt. Triumuiri quæſtione habita ipſum Zanium præfectum claſſis euocare ad cauſam dicendam ſtatuunt. Is Corcyram cùm rediſſet, ſentiens quàm aduerſa fama laboraret; quod futurum rebatur, anteuertit poſtulare vt ſucceſſor ſibi mitteretur, nec eius poſtulatis vlla à ſenatu mora facta eſt. Creatus in eius locum Sebaſtianus Venerius abſens effuſa in eum ciuitatis gratia, quòd Sopotum initio ſtatim belli cepiſſet, quòd Cypriam legationem, defugientibus alijs, nihil territus tanta mole belli, cùm excuſari ætate poſſet, non abnuerat; quòd denique poſt Nicoſiæ caſum eundi cum claſſe in Cy-

Zanio ſufficitur Sebaſtianus Venerius

prum

prum auctor fuerat. Præferoci atque animi nimio ſeni (& ſeptuageſimum exceſſerat annum) moderatorem Auguſtinum Barbaricum legatum addidere, virum in quo grauitas & prudentia & in rebus obeundis dexteritas paria erant. Augustinus Barbaricus Venerio additur. Hic abſente Venerio, qui incertum erat an in Cyprum profectus cum ſubſidio eſſet, ſummum apud claſſem imperium obtinere iubetur. Cum eo miſſus lictor à triumuiris qui Zanium in vincula coniectum Venetias deportaret, ratis, arrepto tam inſigni reo, & cæteris plus terroris, & iuſtitiam ſenatus ac ſeueritatem clariorem apud Italiæ populos fore. Crimini dabatur, quòd exercitum licentia ſolutum nulla diſciplina continuiſſet: Venetis ciuibus cuncta per ambitionem indulgendo additam magis arrogantiam aduerſus milites ſociosque, quàm repreſſam ab eo eſſe: publica poteſtate ad priuatum quæſtum abuſum, nec animo nec conſilio parem mandato honori fuiſſe: &, quo grauiſſimè premebatur, ſenatus iuſſum eundi cum claſse in Cyprum, ſubornatis legatis qui contradicerent, eluſiſſe. Obiecta Zanio crimina. Zanio dignitate & inuidia proximus fuit Iohannes Legius Dalmatiæ legatus, quem Iuſtinianus ad cognoſcendas res in Dalmatiam miſſus iuſſum prouincia decedere apud triumuiros, adiuuante Iulio Sauorniano, vehementer accuſauit, tenuitq. vt, dum iudicium de eo perfectum eſſet, reus in carcerem mitteretur. Iohannes Legius item accuſatus. Huic actum per ludum ac luxuriam omne tempus obijciebatur: grauem ſocijs, contemptui hoſtibus fuiſſe: non interuertiſſe ſolùm publicam pecuniam, ſed à ciuitatibus cepiſſe arguebatur: ſæpe militibus pro ſtipendio coemptum ab ſe frumentum caro menſum eſſe: veſtimenta quoque pari cupiditate ac ſordibus in mercatoris magis quàm legati morem vendidiſſe: & ab imperitia & vanitate ma-

gnum Sauorniano ad res gerendas impedimentum attuliſſe, acceptaque eius culpa grauia incommoda in ea prouincia eſſe. Concuſſerant metu omnium animos duo ciuitatis principes (& maximè Zanius in tanto nuper imperio conſpectus) in publicos carceres conditi; ac, ſi recenti ita obiecti triumuirum iudicio eſsent, haud dubie ſecutura damnatio fuit. Sed amici atque affines eorum, prolatando atque extrahendo, rem eò perduxere vt prius triumuiri magiſtratu abirent (nam in annum modò creati erant) quàm iudicata cauſa eſset. Seneſcente deinde inuidia ac mollitis iam animis in XL.virale iudicium adducti, ambitione ac reſpectu priſtinæ dignitatis non ſolum Zanius ſed Legius quoque, qui liquidò nocens habebatur, defenſus atque abſolutus eſt. Sic illa noua conſtituta quæſtio expectatione quàm re terribilior euaſit. Sed Zanius abſolutione ſua non expectata, dolore animi ac diuturnæ cuſtodiæ moleſtia antè mortuus eſt, quàm è carcere mitteretur. Vir curię quàm caſtris aptior, & in mercatura quàm in imperio felicior. A parente tam tenue patrimonium accepit vt gloriaretur, præter pictam tabulam nihil ſe paternæ hæreditatis adijſſe. Profectus in Syriam adoleſcens tanta induſtria in negocijs prius alienis deinde ſuis verſatus eſt, vt domum rediens in locupletiſſimis ciuibus ſit habitus, mox etiam in principibus: tanto enim ſplendore forum eſt ingreſsus, ea comitate officia ambitionis obiuit, vt ad ſummos honores euolaſse videretur: eo ciuitatis fauore, vt in petitione principatus à Mocenico non tam gratia quàm factionis & affinitatum opibus ſuperatus ſit. Euectus inde ad præfecturam claſsis, qui eſt ſupremæ & extra vrbem regiæ poteſtatis magiſtratus, felicitatem ſuam non cepit.

Zanius & Legius in carceres coniecti.

Vterque qua ratione ſit abſolutus.

Zanius moritur: eiuſdem elogium.

PIVS interea poſt reditum Columnæ, cùm Chriſtianorum fortunæ indoluiſſet, ad remp. tanto afflictam vulnere ſubleuandam conuerſus Philippum Venetosq; (rem priore anno cœptam) impenſiùs iam in ſocietatem ſolicitabat. In Venetorum ſenatu diu diuerſis ſententijs certatum fuerat, & ab aduerſantibus nouo & antè parum proſperè inito fœderi, celebrata poſtrema morientis oratio Hieronymi Grimani grandis natu & clari ea tempeſtate ſenatoris, qui, cùm Venetias ad indicendum bellum legatus a Turcis venit, propè animam agens conſultus à circumſtantibus amicis de bello, Nunciate, inquit, Patribus, aut cedant impotentiæ tyranni & pacem quacunque conditione retineant, aut ſi (quod honeſtius eſt) bellum magis placet, abſtineant implicare ſe Hiſpanico fœdere: ſuo ipſi marte, edito ſupremo virium conatu, maturent cum hoſte confligere, Cyprumque ante omnia valido præſidio firment. Nec Pont. Max. ijs deerit: & Philippus ipſe ad tuendam Chriſtianæ pietatis opinionem non commiſerit, vt ſine eius auxilijs in certamen de ſumma rerum deſcendatur: & voluntariam opem tantò promptiùs feret, quantò minùs indigere nos ſentiet. & ſenatus ſolutus fœdere ſuarum rerum arbiter erit, & ex eius maximè auctoritate, non ſemper alieni ducis imperio, bellum adminiſtrabitur. Hæc quanquam mouebant, tamen & infamiam apud omnes Chriſtianos odiumque, ſi pax fieret, proditæ barbaris rei publicæ magis verebantur: & cernebant, ſuperbis hoſtibus tantò inde contemptui fore, vt breui tota decedendum Græcia, aut bellum alieniore tempore patiendum. Ad has cauſas cùm aſſiduæ Pij cohortationes accederent, inclinarunt ad ſocietatem animi.

Hieronymi Grimani de fœdere iūgendo ſentētia.

NEC

Fœderis ab Hiſpanis ineundi cũ Venetis diſſuaſio.

NEC minùs regi Hiſpaniæ deliberatio in ambiguo fuerat, cùm de fœdere in conſilio amicorum retuliſſet, contendentibus quibuſdam, nullo omnino fœdere opus eſſe aduerſus Turcas, qui longè alio orbe dominarentur: ac tueri parta, non noua quærere regna regem debere, præſertim in ijs terris, vbi plus negocij quàm fructus vel latiſſimè propagatum imperium eſſet allaturum. Quòd ſi tanti ſit proferre fines, cur ſuam occaſionem rex omitteret Africam inuadendi, dum Veneto bello Turcæ diſtinerentur, in qua ſimul importunos Hiſpaniæ vexatores Algerienſes prædones eſſet vlturus? At fœdere illigati maximam partem virium Venetis acceſſuram illorumque militaturam commodo. ipſos denique Venetos nec animis nec facultatibus pares, quod antè ſemper feciſſent, ſine vllo pudore deſertis in medio bello ſocijs repentè cum hoſte pacem renouaturos. Ad hæc periculoſum eſſe, aiebant, implicito inteſtinis ſeditionibus quà Maurorum vixdum à recenti defectione ſatis quieſcentium, quà Belgarum quotidie magis inualeſcentium, claſſem omnem exercitumque in Græciam & Aſiam vſquè amandare; inſenſis præterea Germanis, infidelibus Gallis & conſilia cum Aurangio miſcentibus. Hæc ferè, qui tantùm Hiſpaniam norant. At quibus rerum maior vſus ſcientiaque erat, negare, vllam in partem id vtile conſilium eſſe. primùm enim, ſi Veneti deſerantur, ijs cedentibus & ſuccumbentibus Turcarum potentiæ, videndum eſſe, ne in Hiſpaniam omnis inde belli tempeſtas vertat, cùm de eo deliberatum magnis contentionibus inter Purpuratos Bizantij eſſe conſtet. Deinde, ſi tantæ vires Venetorum ſint, vt vinci ab ijs Turcæ poſſint, regem victoriæ eius expertem eſſe non oportere: ſin Veneti aut

Suaſio.

bello ſuperati, aut data à victore pace ſubacti concidiſſent, tanta eius rei inuidia laboraturum eſſe regem (qui fœdere negato non Venetis defuiſſe, ſed publicam Chriſtianæ fidei cauſam prodidiſſe feretur) vt, Chriſtianis populis alienatis, offenſo grauiſſimè Pont. Max. auctis noua victoria Turcarum opibus, vix defendendæ Italiæ ſpes, nedum Africæ frænandæ ſatis explorata futura ſit. perpaucis horis traijcere Turcas ex Epiro copias Hydruntum atque in Italiam poſſe maiores quàm quantæ obijci eis poſſint, ſi oppreſſi Veneti ſe commouere non audeant. tum Gallos Germanosque timendos eſſe: non cùm opulentiſſimam ciuitatem atque ipſum Pont. Max. cuius auctoritatem omnes Italiæ principes ſequuntur, & verentur exteræ quoque nationes, ſocietate coniunctos rex haberet: quis enim pio intentum bello, aut tot ſuccinctum ſuis ſociorumque viribus laceſſere audeat? Quin ei accipiendam eſſe vltro oblatam facultatem augendi famam & opinionem Chriſtianæ religionis, qua maximè eius imperium nititur, & nulla ſua cum impenſa gerendi nobile bellum. nihil enim regem à Pio propagandæ, non ſolùm tuendæ Chriſtianæ reip. cupidiſſimo huius rei cauſa non impetraturum, & eo iubente, quantam vix bellum abſumat, ex ditibus Hiſpaniæ ſacerdotijs pecuniam erogaturum: & ſiue perſeuerent in bello ac ſocietate Veneti, fructum ex eo regem capturum, ſiue inhoneſta pactione cum hoſte componant, eorum inuidiam in gloriam regi fauoremque verſuram. Philippi animus etiam religione & ſtudio Chriſtianæ pietatis tangebatur, ad quod cùm vtilitas quoque, maximum ad mouendos regum animos momentum, accederet, detinendos Turcico bello Venetos, decernit: atque accerſito Pij legato reſpondit, ſibi quidem

Philippi Regis de fœdere deliberatio.

K impe-

impedito domeſticis motibus nihil eo fœdere opus eſſe quod arma longè ab domo in Orientem transferret ; ſed tamen vt, quanti ſibi Pontificis Max. maieſtas ſit, & quàm omnia non ſua vtilitate,ſed Chriſtianæ reip.commodo metiri ipſe ſoleat, omnes intelligerent, ſtatuiſſe ſe à Pontificis auctoritate non diſcedere, literasque Romam Granuellano & Pacieco Cardinalibus & Iohanni Zunigo legato ſuo daturum, vt fœdus in quas maximè conditiones Pius iuſſiſſet cum Venetis ferirent.

QVAE mandata cùm allata Romam eſſent, & eadem Venetorum quoque legatus multò antè ab ſenatu accepiſſet, cœptum eſt agi de fœdere, cuius conciliandi negocium Pius ſex Cardinalibus dederat. Fuere hi Iohannes Moronus eius ordinis princeps, Petrus Donatus Cæſius, Carolus Craſſus, Iohannes Aldobrandinus, Michaël Bonellus cognomento Alexandrinus, & Hieronymus Ruſticucius: quibuscum legatis Philippi ac Venetorum ad ſe conuocatis, orationem habuerat pleniſſimam dignitatis & ſummi in Chriſtianam remp. ſtudij. Exorſus à Deo, eum offenſum iratumque nobis merito noſtro, precibus, ieiunijs, cultu Chriſtianæ diſciplinæ placandum inprimis docuit: atque in commemorandis Chriſtianorum populorum delictis, quibus quotidie magis cæleſte à nobis Numen alienatur, vnde tot debilitata malis reſp. tot plagis afflicta ac deformata iacet, ea dicentis religio pietasque enituit, ea commotio animorum ipſius cæterorumque fuit, vt nemo tenere lacrymas potuerit. Commendatos deinde prudentiæ laudibus cùm, quantum in ipſis poſitum eſſet ad ſalutare negocium ex ſententia & è re publica conficiendum, admonuiſſet; vehementer hortatus atque obteſtatus eſt, vt non

Cardinales ſex fœderi componendo præpoſiti.

Ad eos, & ad legatos Pij oratio.

viribus quàm animis iungendis magis intenderent, & publicam agitari ſalutem in eo conſilio eorum commendatam fidei cogitarent. tum maximè maturato opus eſſe oſtendit, quò inſula Cypri, expulſis ex ea barbaris, retineretur cùm alijs vtilis rebus, tum opportuna repetendis Hieroſolymis & locis, vbi Chriſtus Deus humano indutus corpore myſteria ſalutis noſtræ operatus eſt. Poſtremò ſeipſum obtulit paratum neque ætati neque vitæ parcere pro Chriſtiani nominis gloria, ſiquem vſum ſui eo bello fore cenſuiſſent. Ab hac oratione cùm Pontifici actæ ab omnibus ingentes gratiæ eſſent, poſtulatum à Granuellano eſt, vt conditiones fœderis proponerentur: quod Pius ſequenti die facturum ſe oſtendit. Sic, multis habitis inter legatos de ratione gerendi belli ſermonibus, concordibus animis ea die diſceſſum eſt. Erat in ſpeciem factu facile, ſed tractatu arduum ac ſpiſſum negocium. neque enim idem vtrique propoſitum habebant. Hiſpanis ſicut non vtile erat, latiùs in Græcia atque Illyrico propagari Turcarum opes; ita attenuari in Italia Venetorum potentiam cupiebant. hinc propulſari vim quàm inferri, & bellum quàm victoriam malebant. Venetorum longè alia mens: trahi bellum pro exitio putabant, cùm neque ſumptus diu ferre reſp. poſſet, & cogendis ciuitatibus pecuniam conferre ac remiges dare alienabant ſociorum animos: & agrorum cultus ſubtractis operis omittebatur. ita omnium ſimul rerum difficultatibus circumueniebantur. Quare decertare præoptabant, quò citò aut victoria aleretur aut pace finiretur bellum. Ex his cauſis variantibus ac in diuerſa tendentibus conſilijs, tantæ contentiones de ſingulis rebus fuerunt, vt ſæpe dirempta & abiecta res eſſet, niſi Pij conſtantia ac ſtudio ſuſtentata ac

Hiſpanorum. & Venetorum diuerſa belli conſilia.

Pij conſtantia in fœdere promouendo.

ſæpe reſtituta fuiſſet, nunc minis nunc precibus quà Hiſpanos quà Venetos continentis. Cùm ſatis in alijs concordes in alijs conuenire nullo modo poſſent, vtriſque rem ad ſua conſilia trahere & accommodare nitentibus, ſtatuūt, vt fœderis formula in Hiſpaniam ad regem ac Venetias ad ſenatum mitteretur, eorumq. voluntates expectarentur: interea fama in vulgus perculſi fœderis ederetur. Id quidem regij magis non negarunt petentibus Venetis, quàm præſtiterunt: famam iunctæ ſocietatis captare eos ſuſpicati, quò tolerabiliores inde conditiones pacis ab hoſte auferrent.

SED Veneti ea accepta formula, in qua aliquot erant capita quibus ciuitatem obligari prorſus nolebant, irati Soriano legato, quem non ſatis conſtanter refellere regiorum poſtulata, nimiumque bello ac fœderi ſtudere inimici accuſabant; collegam ei Iohannem Sorantium creant ſubitòque Romam proficiſci iubent, hominem auerſum à ſocietatis conſilijs, & cui nec ſatis vſus & confidentiæ plurimum erat. Eius aduentus æquè rebus incommodus & Pio moleſtus fuit, qui vſqueadeo ab hominis ingenio abhorruit, vt prohibiturus eum aditu ac diſcedere Vrbe iuſſurus fuerit, niſi veritus eſſet, ne ex eo Soriani inuidiam oneraret, quem ob eximiam prudentiam & integritatem, & non vulgarem, vt in Veneto homine, diuinarum rerum doctrinam mirè charum acceptumque habebat, ac pari fide induſtriaque rem ab eo publicam eſſe geſtam prædicabat. Ipſo ſtatim initio aduentus ſui crebris Granuellani ac reliquorum interrogationibus vexato ac exaſperato Sorantio, & Soriano ab indignatione morbum, ne conſilijs intereſſet, ſimulante, abire cuncta in deterius; vt Cardinales, quos Pontifex conciliatores inter regios Venetosque conſtituerat, ſæpe

Iohannes Sorantius Soriano collega additus.

Soriani laus.

deſpe-

deſperatio ceperit rei ex ſententia perficiendæ. Sed, Pio ipſo incredibili aſſiduitate ac perſeuerantia omnibus ſemper incommodis occurrente, poſt infinitas altercationes ad extremum compoſitis conuentisq. alijs, vnum modò reſtabat, quod rem diſtinere videretur. Contendebant magnopere regij, vt eius belli imperatorem Philippus daret; qui maximam partem ſumptus ſuſtineret. Id Veneti prorſus recuſabant. cùmque tribueret hoc Pius dignitati regij ſanguinis, vt Iohannes Auſtrius (erat is regis frater ex pellice natus) in eo honore cæteris præferretur; id quoque ad Columnæ dignitatem impediendam petebant Hiſpani, vt eidem Iohanni ius eſſet, quem vellet, legatum ſibi cum imperio ſubſtituendi, quoties abeſſe à claſſe belloque ipſum contingeret: hac ſcilicet via (quod apertè auſi non eſſent) Auriæ aut Aloyſio Requeſentio Zunigæ fratri nauale imperium ſtruentes. Veneti, etſi id quidem maximè nolebant, tamen quia ea re Pontificis auctoritas minui videbatur, ipſumque per ſe retinendæ dignitati ſuæ eſſe intelligebant, quaſi nihil eorum intereſſet, totum id ad Pium reijciebant. qui ſe Iohanni, ſi bello intereſſe vellet, imperium traditurum libenter oſtendit: eo excepto ne auribus quidem alium, quàm quem ipſe imperatorem iuſſiſſet, admittebat. Perſeuerantibus nihilominus abnuere regijs, &, regem ipſum conſulendum, dicentibus, Pius iuris ſui vir retinentiſſimus extemplo tabellarium magna celeritate in Hiſpaniam miſit, qui literas regi ferret ita acribus ſcriptas verbis, vt Philippus cedendum eius voluntati ratus ſuis mandarit, ne rem vltrà morarentur: & quò ab ſe editus præter Auſtrium alius quoque imperator videri poſſet, ſimul vt ea re Pij gratiam iniret, præter Auriam & Requeſentium (quos ad eum ho-

Pius iuris ſui retinentiſſimus.

norem commendabat) Columnam ipſum nominauit. Fuit omnino Pij in ſuſceptis rebus, quæ æquitatem habere viderentur, maximè in quibus Pontificia maieſtas verteretur, tanta vis tantaque animi conſtantia, vt fruſtra ſe quiuis regum accenſo eius ſtudio obieciſſet. Reddidit Pius Philippi obſequio gratiam, Auſtriumque non claſſis ſolùm ac naualium rerum, ſed terreſtrium quoque copiarum ac totius belli imperatorem creauit, dum ipſe gerendis rebus intereſſet: quo abſente Columnam pari honore poteſtateq. ſuccedere illi iuſſit.

Iohannes Auſtrius belli totius Imperator; & Colũna pari cũ imperio abſenti ſuffectus.

AGITATVM eſt de Emmanuele Filiberto Sabaudiæ Duce ei muneri præficiendo, quod & Veneti cupiebant, & Pius eum Columnæ haud grauatè præferebat eminentem non magis generis ac dignitatis amplitudine, quàm bellicæ ſcientiæ opinione. Sed nec ipſe regnum, vnde pater expulſus fuerat, haud multò antè à ſe receptum temerè relicturus videbatur, & Hiſpani præpotenti regulo & quotidie incrementa capienti tantum armorum ac belli arbitrium non diſſimulanter committere negabant. Illa inde controuerſia tenuit, quòd regij Africam ſpectantes, non in Turcas ſolùm, ſed aduerſum omne Mahometanum nomen id eſſe fœdus, cupiebant. Negarunt Cardinales, æqua eos poſtulare: regem enim Perſarum, qui Mahometanus eſſet, non ſolùm hoſtem iudicari (quod eo capite fieret) non debere, ſed etiam conandum eſſe omni ſtudio, vt in eandem armorum ſocietatem traheretur. Et Veneti, niſi vis omnis belli in Turcas atque in Græciam intenderetur, nihil ſibi fœdere opus eſſe, apertè denunciabant. Ne regij quidem minùs præciſè fœdus abnuebant, ſi eo Tripolis, Tunetum, Algerium Africæ vrbes non comprehenderentur,

Cur Sabaudię Duci imperiũ belli demandatum non ſit.

rentur, negantes, aliter Hiſpaniæ populis, quorum maximè ope gerendum id bellum eſſet, fieri ſatis poſſe. Simul illud quoque tentare conſilium ſunt aggreſſi, vt arma Turcis non inferrentur, quando ijs pares eſſe ipſi non poſſent, ſed vis tantùm eorum arceretur. Id verò à Venetis perinde eſt acceptum, ac ſi manifeſtò deprehenſæ inſidiæ in ſe Hiſpanorum eſſent. Itaque Pius, cùm nullum altercandi atque contendendi finem fieri videret, Pompeium Columnam ſpectatæ virum induſtriæ, nec bellicæ modò rei, ſed ciuilium quoque actionum prudentem cum literis ac mandatis in Hiſpaniam miſit. Per eum cùm demonſtraſset Philippo, fruſtra piam bonamque ipſum mentem habere, ſi voluntatis eius interpretes ac miniſtri tam longè ab præclaro eius in rempublicam ſtudio abeſſent, extorſit ab eo, vt imperaret ſuis, vt inanibus contentionibus abſiſterent, darentque operam, vt fœdus feriretur. Sed monuiſſe Pium Philippus dicitur, caueret, ne Veneti ſimulando de ſocietate agere, pacis interea conſilia coquerent, fœderiſque nomine ad æquiores conditiones impetrandas abuterentur: nam, occultos inter ipſos Turcaſque commeare nuncios, ſibi compertum eſse. Tandem conuenta pactaque omnia erant; & Pontifex rem diuinam facturus, & iunctam inter ſe & Philippum regem Venetosq. aduerſus Turcas ſocietatem populo ac aliorum regum legatis, qui in curiam acerſiti aderant, pronunciaturus regios Venetosque legatos ad ſe, antequam ad ſacra prodiret, vocari iuſserat, vt fœderis capita de more vniuſcuiuſque chirographo conſignarentur. Tum conſurgens Granuellanus negat, eo anno præſtare regem, quæ ipſi pepigiſsent, vllo modo poſse, quòd prouecta æſtate, tempus ad ea comparanda non eſset habiturus:

Pōpeius Columna in Hiſpaniam mittitur.

Granuellanus feriendum iā fœdus impedit.

turus:

turus: petere, vt Veneti, quibus nauium naualiumque rerum apparatus promptus expeditusque eſset, ea ſocijs accommodarent: regem militem daturum impenſamque omnium rerum præſtiturum. Inde ab initio cœptæ rei decretum inter eos erat, vti, dum de legibus fœderis ageretur, præpararentur perinde omnia, ac ſi perfecta res eſset, nequid gerendo inde bello moram afferret. Itaque icti re noua Veneti legati, & execrantes tam perfidioſam ludificationem, cùm paulum ſeceſſiſsent, reſpondent, niſi pactis conditionibus ſtetur, ſenatum ſe conſulere velle. Ea res Pij animum vehementer offendit, & maximè à Granuellano alienauit; quem ad omnia euertenda veluti inſidiatum publicæ cauſæ, grauiſſimis verbis obiurgatum ab ſe repulit, quanquam omnia ſibi voranda ſtatuerat, ne ſalutaris negocij actio abrumperetur; & conſolatus Venetos legatos ad ſenatum ſcribere ſuis verbis iuſſit, curæ ſibi fore, vt legibus fœderis ſatis à rege fieret.

Veneti de paciſcẽdo cũ Turcis deliberant.

AT Veneti, vbi ea acceperunt, inceſsentibus Hiſpanorum perfidiam perpetuis orationibus Mocenigo Principe & ſenioribus patrum, qui leuare tam ancipitis belli cura ciuitatem aliqua pacis conditione cupiebant, animum à belli conſilijs ad paciſcendum cum hoſte conuertere: cuius rei hæc tum fortè facultas oblata erat. M. Antonius Barbarus legatus, poſt indictum bellum cùm Bizantij domi ſuæ non arctiſſimè cuſtodiretur, audito Nicoſiæ exitu, locum agendi de pace aliquem quærebat, quam vnam iam eſse viam, & remp. periculo tam imparis dimicationis eximendi, & ſeipſum in libertatem reſtituendi putabat. Venetijs, quod Bizantij factum acceperant, negociatores Turcas in vnam commigrare domum iuſsos in cuſtodia habebant,

Veneti mercatores Bizãtij, Turcæ Venetijs belli tempore in cuſtodia habiti.

bant,

bant, & cum his Amutum, quem legatum in Galliam euntem Venetijs exorto bello deprehenſum arctiori cuſtodiæ mandarant. M. Antonius igitur nactus Salomonem quendam Iudæum medicinæ ſcientia Mahometi charum, qui ventitare ad ſe ſolebat, per eum cum Mahomete egit de captiuis permutandis, ac ſimul de pace mentionem inijcere Iudæum iuſſit: quam vbi non aſpernare Mahometem ſenſit, in præſentia quidem petijt impetrauitque ab idem cupiente, vt certum hominem è ſuis Venetias mittere liceret. Is tum fortè Venetias appulerat Patribus literas ac mandata M. Antonij ferens, cùm de Granuellani ac Hiſpanorum nec opinata recuſatione præſtandi eo anno, quæ ex fœdere debebant, eſt allatum. Itaque decemuiri, cuius magiſtratus ſumma eſt in ciuitate poteſtas, & maximè belli paciſque iura eius arbitrij ſunt, neque in eum niſi ſenatorum principes, qui ætate ac prudentia antecellunt, leguntur; re cum ſenatu, quò occultior eſſet, non communicata Iacobum Ragazonium expertæ ſolertiæ ac prompti conſilij hominem & aſſuetum Turcis, apud quos diu mercaturam fecerat, Conſtantinopolim miſere, præter ea, quæ palàm de ſenatus ſententia data erant ad captiuos permutandos, occultis inſtructum mandatis conficiendæ pacis in eas conditiones, quæ ipſi & M. Antonio magis è rep. & è fide eorum viſæ fuiſſent.

Ragazonius Bizantium mittitur ad agendum de pace.

EA legatio vehementer Pij ſollicitudinem ac ſuſpicionem auxit, ne, id quod res erat, ſimulatione captiuorum pacis conſilia à Venetis agitarentur. Hac æger atque anxius cura vocari ad ſe Commendonum Cardinalem iuſſit, cui, ob eximiam prudentiam ac religionem & animum ab omni partium ſtudio integrum, fidere conſueuit plurimùm. Cum

eo egreſſus in Vaticanos hortos miſerari fortunas Chriſtianorum, & publicis ingemiſcere malis cœpit, conſilium, maximè ad confirmandos Venetos, ne præcipites in pacem irent, exquirens. Nam, ex communi opinione hominum & ex remiſſo iam ſtudio legatorum, fœdus pro deplorato ac depoſito haberi Romæ eſt cœptum. Hortari tum Commendonus eum, vt, nequid prætermiſſum ab ſe, quod experiri poſſet, videretur, Columnam ipſum Venetias mitteret: haud paruum momentum ſuſtinendis Venetis futurum in eo viro tractandi animos hominum omnibus inſtructo artibus: & profectò moturum aliquid, qui idem rei hortator & dux futurus eſſet. Nullum conſilium toto illo negocio auidiùs arripuit Pius vir Chriſtiani nominis, quàm qui vnquam maximè, amore flagrans. Itaque dimiſſo Commendono Columnam extemplo acciri ad ſe iubet eique demonſtrat, velle ſe, vt ipſe Venetias proficiſcatur: Venetis tum ſuperioris anni incommodis fractis, tum malitioſa & illiberali Hiſpanorum ratione alienatis animos addendos eſſe, ne diffidentes ſibi ſocijsque ad noua conſilia conuerterentur: ipſum, lenire eos & confirmare verbis ſuis, iubet, atque omnem inde operam dare, vt ſalutaris res ad exitum perduceretur; nec, quia plenum difficultatum negocium plerique putarent, ſpem ipſe perficiendi abijceret: Deum cauſæ rei publicæ adfuturum, aditumque, quem non viderent homines, aperturum: iret, atque eius fiducia omnia ſibi facilia crederet fore. Columna ab vrbe profectus, cùm Venetias per diſpoſitos equos celeriter veniſſet, quanto ipſe acceptior publicè priuatimque ciuitati erat, & quanto plus honoris ea ſibi legatione habitum Veneti cenſebant; tanto eius aduentus ingratior principibus, quorum animi ab armis abhorre-

Columnā Pius Venetias mittit.

bant,

bant, fuit: cùm intelligerent, non ſolùm dignitati, ſed etiam gratiæ eius viri multum eſſe tribuendum, qui & auctoritate apud Pontificem pollebat, &, ſi bellum neceſſitas imponeret, aut cum Auſtrio præcipuas imperij partes geſturus, aut ſine illo propè ſolus imperaturus eſſet. Columnæ oratio nihil ſpecioſi ad eloquentiæ oſtentationem ab inani verborum apparatu habuit, ſed naturali facundia de rebus ipſis ex vſu diſſerendo, quæque in rem eſſent, pollicendo mouere ſenatus voluntatem ſtudebat: ante omnia Pij egregiam mentem ardoremque ad id bellum & ad rem Venetam tegendam veriſſimè prædicabat: hunc intueri Venetos debere, qui & auctoritate perducere ad æqua Hiſpanos poſſet, & retrectantes præclarè vlciſci: ſed & eos in Pontificis Max. poteſtate futuros, & illum, quò magis ſibi obnoxios beneficio faceret, quæ ad eam diem regis accuratiſſimis precibus pernegaſſet de pecuniarum exactionibus ex Hiſpaniæ ſacerdotijs, ea omnia in Venetorum gratiam huius belli cauſa conceſſurum: ipſum verò Romanæ Eccleſiæ facultates huc omnes collaturum: pecunia, militibus, commeatu, & quibuſcunque rebus poſſet, rem Venetam adiuturum: è Piceno, è Flaminia frumenta exportari Venetias paſſurum: eorum præfectis educendi è Romanis prouincijs conductos precio milites, quot vellent, poteſtatem facturum, & in præſentia, ſua pecunia conſcripta tria millia peditum in Dalmatiam miſſurum, quibus, donec claſſes in Græciam conueniſſent, ad tuendos reip. fines Veneti vterentur: quinas decumas, quas poſtulaſſent, conferre eis ſacerdotes Venetæ ditionis iuſſurum: nulla denique eis re, nullo officio virum ardentem Chriſtianæ pietatis ſtudio defuturum, cui inſigne communis omnium

Columnæ ad Venetos oratio.

parentis nomen non magis ex faſtigio honoris, quàm ex animo in remp. verè paterno deberetur. Ad hæc omnem daturum operam, vt in eandem fœderis ſocietatem Cæſarem quoque Germanosque, & equitatu validam Polonorum gentem, & alios item reges adduceret, legatis ad id ampliſſimis viris è Cardinalium collegio miſſis. Hiſpanis (his enim infenſi ac exulcerati tot iniquitatibus animi placandi atque leniendi erant) non eſſe, cur plus æquo iraſcerentur; nam & præteritæ æſtatis moram in adducenda claſſe ijs culpæ verti non debere, cùm errore factum ſit, vt aut Pij voluntatem rex parum perceperit, aut mandata regis non rectè ſui intellexerint: & pacta fœderis in eum annum quò minus præſtent, non tam recuſare eos, quàm petere, vt naues longas, quarum implendo numero ipſi tempore excluderentur, Veneti, quibus id commodum promptumque eſſet, armarent plures quàm ex fœdere deberent, atque vt ijs eum ſumptum rex ſeu frumentis ſeu militibus, quorum illi indigerent, rependeret: ita futurum vt, quarum cuique rerum copia ſuppeteret, earum in commune plus conferret: regem tamen longas naues egregiè inſtructas LXXX. daturum, quas, ſe ſcire affirmabat, paratas habere, ſeque ipſum ad eas colligendas, ſi Auſtrius non venerit, celeriter excurſurum pollicebatur; nec dubitare, quin ante Cal. Iun. quò eſſent iuſſæ, omnes conuenirent. His, præter Pontificias duodecim, acceſſuras Genuenſes duas, Sabaudienſes quatuor, totidem Melitenſes, quæ Pij auctoritatem ſequerentur: ipſos præter Galeatias & onerarias, ſupra centum & quinquaginta longas naues, quibus ferè ſuperiore anno vſi eſſent, habituros. Hanc fore claſſem & genere & numero nauium maiorem ac validiorem, quàm

vnquam antea Chriſtiani aduerſus Turcas eduxiſſent ; vt, ſiue hoſtes copiam pugnandi facerent, dubitari de victoria non poſſet, ſiue declinando certamen poſſeſſione maris cederenr, exſcenſionibus in Eubœam inſulam aut in Peloponneſum factis, acceptum in Nicoſia incommodum ijs referri. Tres in ea claſſe duces futuros: hos in conſilium coituros & è duorum conſenſu proditura imperia, vt, publicum Chriſtianorum non priuatum cuiuſquam id bellum eſſe, appareret: non Auſtrio non cuiquam vni, pro libidine aut omittere quod è re publica viſum fuerit, aut ducere quò non expedierit, poteſtatem fore. ſe vnum ex illis ducibus futurum; aut alium Pij iuſſis pari fide obſequentem: huic arbitrari cum Veneto præfecto ſemper conuenturum: ita res eorum maximè arbitrio geſtum iri. At ne ipſum quidem Auſtrium, in quo adoleſcente magni animi ſpecimina cernantur, occaſioni defuturum: nam & eius intereſſe, prima militiæ rudimenta quàm maxima laude ponere, & ipſa imperatorij nominis atque honoris dulcedine ad maximum quodque auſum iuuenem excitatum iri. His propoſitis haud dubiæ victoriæ firmamentis, intolerabiles ſibi auribus incidere voces de pace, quam ipſi moliri clàm cum Turcis dicantur. Enimuero id ſibi ita non è rep. eorum videri, vt, cùm falsò ferri pro certo habeat, tamen diſſimulandum ſibi non fuerit, vt illi vel ſuſpicionem tam ignominioſi atque adeo pernicioſi conſilij omnem auerterent: ſentire enim ſe, quanta ijs inuidia vel rumore eius rei confletur, & (quod negocij maximè interſit) hominum ardorem ad bellum pacis metu atque mentione deferueſcere. Vtrùm enim iniquiſſimo bello petitis, tot quotidie iniurijs affectis vltro petenda pax, & veluti in voluntariam ſeruitutem concedendum,

an aliquando defendenda armis non libertas modò, pro qua vel mortem oppetere pulchrum ducitur, ſed etiam dignitas eſt? quam vſque eò ſibi obnoxiam rex barbarus feciſſe videtur, vt tanquam ſeruis cedere regno centum poſſeſſo iam annos non vereatur. reputarent animis, quæ ciuitatis conditio futura eſset, ſi Cypro ad nutum tyranni tradita confiterentur, neque in ipſis ſpem tuendi imperij neque in Chriſtianorum regum ſocietate præſidium vllum eſse. Sed nimirum & ſe, à tam fracto & abiecto animo longè abeſse eos, ſcire: & orare, vt occaſioni, quæ offerretur vlciſcendi tot clades ab illo hoſte acceptas, incumberent, & Pontificem Max. ducem ſe aduerſus communes hoſtes offerentem ſequerentur. Quem enim locum depellendi imminentem eorum libertati peſtem, ſi hunc prætermiſerint, eſse habituros? Sed vt animo & conſilio, ita maturo ac minimè perplexo reſponſo opus eſse; nam & appetere æſtatem, vt trahi deliberatio diu non poſſit, & cunctationem eorum pro repudiato fœdere homines eſſe habituros; in qua opinione quàm multa incommoda ſint, malle ſe tacitum eorum cogitationibus relinquere, quàm commemorando aduerſi quicquam ominari.

ERAT Columna haud bellicis laudibus quàm ciuilibus artibus inſtructior: mira homini comitas & multæ blanditiæ, ſermo promptus & facundus magnaque rerum notitia; vt paucis diebus & à iuuentute, quam totam ſibi officijs & humanitate deuinxerat, mirè coleretur, & ſenes ipſos prudentiæ & eloquentiæ commendatione teneret. Itaque hæc non in curia ſolùm apud Patres, ſed omnibus ſermonibus congreſſibusque aſſiduè inculcando, quotidie plures in ſuam ſententiam perducebat. Decemuiris nec fœ-

dus

dus placebat, nec impetrandæ pacis explorata ſpes: & retinendus vtique Pij animus erat, in quo magnum ad omnia momentum ponebant, & Columnæ oratione ac præſenti auctoritate accendi ciuitatis ſtudia ad bellum ſentiebant. Cùm diſtraherentur ancipiti deliberatione animi & totos dies conſultando nihil explicantes fatigarentur (neque enim Pio ſolùm & Columnæ, ſed ipſi etiam ſenatui verba danda, & conſcijs, ad pacem petendam miſiſſe, bellum cupientium oratio ad vtroſque componenda erat) Paulus Theupulus vnus è decemuiris, cui non probabatur, ſummum ciuitatis conſilium de re tanta celari ac de eo, in quo reip. ſumma verteretur, non conſuli; auctor fuit collegis, de pace belloque referendi ad ſenatum eiusque iudicio vtendi. Quem enim hunc eſſe morem, eoſdem homines aliud ſecretò ab alijs agitare atque adeo decernere de rep. aliud pro ſententia in ſenatu dicere, & pacis inter ſe conſilia coquentes ſenatum ipſum, tot ampliſſimi ordinis ciues ſimulando de bello conſulere, ludibrio habere? At rem eſſe tantam, quæ periculosè plurium conſcientiæ committatur: at multò periculoſiùs paucorum arbitratu ſtatui, quod omnium incolumitatem attingit, & vt ſieri à paucis faciliùs, ita ſubtiliùs æſtimari atque expendi à pluribus poſſe. Quoſdam collegarum rem exemplo tuentes, quòd anno CIϽ. IϽ. XXXIX. pax à decemuiris inſcio ſenatu cum eodem hoſte confecta eſſet, Theupulus admonendo, in quantam inde offenſionem omnium incurriſſent, ac principes ciuitatis omnibus honoribus deiectos diu in illius facti inuidia iacuiſſe, tenuit, vt ad ſenatum referretur. Ea relatio & res plurium iam ſuffragijs voluntatibusque commiſſa, ac paucorum ſenum arbitrio erepta, quorum effœti cum cor-

Theupulus collegis auctor eſt omnia referẽdi ad Senatum.

Theupuli pacem diſſuadẽtis ad Senatũ oratio.

poribus animi eſſent, Columnam illico cauſa ſuperiorem fecit, & ipſe Theupulus, vir magna in ſenatu gratia, primus omnium ad diſſuadendam pacem proceſſit: ac ſi, quarum rerum deliberatio ſolicitam & ſuſpenſam ciuitatem haberet, paxne cum hoſte facienda an fœdus cum Pio Philippoque feriendum eſset, earum vtriuſque ita potentem Deus ſenatum fecißet, vt, vtram vellent, in eorum manu eſset; neminem, arbitrari ſe dixit, fore qui certam pacem vel ſperatæ victoriæ nedum difficili atque dubio bello non præferret. Quem enim non videre, exinaniri ſumptuum magnitudine remp. ſocios tributis remigibuſque conferendis auerti, nec Pij animum viribus nec Philippi promiſsa rebus reſpondere? ſed cùm ab his amicitia ſocietasque offeratur, quibus adiunctis vtique bellum multiplicatis viribus geſturi ſint, à Turcis pacis impetrandæ ſpes nulla oſtendatur, niſi in accipiendis quas ſuperbus barbarus vt victis conditiones dederit; magni rem ſibi conſilij ac deliberationis videri. Ac inprimis conſiderari oportere, an impoſitus ex vſu maximè hoſtis (neque enim aliter poterit) bello finis, ſi non honeſtam, tutam ſaltem ac ſtabilem pacem allaturus ſit: nam, ſi neutrum horum iſtam belli redemptionem ſequatur, & æquè inde incerta ſpe metuque fluctuaturi eſsent, quò eius pacis iugum ſubire vellent, qua nihilo ab infeſto atque infido hoſte tutiores, & ei ipſi & Chriſtianis inſuper regibus, & maximè Pio inuiſi atque deſpectui forent? Quibus ocium ita placeret vt omnia bello potiora haberent, optare, vt ij ſecum animo reputent, quæ res tam facilè & ſuperiores reges, & hunc ipſum Selimum, hominem alioquin imbellem & luxu perditum, contra iuriſiurandi religionem violata fœderis

nuper

nuper icti fide, adduxerit, vt bellum reip. faceret: id quidem, conſtare, præter inſitam barbaris ſuperbiam trium rerum cauſa fieri; quòd Venetis parum animi ad bellum gerendum, quòd ipſos per ſe impares viribus, quòd aliorum auxilijs nihil fidere poſſe putarint. Vtrùm ergo hanc de ſe opinionem Veneti ipſi confirmare, & tanta laceſſiti iniuria, poſt datum magno atque elato animo reſponſum ac ne ſolitis quidem appellationibus dignatum regem, vixdum planè accenſo bello, veluti ad primum armorum ſonitum pauentes, vltro ſupplices pacem petitum ire vellent; an aliquando adniti, vt intelligant barbari, nec conſtantiam Venetis in tuenda dignitate ſua nec vires deeſſe, &, quoties velint atque opus ſit, reliquorum quoque Chriſtianorum opem ſocietatemque promptam habere? vt eruatur hic tandem hoſtibus error, deficere Venetos ad Turcici belli nomen, ac, ſi modò ab Conſtantinopoli arma increpuerint, ad nullas eos impetrandæ pacis conditiones non illico compulſum iri: qua imbibita ac penitus concepta ſententia, quid Venetis deſpectius quid abiectius fore, quid barbarorum infinitæ cupiditati magis obnoxium? vt non ſolùm aſſiduo belli metu in ipſa pace torqueantur, ſed regis mancipijs ludibrio ſemper ſint, qui, quoties libuerit, intentato belli terrore quantamuis pecuniam ablaturos ab eis ſe ſperent: ita ipſos emunctos ac vexatos precariam pacem ac libertatem in dies precio mercatam habituros. Quid ſi, tradita per metum Cypro, Cretam inſequenti anno dedi ſibi tyrannus illectus hac ipſa imbecillitate eorum poſtularet? an parituri ſingulas carpenti inſulas eſſent, vel paratiores ad eam defendendam futuri, iure iam à Chriſtianis regibus ſpreti ac reiecti? Sed, vt nullum in petenda pace

damnum exiſtimationis fieret (quod fieret certè maximum) quem præſtare poſſe, regem paſſurum ab ſe impetrari, vt de compoſitione agatur? & qui integris Venetis tam impudenter abrupto iureiurando bellum intulerit, is confirmata ex ipſa re opinione, nunquam inter ſe Chriſtianos ſocietatem coituros, partæ iam victoriç pacem prælaturus putetur, & inflatus Cypri ſucceſſu & ſua ſponte inanis ac tumidus, ipſamque ſibi Italiam debellandam deſtinans vix delibatæ dulcedinem gloriæ in medio curſu deſerturus? Nam de Mahometis ſtudio quæ prædicantur, quanti tandem eſſe, aut quid vnquam ab eo factum vel maximis culto donis pro Venetis contra regis rem oſtendi? quin intellectum eſſe, quàm perfidioſè M. Antonium tractarit, quem, maximè ad iniuriam incumbens, ſimulatione Hiſpanienſis belli conſopire ac fallere conatus ſit. Quid verò leuius aut quid alienius ſua prudentia ipſos eſſe facturos, quàm ſi ex mendacis & fraudulenti hoſtis ſpe de ſummis rebus conſilium ceperint? cur illud potiùs non cogitarent, quod & credibilius eſſet & à moribus hominis ac barbarorum perfidia non abhorreret, id illum moliri, id agere hac intempeſtiuæ pacis oſtentatione, vt reſtinguantur & elangueſcant ciuitatis animi, vt apparatui rerum minùs intenti inſiſtant, vt à ſolicitandis aſciſcendisque in belli ſocietatem Chriſtianis auertat, quò faciliùs incauti nec pro magnitudine hoſtis muniti opprimantur? Quæ illi haud vana fraus erit, ſi ipſi, cunctando ac dilatando, fœdus cum Pio ac Philippo ſancire diſtulerint. Nam & Columnam ipſum, quam in partem interpretaturi ſint homines eorum procraſtinationem, non obſcurè inieciſſe; vt verendum ſit, ne & ipſi apparatum atque curam belli ea pacis cogitatione remittant,

& qui nunc fœdus amicitiamq. pollicerentur, indignantes, oblatam vltro opem eos aſpernari, non ſolùm timidos ac diffidentes deſerant, ſed graui preſſis inuidia etiam periculum in continente creent. Proponerent ſibi animo illud tempus, cùm neque fœderis vllius viribus fultos, neque ab ſeipſis ſatis paratos Turcæ inuaderent. Quæ ratio inſulas ab hoſtili vi tuendi, quæ Dalmatiæ oram futura eſſet? quò ſe Veneta claſſis omnibus rebus impar reciperet; quò ſe abderet, quis eam portus tutò caperet? vt, quæ præſidio tot populis comparata eſſet, vix effugium habitura videretur. Quid ſi hoſtem impetus caperet ad ipſam Venetiarum vrbem caputque rerum vadendi? quæ tum trepidatio, quæ fuga imbellis atque inermis plebis, quæ deſperatio ſociorum? quibus ne iraſci quidem iure poſſent, ſi, defendente nemine, inſtanti ac præſens excidium ferenti hoſti concederent. Quæ maieſtatis ruina quæ dignitatis, ſi, pro ſalute, pro patria, pro tectis ſuis, non iam pro imperio pugnare Venetos, fama per populos ferretur? Id eò acerbius eſſet futurum, quòd & Chriſtiani merentibus ea accidiſſe prædicarent, & Turcæ, non magis armis victos quàm dolo ac fraude captos ab ſe Venetos, gloriarentur. Hæc, quæ dicere abhorreret animus, non ſolùm ne euenirent, ſed euenire ne poſſent, prouidere, ſapientiæ eorum eſſe: nec viam his ex ſcopulis explicandi conſilium cerni aliam, quàm fœdere percuſſo, iunctis primo quoque tempore claſſibus ire obuiam hoſti ac dare operam, vt ad conſerendas manus perliciatur: quod apud ſibi fidentes & elatos tot ſecundis rebus barbaros haud difficile eſſet futurum. Philippi LXXX. longas naues, Pij XX. futuras, remp. nec minorem quàm ſuperiore anno, & remigio ac milite longè validio-

rem claſſem eſſe habituram. At tum additis LX. modò auxiliaribus nauibus non pugnatum eſſe, adhuc ciuitatem iraſci pœnasque eius rei à ducibus expetere; nunc duplicatis propè auxilijs, & tota claſſe egregiè inſtructa de victoria quenquam dubitaturum? At pacta promiſſaque Hiſpani non præſtabunt. Primùm ita contendiſſe eos de ſingulis rebus, vt faciliores futuri fuiſse videri poſsint, ſi alieno ab implendis, quæ ex legibus fœderis deberent, animo eſsent. Deinde, vt Hiſpanis parum credatur, Turcis certè minùs credi oportere, quibus nec fidei par ratio & fallendi precium maius. Tum, ſi non ſteterint conditionibus Hiſpani, iuſtam Venetis cauſam pacis faciendæ futuram: nec in eo parum momenti eſse, ſi à ſocijs proditi, non metu ac ſponte ceſſiſse hoſtibus dicantur, à quibus ipſis tum armati ac tantis fœderatorum viribus circumſepti pacem æquiorem, quàm nunc metu ſubacti impetrabunt. Sibi igitur placere, ante omnia Columnam poſtulatorum compotem dimitti ad ea, quæ Pius polliceretur, conficienda: ſimul ad M. Antonium & Ragazonium Conſtantinopolim ſcribi, vt pacis quidem mentionem non aſpernentur, ſi eò Mahometem inclinare cognouerint, pacem ipſi nec petant nec niſi conſulto priùs ſenatu tranſigant; vt neque de eo agendi facultas præcidatur, ſi ita vſus feret, neque ipſi vltrà, quàm vt integra omnia ſenatui ſint, progrediantur. ita futurum, vt aut infidelem ac inutilem Chriſtianorum ſocietatem experti, Deo hominibusque approbantibus ad pacem redimendam mox vertantur, aut adnixi ſuis ſociorumque viribus amiſsa bello recuperent, & hoſtium audaciam in perpetuum reprimant. Vt enim ad gratiam famamque hominum turpiſſimum maximèque odioſum reip. eſset, eo-

dem tempore pacem Byzantij fieri ac Venetijs fœdus feriri; ita nihil exitioſius ciuitati accidere poſſe, quàm ſi ipſi, dum neutram rem ſui arbitrij faciunt, vtraque excluderentur.

MOVIT Theupuli ſententia vniuerſum ſenatum præter eoſdem illos ſenes, qui pacis mittendique Byzantium cum mandatis Ragazonium auctores fuerant. Hi rem inclinatam cernentes Nicolao Pontio ætate inter eos, & dicendi laude præſtanti negocium refellendi Theupuli orationem dedere. Qui, commemoratis Auriæ, Granuellani atq; Hiſpanorum aut geſtis inſidiosè aut dictis contumaciter in remp. eorumque artibus fraudis ac perfidiæ plenis cum odio atque immanitate Turcarum comparatis; vix ſani nedum ſapientis eſſe, oſtendere conatus eſt, victoriæ ſpem in ijs ſocijs repoſitam habere, quibus, frangi Venetorum opes quàm creſcere, vtilius eſſet. Monuitque inde grauiſſimis verbis Patres, ne crederent, eadem vera eſſe quæ magnificè dicerentur: neue Granuellanum, fallaci fœdere conteri remp. & ſegni ac diuturno confici bello, cupientem audirent, Mahometis conſilia reſpuerent pacem ac finem cladium offerentis; quem vt nihil integra fide agere ſuſpicarentur, certè infeſtiores ac fraudulentiores hoſtes Hiſpanos cùm priori fœdere tum hac ipſa fœderis tractatione expertos eſſe. ſcilicet Granuellano credant, qui nihil ſanctum nihil religioſum, niſi quod commodo ſit, ducere inde à paterna diſciplina didicerit: qui, dum Philippi opes augeat vnde ipſe gratiam ineat, penſi nihil habeat. Proinde ne ſe Hiſpanorum aſtu per ſpeciem amicitiæ exitium Venetæ rei molientium, ac ea euerſa imperium Italiæ ſibi ſtruentium induci ac decipi, paterentur. Nam, obſtringi religione ac iure fœderum eos poſſe, putare, nimiæ ſimpli-

Nicolai Põtij pacem fœderi præferentis oratio.

citatis

citatis eſſe: quippe fidem à potentioribus vtilitate non officio pendi. Ne ſe eo bello pergerent implicare, cuius onere iam tunc ita oppreſſam ciuitatem viderent, vt appareret, etiamſi ceſſaret hoſtis, bello ipſi ſuccumbere eam neceſſe eſſe: pacem amplecterentur, qua reip. quies ociumq. redderetur, quò ſe comparare in eos caſus poſſent, quos tempus ipſum excubantibus in occaſiones aperturum eſſet amiſſa recuperandi. nec dubia nec vana ſpes pacis impetrandæ ſit, quæ & Turcas ea cura liberet, quam vnam habere poſſe viderentur, Venetos à ſocietate Hiſpanorum diſiungendi: & conceſſa Cypro, quam rex non tam addere imperio quàm ſua ipſius libidine templo, quod inſtituerat, conſecrare appetiſſet; cui dubium eſſe, quin cupidè à belli curis ad quietis & voluptatis ſtudia rediturus eſſet? ſcilicet verendum eſſe, ne petita pax timoris confeſſionem habeat: quaſi turpe futurum eis ſit, illius hoſtis arma extimeſcere, quem propè terrarum orbis reformidet. At enim fœderis viribus eius arrogantia & vis reprimetur: ſe verò timere ne mox, cùm Turcæ, quàm fracta ac ſine effectu ſocietas ſit, intellexerint, grauiores ac intolerabiles pacis conditiones ferant, vt non tam feriendo fœdere, quàm feriendi ſpeciem præbendo pacem æquiorem conſecuturi eſſe videantur. Ergo Pium Columnamque agendo de conditionibus fœderis tamdiu detinerent (quod facturi ſine ſuſpicione eſſent) donec ab Conſtantinopoli nuncij redirent: tum, ſi pax non conueniſset, fœdus demum acciperent. Tutius id conſilium, aliorum ſpecioſius eſse. ipſi, vtrum præſtaret, ita eligerent, ita in ſuffragium irent, vt meminiſsent, nunquam antea rem maiorem, quàm quanta hæc eſset, eorum poteſtati ſubiectam fuiſse.

PLVS

PLVS animorum in ſenatu, quàm auctoritatis in Pontio ac ſenioribus fuit. Itaque omnium ſuffragijs reiecta pace, ſequenti die Columna in curiam accito, decretum recitari iuſſere, & Princeps (quod Pio, ſocijsque ac Chriſtianæ reip feliciter verteret) fœdus accipere ſenatum renunciauit. Columna, collaudatis Patribus, atque affirmatis, quæ antè Pij verbis pollicitus erat, eadem celeritate, qua venerat, Romam hominum ſpe, quæ depoſita iam erat, feliciter ſuperata plenus gloriæ rediјt. Pius, accepta Venetorum voluntate, ad VIII. Cal. Iun. anno CIↃ. IↃ. LXXI. vocatis in curiam Cardinalibus reque ad eos relata, approbantibus cunctis, fœdus in has maximè leges percuſſit. Societas, amicitiaque inter Pium Pont. Max. Philippum regem Hiſpaniæ, ac Venetorum remp. perpetuò ſit, communeque bellum ab his Turcarum regi gentique terra marique fiat. Id bellum CC. nauium longarum, centum onerariarum claſſe, peditibus LM. mixtis Italis Germanis Hiſpaniſque, equitibus quatuor millibus & quingentis geratur. Hæ copiæ omnes in Græciam quotannis Aprili menſe cogantur. Quod ſiquem ſociorum hoſtis adortus fuerit, ad eum defendendum aut iuſtum præſidium mittatur, aut, ſi res poſcat, omnibus viribus ſubueniatur. Singulis annis autumno ineunte, Romæ ex auctoritate maximè Pontificis legati ſociorum decernant, quò & quantis copijs ad rem gerendam inſequenti anno vſuri ſint. Belli totius impenſa in ſex diuidatur partes, quarum tres Philippus, duas Veneti præſtent, Pont. Max. XII. longas naues militibus rebusq. omnibus ad bellum inſtructas, ac tria millia peditum, CCLXX. equites conferat: reliquum ſextæ partis Veneti Philippuſq. ſuppleant. Id enim ita æquum eſt viſum, quando vtriſque

Senatus decretũ de fœdere accipiendo.

Fœderis leges à Pio latæ.

Pontifex magnam pecuniam ex ſacerdotum vectigalibus, quæ iuris ſui ſunt, in id bellum tribueret. Veneti XII. longas naues Pontifici de ſuis, ſi petierit, commodent; quæ ſi interierint, eorum damno ſit: ſin reduces fuerint, reddantur. Quarum rerum cuique facultas maior fuerit, eas contribuant inuicem & compenſent. Frumenta commeatusque ex ſociorum terris exportandi, precijs ſolutis, ius poteſtasq. ſit, ſi tamen priùs incolis dominisq. locorum prouiſum abunde fuerit. Portoria nec noua imponantur, & vetera vſitataque pendantur. Quieſcente in Græcia Turca, ſi ab Algerio, Tuneto, Tripoli Philippo negocium fiat, Veneti L. longas naues auxilio regi ad eas expugnandas vrbes mittant. Idem Venetis rex præſtet, ſiquod Turcarum oppidum cis Apolloniam in ſinu Adriatico oppugnatum ierint; ita tamen, vt vtrique maiorem, quàm quæ auxilio mittitur, claſſem habeant. Siquam partem Pontificis Max. ditionis hoſtes terra mariùe inuaſerint, tum ad prohibendos eos tuendamque Pontificis dignitatem omnibus viribus ſocij accurrant. Summa imperij penes vnum neminem ſit, ſed tres trium claſſium duces de communibus rebus in conſilium coëant: quod duo eorum decreuerint, id qui imperator declaratus fuerit, cum fide exequatur. Si Iohannes Auſtrius Philippi frater bello interfuerit, imperatoris nomen qua dictum eſt poteſtate teneat: eo abſente, pari iure ad M. Antonium Columnam redeat. Nemo imperator ſuo vexillo ſed communi ſociorum, quod Pius dederit, vtatur. Maximiliano Cæſari, regi Galliæ, ac cæteris regibus ac principibus Chriſtianis, ſuus, ſi accedere huic fœderi voluerint, locus maneat: quos Pius Pont. pro ſupremæ dignitatis iure ad bellum ſimul capeſſendum legationi-

bus

bus adhortetur. Diuiſio ſubactarum prouinciarum, vrbium' agrorum. ad caput illud referatur, quod eſt in fœdere anno CIↃ. IↃ. XXXVII. icto. In eo cauetur, vt, quæ loca antè in fœderatorum alicuius ditione fuiſſent, ei redderentur. exceptum, vt Tunetum, Algerium, Tripolis Philippo accederent: reliqua præda pro cuiusque impenſa partiatur. Raguſiorum reip. caueatur nequid in eos eorumùe agrum, vrbem, oppida ab ſocijs hoſtiliter conſulatur, niſi ſecus meriti Pontifici Max. viſi fuerint. Siquid controuerſiæ hiſce de rebus inter fœderatos exiſteret, de eo apud Pontificem diſceptetur, eius arbitrio iudicioque ſtetur. Pacem aut inducias cum hoſte paciſci, ſocijs non conſultis ac non probantibus, nemini liceat. Ita fœdus Chriſtianæ reip. ſalutare tum iunctum atque ſancitum eſt, cùm ſpem eius omnem maximè abieciſſent homines; ingenti gloria Pij, cuius id vnius fuiſſe, cuiusque ſtudio, curæ, labori, aſſiduitati deberi, omnes veriſſimè prædicabant.

FINIS LIBRI SECVNDI.

ANTONII MARIAE GRATIANI
A BVRGO S. SEPVLCHRI.
DE BELLO CYPRIO
LIBER TERTIVS.

CELEBRATO fœdere vna cura Pontificem tenuit, vt claſſes primo quoque tempore ad res gerendas in Græciam conuenirent. Et ne tempus ipſe ornanda claſſe tereret, XII. longas naues de Coſmo Medice Hetruriæ regulo mercede conduxit menſtrui ſtipendij quingenos nummos aureos in ſingulas pactus; quæ ferè quinqueremes erant, egregiè armis, milite, & omnibus rebus inſtructæ. Quibus adiecit Melitenſes quatuor, ac totidem à Sabaudiæ Duce acceptas; cum quibus omnibus ineunte Iunio proficiſci ab Vrbe M. Antonium Columnam & iungere ſe Venetorum claſſi iuſſerat, vt, ſi Hiſpani, quod apparebat facturos (ita ſegniter ab ijs cuncta agebantur) abire gerendæ rei tempus ſinerent, ipſi remp. tuerentur. Conſenſerat cum Venetorum voluntate Pius, vt protinus, poſtquam coniunctæ fœderatorum claſſes eſſent, peteretur hoſtis, nec vlla

pugnæ mora fieret. Nam & Veneti quocunque modo finire bellum feſtinabant, cuius oneri ferendo non erant, nec aduerſæ pugnæ vulnus lethalius ſibi quàm ipſum bellum, ſi traheretur, ducebant: & Pius, partim cæleſtis opis fiducia partim metu, ne non diu illa duraret ſocietas, æquè, rem decernendam prælio dari, cupiebat: idque ante omnia proficiſcenti ab Vrbe Columnæ imperauerat. Qui, militibus claſſique die ad centum cellas conueniendi dicta, inde Id. Iun. cùm ſoluiſſet, tertia die Neapolim tenuit. Ibi paucos moratus dies ſarciendis Melitenſibus nauibus, cum XX. triremibus Siciliam petijt. Et quia ſuſpectum iter erat tenente iam mare Turcica claſſe, exploratoria nauigia duo præmiſit: ijs imperat, vt cuſtodias turrium, quæ ſpeculando propugnandoque aduerſus prædones per Calabriæ oram ſunt conſtitutæ, adeant, ſingulis idem præcipiant, vt intentè obſeruent mare: ſi pauciores XX. naues conſpexerint, ſignum vnico igne edant, ſin plures vſque ad XXV. binis ignibus: ac ſic deinceps ignes augeant pro magnitudine conſpectæ claſſis. Die tertia, quàm profectus Neapoli erat, Tropeæ appropinquanti nunciatur, ad LXX. triremes, quas Turcicas rebantur, conſpectas eſſe. Sequenti die cùm ſpeculabundus progrederetur, obuiàm habuit duas Venetas triremes, quibus præerant Catharinus Malipierus & Nicolaus Lipomanus. Ab his cognouit, Venerium cum Veneta claſſe in Siciliam veniſſe, atque ad Spartiuentum ſocios expectantem ſtare. Meſſanam applicans Columna ad Venerium miſit, vt, ſi ei videretur, Meſſanam tranſiret, vbi & rerum copia maior & de communibus rebus commodiùs colloqui poterunt. Aduenientem perhonorifica obuiàm itione acceptum Meſſanam deduxit; atque vnà ha-

Pōtificię claſſis itineris ratio.

bito conſilio Iohannem Auſtrium, etſi nondum Hiſpania profectum conſtabat, ibi adhuc expectare conſtituunt. Venerius accepto in Creta nauali imperio Corcyram redierat, atque cupiditate rei gerendæ prouectus haud ſatis prouiſis rebus ad Dyrrhachium oppugnandum ſubitus acceſſerat. Id oppidum cùm opinione ſua firmius inueniſſet, tentata tantùm oppugnatione, re infecta Corcyram rediјt; atque acceptis de percuſſo fœdere nuncijs ibi ſocias claſſes expectaturus conſederat. Ad Corcyram cum LX. nauibus opperienti, Turcicam claſſem Byzantio progreſſam in Creta eſſe, nunciatur. ille veritus, quia haud ſatis tuta ſub oppido ſtatio nauibus videbatur, ne à Turcis impediretur, ſimul vt præſens ipſe Hiſpanorum profectionem magis vrgeret, Siciliam petere decreuit. Id agenti commodùm à ſenatu ſcriptæ literæ eadem iubentes, & à Columna Neapoli idem conſilium afferentes venere. Dimiſſis igitur Sancto & Franciſco Tronis & Daniele Molino cum ſingulis triremibus, quibus præerant, ac Sancto medio itinere, reliquis dextrà ſiniſtràque per Adrianum ſinum Venetias dirigere curſum, atq; obuias naues, quibus vt Corcyram conuenirent dictum erat, ne incautè in hoſtilem ſe claſſem induerent, excipere & in Siciliam auertere iuſſis, ac miſſo item in Cretam Iohanne Baptiſta Benedicto Cyprio cum ſua trireme, qui Quirinum & Celſum cum LX. nauibus, quas habebant, omiſſis omnibus alijs rebus ad ſe venire iuberet, ipſe in Siciliam profectus eſt, quò paulo ante Columnam, vt demonſtratum eſt, appulerat.

Dyrrhachium à Venerio fruſtra tentatum.

Venetæ claſſis iter.

PIVS dimiſſo Columna, nequam partem officij ſui non impleret, aduocato ſenatu duos legatos è Cardinalium numero creauit, Iohannem Franciſcum Commen-

donum

donum & Michaëlem Bonellum Alexandrinum. hunc nepte ſua genitum, inſtitutum in Dominicanorum diſciplina ipſo petente & commendante ſenatu inde à principio initi Pontificatus in ſummum ordinem cooptauerat, iuuenem tum quidem vſus non magni, ſed qui ampliſſimæ fortunæ, ad quam repentè efferebatur, & animo & ingenio par fore videretur. Commendonus multis præſtantibus viris è Cardinalium collegio eam operam rei publicæ præſtare cupientibus abſens prælatus eſt: non ſolùm quòd in eo magnæ animi & conſilij laudes cum pari fide & religione coniunctæ eminerent, verùm quòd ea ætate nemo aut pluribus aut maiori gloria geſtis legationibus clarior erat. & cùm omnes Europæ reges, omnes prouincias nationesque trium ſuperiorum Pontificum miſſo obiuerat, tum maximè Germaniam & Poloniam perluſtratas notasque habebat, & multæ ei inſtitutæ cum principibus earum gentium amicitiæ atque hoſpitia erant; ac ipſorum præterea regum ingenia ſenſusque exploratos atque vſu cognitos habere, magnoque apud eos in honore & gratia eſſe credebatur. Hic igitur ad Maximilianum Cæſarem & ad Auguſtum Poloniæ regem, quos maximè Pius in eius belli ſocietatem adducere cupiuiſſet: ille ad Philippum & ad Sebaſtianum regem Luſitaniæ eſt miſſus.

Card. Alexādrinus in Hiſpaniā, & Luſitaniā, Cōmendonus in Germaniam, & Poloniā legatur.

CVM ab Vrbe profectus per infeſtam latrocinijs hæreticorum Galliam magna adhibita cautione ac diligentia, vno etiam è Principibus Galliæ iuſſu regis proſequente, incolumis in Hiſpaniam Alexandrinus penetraſſet, Philippum accuratiſſimis adhortationibus accendere ad Turcicum bellum, pactaque fœderis præſtanda Pontificis Màx. verbis inſtitit, ne Veneti, dum parum conſuli

Alexandrini ad Philippū oratio.

eorum reip. ab rege ſuſpicarentur, ipſi ſibi magno communis rei publicæ incommodo conſulerent, & ciuitas natura abhorrens ab armis ad pacis conſilia reuolueretur: quemadmodum enim alacres tum toto pectore ad bellum incumbere omniaq. in victoria poſita habere viderentur, ita, ſi trahi bellum atque cludi artibus vim fœderis ſenſiſſent, præcipites in pacem ituros: quibus ſeu bello fractis ſeu pacis iniquæ, & ex ſuperbi hoſtis arbitrio compoſitæ vinculis, conſtrictis atque ſubactis, haud mediocriter verendum eſſe regi, ne omnis inde moles Turcici belli in ſeipſum verteret. Proinde ſalutari negocio incumberet, &, quando tam longè à bello abeſſet, neque diſcedere Hiſpania aut propiùs accedere ipſe poſſet, virum fide & ſapientia præſtantem deligeret, cui ſummam conſiliorum ſuorum mandaret, Romamque magna præditum poteſtate mitteret: dum enim de ſingulis propè rebus, quæ in diſceptationem veniunt, ipſe ex tam longinquo à legatis ſuis conſulitur, tempora atque opportunitates rerum ipſarum elabi ac præterire; in quo plerumque omne rei publicę momentum vertitur. Ante omnia daret operam, vt claſſes claſſiumque duces ad præfinitam ex fœdere diem locumque præſtò adeſſent, ne mora atque cunctatione eorum inanes tot ſumptus apparatusque ſociorum atque irriti quotannis euaderent. His mandatis monitum adieciſſe Pium ferunt, vt non omnia ſuis rex crederet, & veluti defugiens ipſe curas cuncta ad amicos reijceret, quorum conſilia non ſemper rectæ probæque menti eius reſponderent.

Ad Regem Luſitaniæ adit.

SEBASTIANVS, adoleſcens auidus laudis & inprimis religionis cupidus, magna propoſita gloria, ſi rem Chriſtianam tam neceſſario tempore iuuiſſet, vt

fœderi adiungeretur, hortandus Alexandrino fuit, &, eius intereſſe, oſtendendum, retundi Turcarum potentiam, quos ipſe graues accolas in Orientalibus plagis, vbi late à maioribus propagatum imperium obtinet, pateretur. Poſtulatum quoque ab eo eſt, vt legatos in Perſiam mitteret ad concitandam in Turcas eam gentem, quæ Sebaſtiani finitima regnis amicitia & ſocietate inter ſe attinebantur. In eandem ſententiam cum vtroque rege Antonius Theupulus Venetorum legatus egerat. Idem vtrique à Philippo reſponſum: nihil in ſe paſſurum deſiderari, quod ſibi aut dignitas ſua & perpetuum in Chriſtianam remp. ſtudium aut fides initi fœderis imponeret; Pontificiſque auctoritatem antiquiſſimam ſemper habiturum, quæ tanti eſſet ſibi, vt haud minori cupiditate parendi gratificandique Pij voluntati, quàm reip. quod deberet, præſtandi conſulendique teneretur. Sebaſtianus iuuenili nec ſatis conſulto ardore laudis elatus non inſenſus modò Turcis Mauriſque erat, ſed armis eos perſequendi cupidine flagrabat. Ergo, quantas poſſet, nauales copias magna voluntate vel vltro conſociaturum fuiſſe, reſpondit, niſi Hugonotorum inſidias vereri cogeretur (hoc nomine Galliæ hæreticos appellant, qui licentia religionis tantum opum collegere proximis annis, atque ita ſeditionibus armiſque cuncta miſcere ſunt aggreſſi, vt ſcelere atque audacia perciti vexandam ſibi Chriſtianam remp. deſumpſiſſe videantur) hos non ſolùm infeſta claſſe regni ſui oras populabundos circumuehi ſolere, ſed Mauros Africam contra Luſitaniam incolentes in ſe ſolicitare: ſe tamen in Pij poteſtate futurum, ſuaſque vires ei fœderi, quod pro Chriſtiana religione contractum eſſet, haud dubitanter ſequenti anno adiuncturum; nam tum

Philippi reſpõſum

Sebaſtiani reſpõſum.

Hugonoti hæretici.

quidem

quidem ad claſſem ornandam ſatis æſtatis non ſupereſſe. quam quidem claſſem in Græciam ne mitteret, an per ſe circa rubri maris oras bellum cum Turcis gereret, atque ita eorum diſtineret vires, cum ipſo Pontifice conſilium habiturum: eaque de re mandata legato ſuo, qui eſſet Romæ apud Pium, daturum, omniaque ab eo ita fieri, quemadmodum maximè Pius vellet, iuſſurum. De legatis in Perſiam mittendis facturum, quod Pius poſtulaſſet, oſtendit, quanquam exiguum ſpei in Perſis, propter ignauiam ac ſenium regis, intelligeret eſſe ponendum.

Venetorũ legatio ad regem Perſarum.

MISERANT & Veneti initio belli ad Tammaſum regem Perſarum Vincentium Alexandrium, qui per Germaniam ac Poloniam itinere facto, Moldauiamque inde emenſus ad Moncaſtrum nauem conſcenderat, traiectoque Euxino mari Sinopi in terram egreſſus inde per Armeniam regionesq. hoſtium, Turcico cultu ac Turcicæ linguæ gnarus eòque tutus inter barbaros, Taurim regiam Perſarum vrbem peruenit. Sed à rege inertiſſimo ac fœminis ſimillimo, in quarum gregibus vitam agebat, pæne ſine reſponſo dimiſſus nihil inde ſpei Venetias retulerat. Nam Tammaſus patre natus Ismaële, cui Sophio cognomen fuit, clariſſimo eius gentis rege ac Turcis infeſtiſſimo, adeo Turcarum formidabat arma turpi ocio & pecuniæ deditus, vt Ismaëlem filium, virum acrem & bellicoſum, & vt nominis ita odij in Turcas auiti hæredem virtutisque æmulum, degener ipſe complures annos in diligenti cuſtodia habuerit verens, ne ferocia eius Turcicum ſibi bellum conflaretur. Præter hæc de bello atque fœdere iungendo, egit cum Sebaſtiano Alexandrinus ex auctoritate Pontificis, vt Margaritam regis Galliæ ſororem in

Tammaſi regis inertia.

matri-

matrimonium acciperet. Quæ res antea agitata perduci ad exitum nequiuerat, quòd Sebaſtiani animus ab omni nuptiarum mentione abhorrens nullis ſuorum precibus euinci potuerat, vt in ſpem propagandæ ſtirpis de coniugio cogitaret. Sed Pius eam Sebaſtiano puellam tradi cupiebat tum vt Luſitanis gratificaretur, tum quia, peti illam Henrico regi Nauarræ adoleſcenti Hugonotorum opinionibus factioneq. imbuto, intellexerat: idq. vt auerteret, quo magnopere fulciri Hugonotorum in Gallia res videbantur, vehementer Sebaſtianum eſt hortatus vt duceret ipſe eam vxorem. Qui quidem adeo in auctoritate fuit Pontificis, vt diceret, non morem modò ſe Pio paratum gerere, ſed ne vllam quidem aliam à rege Gallorum dotem poſtulare, quàm vt Turcis amicitiam renunciaret, & cum reliquis Chriſtianis regibus bellum aduerſus barbaros pro Chriſti cultu atque religione capeſſeret.

Sebaſtiani regis Luſitaniȩ pietas, ac religio.

EX Hiſpania vt tranſiret in Galliam, Alexandrino imperatum eſt, & eum quoque regem ad ſocietatem belli adhortari, non tam ſpe mouendi quicquam (nam & regi cum Turcis amicitia manebat, neque Galliæ inteſtinis Hugonotorum bellis ac ſeditionibus attritæ is ſtatus erat, vt Turcas ex amicis hoſtes faceret) quàm honoris regis cauſa, ne vnus præteriri videretur: & ſimul fidei exigendæ, nihil eum Hiſpanos longè ab domo pio bello occupatos interpellaturum. Ea enim multorum opinio erat, non quieturos Gallos, vſuroſque occaſione in nudatum armis Philippum Hugonotorum impetum ab ſe auertendi, impellente Gaſpare Colineo Ammiralio, quo tum capite Hugonoti vtebantur homine callido & ad omne facinus, quo eius augeri opes poſſent, prompto intentoque, &, magnam

Alexandrinus Galliȩ regē adit.

Gaſpar Colineus Hugonotorum caput.

ſibi creſcendi materiam patefieri ex regum diſſidio, cernente. Rex (vt mos eſt inter ſe potentum fictis ac ſpecioſis reſponſis ludificari) ſi reliqui quoque reges,& inprimis Maximilianus Cæſar ei fœderi acceſſiſſet,ſe & Pij auctoritatem & maiorum ſuorum exempla ſecutum pari ſtudio conatuq. in partem eius belli venturum eſſe, reſpondit. vtique ab ea pace atque amicitia, quam cum Philippo haberet, noua etiam tum affinitate confirmata (duas ſorores Maximiliani filias duxerant) non diſceſſurum, prolixè affirmauit. De ſorore in matrimonium Sebaſtiano tradenda reſpondit,deſponſam eam ab ſe Henrico regi Nauarræ eſſe. Id verò cùm Alexandrinus vehementer reprehenderet, eaque affinitate ipſum regiamque labefactari, muniri ac firmari aduerſariorum opes, oſtenderet, & Pij verbis ab eo, ne ſororem ſeque ac regnum in diſcrimen daret, contenderet, omnique ratione ab illa neceſſitudine eum deterreret; commotus rex legati manu apprehenſa,Nunciato, inquit Pio,hunc eſſe Henricum,cui ſororem meam trado,miti iuuenem ingenio, nec mihi, eum ad ſanitatem atque cultum veræ pietatis reducere, difficile fore: detracturumque meis inimicis ducem hac coniunctione, non validiorem facturum. cæterùm haud aliam mihi nunc viam expeditiorem relictam vlciſcendi eos, quorum fraude ac ſcelere regnum tot tumultibus ac ſeditionibus vexatum ac debilitatum habeo. His acceptis in Hiſpania Galliaque reſponſis, & vbique à regibus magnis honoribus cultus Alexandrinus Romam rediјt.

Galliarũ regis reſpõſio ad Alexãdrinũ Card.

COMMENDONVM longius & operoſius negocium excepit; vt uarijs exortis rebus caſibusque vltra biennium in ea legatione retentus fuerit. Proficiſcenti duabus maximè de rebus mandata à Pio data ſunt. Illud

ſcilicet primùm, vt, quantum poſſet, vi atque arte orationis, qua præcipuè laude ille commendabatur, Maximilianum contenderet in ſocietatem belli perducere. Alterum haud minùs graue de Coſmo Medice Florentinorum Duce. Hunc adoleſcentem, occiſo Florentiæ Laurentini gentilis ſui inſidijs Alexandro Duce, cùm ciuitas nec vnquam ſatis potens libertatis, & tum in exitium præceps niſi ſe vni commiſiſſet, è priuato loco principem ac rectorem reip. legiſſet; tantæ indolis ac tanti mox animi atque conſilij vir euaſit, vt & ſtatim maiora, quàm quæ offerebantur, eum amplecti animo apparuerit, & motam de illo ſpem breui proſperi rerum euentus approbarint. In nouo regno inquietaque ciuitate priuatis ſe conſilijs & publicis opibus munientem crebræ nobilium ſeceſſiones ab urbe exiliaque & coitiones, & ſecutum mox bellum excepere. Sed hæc omnia illi intento excubantique rebus ſuis, pariterque & à fraude coniurationum & à vi atque armis tuto, in potentiam vertere. Nam inimicorum alij acie aut exilio, alij iudicijs ac damnationibus abſumpti; reliqui ciues beneficijs eius capti atque obnoxij honoratam ſeruitutem, & diuitias obſequio partas ingloria atque inopi libertate potiores habebant: & ſociæ atque ſubiunctæ ciuitates magiſtratuum auaritiæ, & ſingulorum ſuperbiæ pertæſæ vnius imperio magis lætabantur. Ita ille paulatim ſenatus, populi, legum munia ditionis ſuæ faciens, vanis modò ſine re magiſtratuum relictis nominibus, omni abolito iure libertatis, cuius nec cupidior nec impotentior vlla vnquam ciuitas fuit, omne in ſe vnum tranſtulit Florentinorum imperium. Poſtremò etiam Petro Strotio, viro forti atque audaci, quo Florentini exules Gallorum armis fulti duce ad repetendam patriam vtebantur,

Coſmi Medicis fortuna, & magna indoles.

fuſo

fuſo atque Hetruria pulſo, Senas validam atque opulentam vrbem ſub poteſtatem ſuam redegit; atque inde, duplicato regno multisque ornato atque firmato munimentis, longè inter Italiæ principes opibus & auctoritate eminere cœpit. Sed more ingenij humani ex præſentium prouentu ad altiora vſque tendentis, aucta cum dominatu ambitione, nec contentus Ducis nomine (quo hodie, in ciuitatibus ſuis regnum qui obtinent, vocitantur) ſiue vt vi atque armis poſſeſſa iure quoque addito in poſterum magis firmaret; ad regis appellationem animum adiecit, vt, quem honorem potentia impleret, eius quoque vocabulo inſigniretur. Rem ſuo molimine grauem, ſæpe fruſtra tentatam, nunquam prorſus depoſitam ex aliqua parte à Pio obtinuit. Conuerſus enim ad eius ſibi animum conciliandum diligenti religionis cultu, & acribus aduerſum hæreticos quæſtionibus inſtitutis, quibus rebus maximè Pium ſenſerat capi, ita obſequijs demulſit deuinxitq. ſibi, vt anno CIϽ.IϽ.LXX. quod regiæ dignitati proximum eſt viſum, Magnus Dux Hetruriæ appellatus ab eo ſit: ac Romam frequenti nobilium virorum comitatu venientem Pius cùm duorum Cardinalium occurſu hoſpitio benignè accepiſſet, in ſolennibus ſacris ei diadema impoſuit. Enimuero Maximilianus ea re imminui dignitatem ſuam ratus, quòd, Coſmum in fide ac ditione Cæſarum eſſe, diceret, neque Pontifici in ſubiectos imperio Cæſarum ius vllum eſſe; quanquam negaret Coſmus, vlla ſe Cæſari clientela fideue obſtrictum eſſe, tamen ei honorem hunc abrogauerat, queſtumque ea de re Romam legatos miſerat. Cùm & Pius factum tueretur ſuum, & Coſmus ea appellatione nequaquam reſpectu Cæſaris abſtineret, de ea ſedanda & componenda controuerſia

Magni Ducis appellationem qua ratione ſibi comparauerit à Pio Coſmus.

quæ agitata magnam flammam datura videbatur, Commendono negocium eſt mandatum. Qui apud Maximilianum de Cæſarum iure atque Pontificum Max. poteſtate deque præcidenda tam alieno tempore exorta contentione, quæ Maximiliano ipſi minimè vtilis futura eſſet, cùm ſæpe accuratè diſſeruiſſet, redargutum ac lenitum Cæſarem adduxit eò, vt, legatum ipſum rationes quærere viamque, qua non reſciſſo Pij decreto ſuum ipſi quoque ius ſaluum maneret, iuſſerit. Impoſitusque tum finis rei foret, niſi, cuncta omittere & protinus in Poloniam magnis itineribus contendere legatum, Pius iuſſiſſet, vt Auguſti regis conatibus ſe obijceret, quem ignobilis puellæ amore captum occulta conſilia repudiandi Catharinam coniugem (ea Maximiliani ſoror erat) agitare didicerat.

CETERVM de fœdere explorauerant antè Maximiliani animum Veneti miſſo ad eum Iacobo Sorantio legato, qui pertentatis Cæſaris amicorumque eius ſenſibus exiguam ſpem Venetias retulerat: nam Cæſarem, tranſacto tempore induciarum, quæ ſibi cum Turcis eſſent, tum demum, ſiquæ ſibi à fœderatis conditiones offerentur, ex ijs conſilia eſſe habiturum, reſpondiſſe: nec ſe, cùm omni ſtudio contendiſſet ab eo, vt promeret quas ipſe conditiones optaret, exprimere vnquam potuiſſe. Nam Maximilianus, quemadmodum eo bello impensè lætatus erat, & quò diuturnius eſſet, iungendæ ſocietati enixè fauerat, ita ſe ei miſcere vllam in partem incertis adhuc rebus nolebat: quippe cùm corpore inualido atque imbelli eſſet, tùm ingenium eius haud ferme vllius magni diſcriminis capax, arte & conſilijs, quàm armis, certare aptius promptiusque habebatur. nec ipſi ſatis virium tanto gerendo bel-

Maximilianus fœdere à iungẽdo alienus.

lo, nec mouendis Germanis ſatis auctoritatis erat, qui obiectos Turcis fines tueri, quàm proferre, malle putantur. nec præterea Venetorum conſtantiæ ſatis fidebat, verebaturque ne ab ijs in medio bello deſereretur, cuius omnis inde impetus in ſe vnum ingrueret, vſu doctus, infirmas ſolutasque fœderum ac plurium ſocietatis vires eſſe ſolere. Et Philippus, qui vnus & ſuppeditare ipſas vires & impellere ad conandum poſſe videbatur, retrahebat. Ergo fictè omnia ac ſimulatè agebantur. Philippi legatus palàm Maximilianum accendere, hortari, non defuturum ei regem, polliceri: ſecretò, ne ſe in præcipitem rerum ſuarum dimicationem daret, monere. Cæſar ſpeciem cupientis bellum ferens alere Pij ac Venetorum ſpem ſtudebat. Ad hunc ita affectum Commendonus cùm veniſſet, miſſum ſe, ait, à Pio non tam adhortatum eum, vt ſecum & cum Philippo rege ac Venetis bellum aduerſus Turcas ſuſciperet, quàm vt ſciret, ſi capeſſeret impigrè arma, omnia ſibi expectanda ab eo eſſe, quæ à parente in filium proficiſci in tali re poſſent. Etenim ſi ad id, quod & Imperatoris nomen munusque & ſuum ipſius ac rerum ſuarum tempus ei imponeret, ac res ipſa perſpicua atque ante oculos poſita poſceret, ſua ſponte non ferretur, ne alienas quidem adhortationes ſatis efficaces fore apud eum, quem tot proprij ſtimuli non mouerent. Pium quidem, in cogitatione imminentis Chriſtianæ reip. à præpotente ac internecino hoſte periculi, cùm ad conciliandos inter ſe pro communi ſalute reges mutuis odijs ſuſpicionibusque laborantes humanis conſilijs deſtitueretur, inde ab inito Pontificatu ſæpe intimis animis precatum eſſe Deum, vt ipſe nobis viam ſua ſacra, ſuam religionem vindicandi, imma-

Commendoni ad Cæſarem oratio.

nisque

niſque belluæ vim atque impetum refringendi atque coẽrcendi aperiret. Haud irritas fudiſſe preces, videri, niſi nos exitio inſiſtimus noſtro. Tyrannum barbara vanitate atque arrogantia elatum, eundem voluptatibus vino luxuque confectum ex illo ſuperbiæ ac luxuriæ ſolio vltrò bello aggreſſum nos eſſe: ac, non Cyprum modò ſe Venetis adempturum, ſed Italiæ bellum illaturum, minari. Hanc adeo mentem atque hunc illi obiectum à Deo furorem, credere Pium, vt, quod à Chriſtianis regibus ius ratioque impetrare ad id locorum nequiuit, id aliquando neceſſitas exprimat, & pudor, ſi ab tam turpi ebrioſoque vincantur. Et id eſſe bellum huiuſmodi, quo obrui dormientes atque in priſtino languore diſſidioque manentes facilè poſſimus: erectis animis & conſociatis viribus occaſioni incumbentes victoriam in manibus eſſe habituros. Quantæ enim cunq. ſint Turcarum opes, imperante ignauiſſimo mortalium, deſidiaq. ac mollitia fluente rege nullas profectò futuras: quin ipſæ ſe, vbi impulſæ fuerint, magnitudine collident ac frangent, vt nauis, quæ vel egregiè viris armisque inſtructa ſi imperito gubernatori pareat, ad primum tempeſtatis impetum euertatur, neceſſe eſt. Atqui huius victoriæ nec fructum maiorem ad vllum peruenturum, quàm ad ipſum: nec tam exploratæ ſpei, communis auertendæ peſtis reique Chriſtianę erigendę, deeſſe quenquam minùs debere. Quippe ipſum & dignitate honoris omnes anteire reges, & eius maximè officij eſſe Chriſtianum tueri nomen: vt, ſi ceſſaret hoc tempore Pius, partes ipſius forent ſuſcipere publicam cauſam, & reliquos excitare reges atque ad gerendum pariter bellum adhortari. Non ſe commemoraturum inflictas parenti ſuo ſibique à Turcarum gente clades, ne com-

munia cum re publica familiæ ſuæ vulnera refricaret, ac ne aſſiduas quidem iniurias atque incurſiones, quibus in ipſa pace ab rapaciſſimis atque inſolentiſſimis barbaris quotidie carpitur. Neque enim incitandum eum eſſe aduerſum illum hoſtem, à quo Vngariæ pulſus regno inducias infideliſſimas quotannis grandi pecunia emere cogatur, quem ne ſic quidem ſatis arcere paterni imperij finibus poſſit. Vnam Turcis opprimendi Chriſtianos viam, ſingulos diſiunctosque aggrediendi: eandem nobis cladium cauſam ſemper fuiſſe. Dum enim quiſque, alterius damna ad ſe non pertinere, exiſtimat, omnibus ſimul par periculum eſſe contractum. ſcilicet præſenti ocio gaudentes, peti nos per ſociorum clades, prauis excæcati ſtudijs non ſentimus. Nunquam terra ſimul marique à Chriſtianis bellum cum ea gente geſtum, quo eorum diſtineri vires potuerint: aut, quieſcentibus Venetis, maritimo metu vacuos in Vngariam incubuiſſe, aut, compoſitis Vngariæ rebus, tutosq. ab terreſtri bello impetum in Venetos auertiſſe. Societatis inter Pium ac Philippum Venetosque iunctæ eas facultates eſſe, vt, ſi ipſe ſibi reique publicæ non defuerit, haud dubiam ſpem præcipiant homines, euerti Turcarum opes, aut certe accidi atque eneruari tyrannidem poſſe. Claſſem CCL. lonrum nauium fore, quantam ne hoſtes quidem eſſent habituri: ad hoc LM. peditum, quinque equitum: vnde, ſi ipſe adiunctis Germanis paulum modò connixus impreſſionem in Vngariam feciſſet, vnica profectò expeditione non modò recepturum regnum vnde pater ipſeque exacti eſſent, ſed hoſtes imparatos immunitosque in Thraciam vſque ſummoturum, atque Byzantio ipſi terrorem iniecturum. Non Pium ſociosque, non denique vllum regum princi-

pumùe Chriſtianorum hæc conanti defuturum. Ne Polonos quidem, inclytam bello nationem atque equitatu pollentem, quicquam dubitaturos, quin Pontifice Max. auctore, Cæſare duce in communem cauſam deſcenderent; quibus adiunctis, non fugere eum, quanta acceſſio virium futura eſſet. vt ſi hanc vnam oblatam diuinitus occaſionem elabi cunctatione aut ſocordia noſtra patiamur, tum æſtimare ſit, iratum Deum mentem nobis conſiliumque eripuiſſe.

HAEC ſæpe agentem Commendonum Maximilianus cum aſſenſu audiebat: ſed, cùm animus ad conandum deeſſet, aliquot diebus deliberando extractis, reſponſum in hanc ſententiam ſcriptum tradit: Vinci Turcas, nemini aut optatius aut vtilius eſse quàm vni ſibi, qui peſtem illam lateri ſuo adhærentem habeat; ſed infenſo animis, & adiuuare pium bellum armiſque vrgere perennem hoſtem cupienti inducias cum tyranno manere, quarum cùm tempus non exijſset, fide ſe ac iuriſiurandi religione obligatum teneri. Ad id, cùm maximè omnium periculo obiectus eſset, ne in ſe temerè bellum irritaret, expectandum eſse ſibi, quid rex Poloniæ, quid ceteri principes de eodem bello ſtatuerent. Præpoſteram verò conſilij viam ingreſsum, dicere Commendonus: nam vtros tandem incitare alios ac præire exemplo debere? qui perpetuis vexatus iniurijs propè faucibus hoſtis premeretur, an qui longè terrarum ab eo diſſiti nullo præſenti diſcrimine vrgerentur? Non ipſi aliorum expectanda de publico bello conſilia decretaùe eſse, ſed ſuam alijs auctoritatem quam ſequantur præferendam: & qui cæteros reges honore præfulgeat, eum ducem & rei & conſilij, non comitem eſse oporte-

Maximiliani Cæſaris reſponſum.

Commendoni ſubiectio.

re. Quem, ſi ipſe cunctetur, aut hunc ardorem ad reliquos ciendos habiturum, aut, ſi maximè habeat, tanti apud ſua ſponte retractantes futurum? An ab ſeipſo Pij verbis cum Polonis alijsùe populis agente non idem omnes illico quæſituros, Quid Cæſar? quæ conſilia, quos apparatus belli habet? quibus ſi, ſecuturum eum aliorum conatus, narret, iam nunc intelligi poſſe, quid ſpei eſſet relaturus. Sed quid aliorum, quieſcente eo, inanes ſpes agitet? Ipſos Venetos, vbi ſcripta eius hæc reſponſa legerint, vbi irrita promiſſa accendentis nuper eos ad arma eſſe, vbi cum integro & omnes vires in vnum nauale bellum conferente hoſte ſibi certamen fore, ſenſerint; falli eum, ſi eadem conſtantia perſeueraturos in bello, qua initum eſt ab ijs, putet. Succumbent dimicationi, cui, niſi terreſtris ipſe ab Vngaria hoſtis accedat, pares eſſe diu non poſſunt. Proinde, ſi vndequaque concedi Turcis tradique victoriam ante bellum placeret, atque illud fœdus diſſolui, quo nunc vno veluti obiecto clypeo tegi viderentur; pergeret his reſponſis non ſolùm ſe fractum infirmumque fateri, ſed aliorum quoque deterrere ac debilitare animos. Nam, de induciarum fide quod prætexuerit, ſuperuacaneum eſſe refellere: ipſum enim ſæpe apud ſe queſtum, ſæpe in Germanorum conſilijs profeſſum eſſe, ſibi induciarum nomen cum Turcis, re continens bellum manere. Et barbaris non vllo Dei metu, ſed libidine animi ſtare fidem, & pacis iura ab his non incurſionibus modò in ſuum regnum, ſed oppidorum expugnationibus quotidie violari ac proteri. Itaque videret, ne, in quo vniuerſa proditur ac deſeritur religio, in eo Cæſarem nimis religioſum eſſe, Chriſtiani populi prædicarent. ſe quidem, quòd officij atque fidei ſuæ ſit, non vltrà

dilatu-

dilaturum quin Pontificem de omnibus rebus faciat certiorem: quam ea in partem & Pij ipſius & maximè Venetorum animos motura ſint, ipſum pro ſua prudentia cogitare debere. Hæc ab ſe liberiùs vt agantur, & ſuam fidem & magnitudinem rei & ſuum quoque vetuſtum in Cæſarem ipſum ſtudium cogere: orare eum, vt æquo animo & acciperet, & reputaret: quippe occaſio vbi præterierit, ſeram pœnitentiam fore.

HIS perculſus ſermonibus Maximilianus, verens ne hæc Romam Venetiasque nunciata, quod facturum extemplo Commendonum videbat, vehementer conſilia belli ardoremq. reſtinguerent, ſpatium nouæ deliberationi anxius poſtulat: in qua adeo ancipiti cura tortus & diſtractus eſt (cùm neque implicari graui & periculoſo bello vellet, neque recuſando ſocietatem diſſoluere, neque viam elabendi, vndique vrgente atque inſtante legato, cerneret) vt ſequenti die vixdum orta luce ad Commendonum epiſtolam manu ſua ſcriptam, anxij ac perplexi animi indicem, miſerit; quam nos ipſi tum legimus; & quò magis perſpicuè omnia pateant, exemplum eius ſubſcribere placuit: Maximilianus Cæſar Commendono Cardinali. Inſomnem hanc noctem ab heſterno ſermone egi: ita multa animum diſtinuere ac ſolicitum habuere meum. ſumma enim res eſt, neque ad me ſolùm ſed ad vniuerſam rem publicam pertinens, de qua deliberamus. Ad extremum adiutus cæleſti ope videor mihi id cepiſſe conſilij, quod tibi, vt ſpero, & Pio facilè probabitur. Sed abs te per amicitiam peto, vt Romam certi nihil ſcribas antequam collocuti vnà fuerimus, quòd dabo operam vt ante biduum fiat: interea paruam hanc reſponſo moram moleſtè ne feras.

Maximiliani epiſtola ad Commendonum.

Maximilianꝰ deliberatio

Triduo igitur in ea conſultatione conſumpto, ad extremum accito legato, futurum ſe in Pontificis Max. poteſtate, reſpondit. Ceterùm, nequa vis ab repentino hoſte in ſe ingrueret, & iuuari ſe ſociorum ope æquum eſſe, &, quorum auxiliorum fiducia in tanti diſcrimen belli deſcenderet, exploratum ſibi cognitumque priùs eſſe debere, quàm conſilia emanarent. Edendum igitur Pio ſocijsque eſſe, quas ad ſe copias peditum equitumque in id bellum miſſuri eſſent. Commendonus, facturos verò ſocios vt valida ei auxilia mittant, confirmauit: ſed, ea definire, illius, dixit, eſſe qui poſtularet. Negante Maximiliano & in eo perſtante, vt ſocij, quæ ſibi auxilia daturi eſsent, priores ederent; At ſic quidem in eaſdem reuolueris ſuſpiciones, inquit Commendonus, quas nouo decreto vitare voluiſti: cui enim non appareat, moram ac dilationem quæri, vt ſi res ad ſocios reijciatur, cum è tam diſtantibus locis conſulendi ſint, tempus gerendarum rerum antè elabatur, quàm eorum voluntates cognoſci, nedum inter eos conuenire poſſit? qui, ſi, quod tribui tibi æquum cenſes, ſimpliciter prompſeris, ſine recuſatione omnia ſis impetraturus. Quæ enim cupias quæùe opus habeas, & vnus profectò optimè noſti, & ea, verius eſt, à te ipſo dici quàm iudicari ab alijs. Cum diu contendiſset Maximilianus, demum Commendoni oratione victus ceſſit, ac ſi XXM. peditum, quatuor equitum ſibi à fœderatis mitterentur, quorum pars dimidia Germanorum eſset, his auxilijs, copijs quas ipſe eſset effecturus additis, acre ſe bellum in Vngaria Turcis facturum, dixit.

Rurſus diſceptatio cũ Commẽdono.

HOC expugnato reſponſo Commendon uscùm omnia, vt acta erant, cum cura ad Pium perſcripſiſset,

certo homine qui celeriter literas Romam perferret miſſo, ipſe in Poloniam non tam ad ſolicitandum ad idem bellum regem, quàm à præcipiti cupiditate repudiandæ vxoris reuocandum protinus abijt. Eò cùm hieme ſumma ſuperatis per Morauiam atque Sileſiam niuibus veniſſet, regem vulgaris ſcorti amore implicitum, corpore ægrum, animo prauis inuolutum cupiditatibus ac minimè belli conſilijs opportunum inuenit. Cæterùm de diuortio quod clàm coquebat, diſſimulare, ac rem in legati diſceſſum differre ſtatuerat. Sed Commendonum per amicos (mirè enim ab illa gente & publicè & priuatim colebatur) cuncta explorantem nihil, quod agitaretur, fugiebat. Caſtigato atque apta oratione correpto rege, qui coniugium, rem inter Chriſtianos ſanctiſſimam, qui ſacratarum legum veneranda iura diſſoluere ac reſcindere poſſe ſperaret, quod præter inſignem labem, quam nomini ſuo aſpergeret, ne ſine magno quidem motu rerum effecturus fuiſſet, rem in præſentia diſcuſſerat, exorituram iterum, niſi reginæ mors illis ipſis renunciata diebus omnem iam mentionem eius oppreſſiſſet. Ea ab viri diſſidio cum remota geniali lecto ſepoſitaque neglectui diu fuiſſet, per ſpeciem viſendi ſuos egreſſa regno Lintij in fraternæ ditionis oppido iniuriæ dolore, cuius nemo vltor extiterat, perijt. Rex de belli ſocietate appellatus rem ad gentis concilium, quod indictum Varſouiam tum maximè cogebatur, reiecit, ſuorum ſententijs à quo ipſe abhorreret excuſaturus. Sed fortè Valachi, gens finitima Poloniæ, ac Turcarum vectigalis, expulſo per ſeditionem Bogdano rege, alteri è popularibus ſuis Turcarum gratia atq; armis ſubnixo regnum detulerant: & Poloni reſtituere Bogdanum conati Turcas offendere. Ea res metum

Auguſtus Poloniæ rex diuortio ſtudet.

Corripitur à Cõmẽdono.

Reginæ obitus.

Valachi Bogdanũ regẽ expellunt.

inieceratregi Turcici belli,cui decernendo paratam in ſenatu factionem ſentiebat. Nam plerique Principum Commendoni familiaritate & beneuolentia illigati poſtulatis eius enixè fauebant, & ipſi occaſionem augendæ potentiæ ex bello quærentes. Rem commodè procedentem regis morbus ingraueſcens interpellauit, in id vnum ab reliquis rebus auerſis omnium curis, quòd neque regi liberi, nec regiæ ſtirpis, qui ſuccederet, erat: & ipſo Commendono vehementer ei cogitationi intento ac ſolicito, ne hæretici, audax genus ac facinoroſum, quorum & in ſenatu & apud multitudinem haud negligendæ opes erant, ad regnum corporis ſui aliquem, quod ingentibus ſtudijs ſenſerat agi, pertruderent. Sine vllo operæpretio ſua ſponte ſoluto concilio rex Varſouia Chiniſcinum in Lithuaniæ fines eſt profectus. Ibi cùm amore perditus nec intemperantiæ modum ſibi faceret, & curationi ſuæ, alijs ſummotis, ſagam anum ſalutem cantionibus ac veneficijs pollicentem adhibuiſſet, paucis diebus morbo intabuit. Mortuo rege accenſi ingenti certamine procerum animi, non ſpe potiundi regni (nullius enim ita opes eminebant) ſed contentione trahendi ad ſe quiſque gratiam delati honoris. Cum extractum in annum interregnum eſſet, poſtremò comitijs apud Varſouiam habitis Henricum regis Galliæ fratrem, deiectis quos hæretici multa ambitione arteque producebant, regem crearunt. Atque hæ res Commendonum in Polonia tenuerunt.

Regis miſer amors

Henricus regis Galliæ frater, regno Poloniæ ſuffectus.

INTEREA dum Chriſtiani iungendis fœderibus altercandoque de ſingulis tempus terunt, Turcæ ingenti confecta claſſe Venetorum inſulas oraſque immaniter vaſtabant. Ineunte Aprili Halyus cum LXXX. nauibus By-

zantio

zantio egreſſus ſupplementum militum ad exercitum in Cyprum deportauit: relictoque ibi Arpagmato cum XXX. triremibus ac multis nauigijs, qui Muſtaphæ rem ad Famaguſtam gerenti, quò vſus poſceret, præſtò eſſet, ipſe cum reliquis nauibus Rhodum atque inde præteruectus Cretam in Eubœam redijt: huic nunc inſulæ Nigroponti eſt nomen. Ibi cum tota claſſe è Byzantio Pertaus aderat: is Pialeio ad nauale imperium ſucceſſerat. Pialeium ipſum rex Byzantij retinuerat ſiue iratus ei, quòd ſuperiore anno occaſione profligandæ Chriſtianæ claſſis vti neſciuiſſet, ſiue filiæ indulgens, viri deſiderium nimis fracto animo muliebrique ferenti. Venerant ad claſsem iiſdem diebus duo nobiles archipiratæ Vlucialis & Caracoſsa, vterque Italus genere, is in Piceno, ille in Calabria natus. Vterque ſeruitutem apud Turcas ſeruiuerat, exque ea, eiuratis Chriſtianis ſacris, in libertatem aſciti audacia atque induſtria ad magnas ſeſe opes extulerant; vt Vlucialis in Africa procurationem regni Algerij conceſsu Turcarum obtineret. Is naues longas nouem, minora nauigia tredecim, Caracoſſa XL. naues ferè biremes adduxit: ac magno vterque in honore ab Halijo & Pertao ob virtutem habebatur. Erat omnis Turcica claſſis CCC. nauium, quarum CC. longæ, C. minoris generis erant. Cum hac claſſe Eubœa profecti Tinem Venetorum paruam inſulam ex itinere depopulati ſunt: adoriri oppidum aut operæpretium non rati, aut non auſi diſceſſere. Nam & in colle edito atque aſcenſu arduo ſitum erat, & Paruta Venetus præfectus armatos in mœnibus cum fiducia virium hoſtibus oſtentauerat. Tine Cretam dirigere curſum Pertaus iuſſit: noctu ad inſulam, ne videri à ſpeculantibus longè poſſet, acceſſit, ac repen-

Pertaus Pialeio ſuffectus.

Vlcialis, & Caracoſſa piratę.

Turcicę claſſis ſumma.

tinus

tinus Sudæ portum peramplum & in multos ac tutos curuatum ſinus intrauit. Ibi expoſiti milites capto oppido flammas iniecere; progreſſique longiùs, magno agreſtium numero oppreſſo, aliquot vicos incendere. Effuſè ferro atque igne graſſantium impetum Lucas Michaëlius Caneæ magiſtratus cum octingentis militibus Corſis, qui cum Iuſtiniano nobili Ianuenſi eorum præfecto commodùm Caneam appulerant, addita oppidanorum manu obuiàm egreſſus repreſſit.

Sudã Pertaus incendit.

VLVCIALIS inde cum L. triremibus latus inſulæ, quod Aquilonem aſpicit, circumire ac tectis ignes, populationem agris inferre iuſſus: illum imperata impigrè facientem etiam fortuna iuuit. Erat Rhetimus frequens nec ignobile oppidum, ſed intutum atque opportunum inuadentibus, neque mœnibus firmum neque milite munitum. Itaque ad famam ſtantis ad Eubœam hoſtium claſſis commoti Barocius ac Hieronymi Iuſtinianus & Sagredus Veneti magiſtratus à Marino Caballo legato ſummis precibus poſtularunt, vt D. ſaltem milites mitteret ad ſe, qui vrbem à repentino exſcenſu hoſtium tutarentur, metuque perterritos Rhetimatium animos eo ſubſidio ſuſtentarent. Quibus negatis, quòd Caballus tanto impendente diſcrimine minui Candiæ præſidium, quæ caput rerum erat, nolebat; tantus terror oppidanos inceſſit, vt, cùm pauentes ad ſingulos nuncios ſolicitum illud omne tempus egiſsent, ad primos appulſæ ad Sudam Turcicæ claſſis rumores omnis ſe ciuitas, nequicquam retinentibus magiſtratibus, in fugam effuderit tanto pauore atque tumultu, ſine vlla cura ſuarum rerum, corpora tantum ſua liberorumque ac coniugum à ſeruitute ac cæde

Res à Turcis in Creta geſtæ.

Rhetimatium ſuſa gnis pauor.

eripere properantes, in montes ſe ac loca tuta proripuerint. Quos ad extremum ipſi quoque magiſtratus publica pecunia tabulisque ab atis, & magno cælati argenti pondere, quod è priuatorum ædibus raptim comportari iuſſerant, in profundum immerſo puteum, ſecuti, oppidum deſeruerunt. Vlucialis igitur cùm exuſtis latè agris per inopem ac miſeram ruſticæ ſupellectilis, ac vilium mancipiorum prædam peruaſiſſet Rhetimum non tam tentandi oppidi, ſi paratos modò ad defenſionem vidiſſet, quàm iniiciendi terroris cauſa, vacuum hominibus repertum diripuit, prædaque ingenti ac magni precij ditato milite, oppidum omnibus fortunis exhauſtum incendit & diruit. Ferunt, barbarum effuſum in riſum & Chriſtianorum ignauiæ illudentem, anum, quam vnam in deſerto oppido inuenit, conſeruatam ac ſuis donatam rebus reddere ab ſe gratias, iuſſiſſe, Rhetimatibus pro tam opimis muneribus ſibi relictis. atque inde onuſtis præda nauibus ad claſſem rediit.

Vlucialis diruit Rhetimũ tam ignauis.

EA populatio, & Rhetimi indignum excidium agreſtes & montanos homines, antè ob tributa & exactos acerbiùs remiges alienatos, & tum ex Cretæ cladibus perditas Venetorum res interpretantes, ad ſpem nouarum rerum conciuit: ac, ſi Turcæ paulò diutiùs in inſula morati eſſent, vt ad externum terrorem inteſtina quoque fraus accederet, ſiſti Cretenſis res non poſſe videbatur. Saluti fuit maturus hoſtium ab inſula diſceſſus. Erumpentem eam defectionem nobilis iuuenis, pulſato per laſciuiam ac licentiam eorum ſacerdote, accelerauit. Arreptis veluti in vltionem contumeliæ armis, concurſu vndique ex agris facto, non ſolùm ipſum iniuriæ auctorem occiderunt, ſed

Agreſtiũ ſeditio, ſecutiq. ſupplicia.

fratres parenteſque eius immaniter trucidarunt, domumq. in ſceleris cumulum diripuerunt: atque eo incitati facinore nobilium cædem faciunt, fortunaſque eorum velut iuſto raptas bello inter ſe diuidunt. Literas inde ad Pertaum ſcribunt, ſeque in eius fidem dedunt. Miſſus qui literas ferret claſſem ad Sudam non inuenit: quo renunciato, perculſis omnibus metu ſuppliciorum, plerique domum dilabuntur: alij ad legatum mittunt fidem in ſex menſes purgandis criminibus petentes. Caballus quantò magis eum motum timuerat, tantò promptiùs vltro venientibus ad ſe cuncta conceſſit. Verùm, cùm inſula exceſſiſset hoſtis, miſſo in ea loca Petro Auogaro cum mille peditibus, adiuuante Matthæo Calergio nobili Cretenſi, quem magna amicorum & clientum manus ſequebatur, coacti ponere arma, quæſtionibus ſubiecti meritas pœnas reip. dederunt. De multis ſupplicium ſumptum, plures in naues longas ad remum damnati.

TVRCAE è Suda profecti, cùm Caneæ iniecturi terrorem ad ſcopulum, cui Turluro eſt nomen, acceſſiſsent, ſæua tempeſtate vexati tres naues amiſere, nouem afflictæ littori ægre ſeruatæ ſunt. Inde relicta Creta Cerigum (Cythera hæc veteribus fuit) petiere, populatique agrum ab oppugnatione oppidi abſtinuere. E Cerigo Zacynthum Pertaus inuaſit: &, quia oppidani in arcem egregiè tutam ſeſe receperant, in ædificia atque arbores ſæuitum. Maxima clades vinearum fuit, cæſis latè vitibus quibus tota conſita eſt inſula. nec minor doliorum; quorum ingenti numero incenſo, vbi inſequentium annorum vina reconderent, non habuere. Pertaus inde Cephaleniam traiecit, maiorem inſulam & agri fœcundioris: eò

præda vberior hominum pecudumque fuit. Ea vaſtata inſula Corcyram petere claſſem iubet. Facturum id, antè præuiderant Aloyſius Georgius & Franciſcus Cornelius, qui Corcyram adminiſtrabant, atque, ad ſe oppugnandum venire Pertaum rati, non omnia ſolùm ad defenſionem cum cura comparauerant, ſed perceptis maturè frugibus cuncta in oppidum comportari, ac demigrari ex agris iuſſerant. Itaque in terram cùm exſcendiſſent Turcæ, nulla inuenta præda, incendijs graſſari: non arborem non ædificium ferro atque igne intactum reliquerunt. Veneti milites vt non temerè cum pluribus congrediebantur, ita palantes paſſim Turcas excipientes multos eorum occiderunt, aliquot etiam viuos ceperunt: ex quibus, non eo conſilio Corcyram veniſſe Turcas, læti cognouerunt, vt oppidum præcelſo atque tuto loco ſitum aggrederentur. Quod indicium mox ipſa res comprobauit: nam inde profectus Pertaus ad Sopotum recipiendum claſſem auertit. Id oppidum initio belli, vt ſuprà demonſtratum eſt, Veneti non tam vi quàm metu ac fuga Turcarum ceperant, eiusque cuſtodiam Manolio tradiderant, quo maximè auctore ea ſuſcepta expeditio fuerat. Qui in præſidio erant Itali milites, tantæ claſſis fama appulſuq. territi, pari flagitio oppidum deſeruere, atque anno ſuperiore à Turcis relictum fuerat; ſeq. per auerſam portam præcipites fugę mandarunt; tanto maiori cum dedecore quàm Turcæ, quòd Manolius ipſe, cui præcipuum periculum ab infenſo hoſte impendere videbatur, cum Epirotis quos circa ſe habebat, fidem ad vltimum reip. præſtitit, ac, donec vires ſuffecere, hoſtium impetum audacia magis quàm ſpe ſuſtinuit. Poſtremò, ſuperante hoſtium multitudine, cum oppido in Turcarum poteſtatem peruenit.

Aloyſij Georgij, & Franciſci Cornelij prouidentia.

Turcę Sopotum recipiunt.

Res in Illyrico, & Dalmatia geſtę.

IN Illyrico ac Dalmatia, ne quieta quidem acta hieme, vbi ver appetijt, omnia Turcarum excurſionibus infeſta erant. Et Sibiniceñſes, quibus longiùs ab oppido molendum triticum erat, ad magnam ſæpe inopiam ſunt redacti. Hermolaus Theupulus in illis locis cum quatuor longis nauibus ſtationem habebat: is, quò Sibinicenſibus tutum ad molas iter præſtaret, Scardonem vetuſtam ac propinquam vrbem, vnde Turcæ in circumiectos agros Venetorum quotidie incurſabant, noctu aggreſſus cepit, direptamque flammis iniectis euertit. Idem Theupulus diu inſidiatus aliquot hoſtium nauigijs, cum quibus ex Narenta amne erumpentes nihil tutum in ea ora patiebantur, aliquando ea aſſecutus compulit in terram: vnde ad mille homines egreſſi in littus ſclopetis armati tueri nauigia, atque arcere eminus Venetos conabantur: ſed maioribus tormentis è longis nauibus petiti relicta claſſe in fugam vertuntur. Theupulus exhauſtas naues incendio conſumpſit. Eodem tempore magnæ rei oblata facultas Venetis erat, niſi ſocordia eorum, qui negocium adminiſtrabant, corrupta fuiſſet. Occulti à Turcis nuntij ad Alexandrum Donatum Antibari præfectum venerant deducti ab Epirotis, qui miſcendo colloquia cum barbaris, aliquot eorum ad voluntatem prodendi Scutaram, permunitum oppidum & caput regionis eius, perduxerunt. Ij ad Donatum de præmijs ſuis deque agendi negocij ordine miſerant. Magnitudo rei leuem Donati animum perſtrinxit. Extemplo literas ad ſenatum dedit, non tam auctoritatem eius aut opem quærens, quàm gloria elatus, vt ſe Patribus oſtentaret delectum ad tam inſignem laudem. Iuſſus communicare conſilium cum Zacharia Salomonio Catari prætore, indignatus, laudis ſibi ſo-

Theupuli virtus.

Pręclara occaſio Donati leuitate elabitur è manibus.

cium

cium dari, dum ægre ſenatui parens ſeſe vt in patrato facinore immodicè iactat, rem palàm facit. Ita Turcæ, oppreſſis proditoribus, vrbem tuta cuſtodia in poteſtate habuere. Sed Veneti Donati literis excitati non ſolùm ei octingentorum militum præſidium cum Annibale Æmiliano Foroiulienſi miſerant, ſed in ſpem occupandi omnem Epirum Iacobum Malateſtam cum IV. M. peditum Catarum proficiſci iuſſerunt. Id oppidum ſuper peſtilentiæ damna omnibus belli incommodis vexatum ac propè captum ab hoſtibus fuerat, prodente Turcis portam, cuius cuſtos erat, Siculo centurione: quem Salomonius, cuius vigilantiæ eius vrbis ſalus debetur, re cognita ſtrangulatum altero pede è mœnibus ſuſpendit. Verùm res ingenti expectatione ſuſcepta triſti Malateſtæ exitu in Venetorum cladem vertit. Cùm enim Turcæ vicum haud longiùs IↃ. paſſibus à Cataro repentino incurſu diripuiſſent, inconſultæ ferociæ iuuenis, & vt manu promptus ita immodicus ira, ſub vrbis ipſius mœnibus atque in oculis propè ſuis agi ac ferri res Catarenſium, dedecus ſuum ratus; quos aſſequi ea die nequiſſet hoſtes, ad eos opprimendos quò ſe recepiſſe acceperat ſequenti die ducit: ac, præmiſſa terreſtri itinere militum parte, ipſe cum delectis naui ad eum locum eſt deuectus. Conſcenſo edito monte pagum quidem ipſum, hoſtium receptaculum, nemine repugnante cepit atque abducta præda incendit, hoſtes ipſos non inuenit: qui cognito eius aduentu cùm inde aufugiſſent, nuncijs dimiſſis vndique ſuos è vicinis locis conciuerant: ac magna coacta manu deſcendentem à monte Malateſtam ex ſuperiori loco adoriuntur, ſaxisque quæ ingentia in ſubiectos deuoluebant, atque omni telorum genere abeuntes inceſſunt, & nec opinata pugna

Catarum pene proditione captum.

Proditoris pœna

Audax, & infelix Malateſtę facinus.

ac iniquitate loci territos in fugam conijciunt. Malateſta, dum ſuos retentat & conuerſus in hoſtes ſeſe audaciùs infert, magni lapidis ictu confracto crure decidit, & cum magna ſuorum cæde capitur. Quem Turcæ Conſtantinopolim inde miſere, nec niſi biennio pòſt, petente rege Galliæ, eſt dimiſſus.

CETERVM ea res Epiri ſpem cogitataque euertit: & Turcæ Scutaræ periculo ac defectione aliquot circà populorum commoti Acomatem, vnum purpuratorum, eò proficiſci cum magnis copijs peditum equitumque iuſſere. Is Epirotis, qui à rege defecerant & aliquandiu Olchinienſem agrum audacter tutati erant, tandem pugnando intra mœnia compulſis, exercitum ad oppugnandum Olchinium admouit. Verberatis continenter per plures dies muris, ac multis impreſſionibus ad ruinas factis, ſæpe inde cum ſuorum iactura eſt repulſus, acriter defendentibus Epirotis & audacia ſua & natura loci fretis, quòd oppidum in edito colle atque vndique abrupto ſitum in peninſulæ modum mari vndique alluitur, nec niſi perangustum ab vna parte à terra aditum habet, quà quicquid roboris in oppido erat hoſtibus obijciebatur; donec Caracoſſa cum XIII. longis nauibus Turcicam claſſem antecedens eò inuectus maritimum quoque terrorem oſtendit. Tum Olchinienſes in magnum ſalutis ſuæ diſcrimen adducti deſpondere animum. & aperuiſſent ab illo metu portas, niſi paulo antè Hermolaus Theupulus & Nicolaus Sorianus Sciarram Martinengum Malateſtæ ſucceſſorem Catarum cum IↃ. militum ſupplemento deportantes ab eo impetraſſent, vt oppidum ingrederetur. quod ille cùm feciſſet, rebus inſpectis denunciauit Venetis, niſi tri-

Olchinienſium virtus.

duo,

duo, quæ ad defendendam vrbem neceſſaria erant, conuexiſſent, ſe præſidio exceſſurum. Sed aduentu Pertai, qui à Sopoto profectus eò appulit claſſem, deſperata defenſione pacti, vt ciues incolumes in fidem acciperentur, militibus cum ſuis rebus abire liceret, oppidum Pertao tradidere. Sed hæc Turcica fide ſeruata ſunt: nam Acomates indignatus, ad Pertaum potiùs quàm ad ſe factam eſſe deditionem, ingreſſus vrbem crudeliter diripuit. Pari perfidia Pertaus milites in catenas coniecit, præter Sciarram ipſum ac Hieronymum Venerium oppidi præſidem, & aliquot præterea centuriones, quos ſpoliatos atque exutos armis abire permiſit. *Olchinium deditur.*

CAPTO Olchinio direptoque, Antibarim ducta claſſis. Sita eſt vrbs in tumulo media planitie eminente tria millia paſſuum longè à mari, & ipſa loco ac mœnibus valida: & firmum intus præſidium habebat, & præſidio efficacius promptum atque alacre conſentientium ad defenſionem patriæ ciuium ſtudium. Hæc omnia Æmiliani præfecti & maximè Donati conſternata mens euertit, non auctoritate ſolùm, ſed etiam imperio coactis ciuibus aperire victori portas. Ne Antibarenſibus quidem pactorum ſeruata fides à barbaro: militibus in vincula traditis, oppidanorum, quos abituros cum ſuis rebus (ſic enim pepigerant) comperit, vænire iuſſit. Iohannem Brunum Antibarenſium Archiepiſcopum, ſpectatæ religionis virum, quòd eius permagnam tota Epiro gratiam auctoritatemq. eſſe accepit, interfici iuſſit. Donatum ac Æmilianum, quòd auctores deditionis ad ſe faciendæ fuerant, abire permiſit. Qui veriti domi iudicium iramq. ciuium, voluntario exilio, damnationi ſeſe meritoque ſupplicio exemerunt. Re- *Antibaris vrbs dedita Præfectorum ignauia.*

licto

Budua à Pertao diruta.

licto Antibari modico præſidio Pertaus profectus indè Pizanum frequens caſtellum ſolo æquauit. Pari crudelitate Buduam deſertam habitatoribus diruit. flexit inde retrò claſſem, & Catarum tentaturus Barbatum Epirotam, quem captum Olchinij, quòd affinem ſuum cognouit (inde enim ipſe ortus erat) in honore habuerat, præmiſit, qui magiſtratum ad dedendam vrbem hortaretur: quod ſi obedienter feciſſent, & milites, quò vellent, incolumes ſua ſecum ferentes abituros, & ciuitatem liberam ſuis legibus vſuram: ſin expectare vim mallent, denunciaret, nullam cladem victis abfuturam. Barbato frequenti militum populique concione audito reſponſum eſt à Zacharia Salomonio de reliquorum ſententia, cuſtodiam vrbis ſibi à ſenatu mandatam eſſe: potiùs quàm fidem deſerant, vitam amiſſuros. Pertaus cum tota claſſe in ſinum Catari invectus, ſatis credens, Venetos Antibarenſium atque Olchinienſium exitu territos oppidum tradituros, vbi Barbatus nihil pacati ad ſpem eius retulit, ipſum negans officio ſyncera fide functum, onerari catenis iuſſit, claſſemque ſub Caſtellonouum de Cataro conſultaturus recepit. Eam oppugnationem qui in præſidio Caſtellonoui erant Turcæ vehementer ſuadebant, nec difficilem, & magni momenti eſſe, prædicantes. Id conſilium Pertaus animo magis quàm oratione aſpernabatur, cui nec ſatis præparati quicquam ad validam oppugnandam vrbem eſſet, nec ſibi tantum in capta gratiæ apud regem, quantum in incepto irrito offenſionis fore, cerneret. cauſatus, quærendam tum ſibi ad prælium Chriſtianam claſſem eſſe, rem in hiemem reiecit.

Legatum f ultra ad Catarenſes Pertaus mittit.

DVM ibi aliquot dierum ſtatiua haberet, Vlucialis & Caracoſſa cum parte nauium prædas petitum

vicinas in inſulas Venetorum proficiſcuntur. Curzolam, quæ prima occurrit, ſeruauit mirabilis caſus. Antonius Balbus, qui præerat, ad primam claſſis famam muliebri percitus metu clàm aufugerat: & ſecuti eum habitatores oppidum, quod inſulæ nomen habet, deſeruerunt. Vxores eorum domi relictæ portas clauſere; & ſacerdos quidam Antonius Roſoneus nomine, qui, cùm retinere ab timida fuga ciues Balbumque nequiſſet, in oppido permanſerat, auctor ijs fuit, vt virorum ornatu armiſque ſumptis in muris conſiſterent, fore oſtendens, vt illa armatorum ſpecie procul viſa hoſtis ab oppido tentando abſtineret. Non fefellit hominis aſtum fortuna: & vna mulierum virilis audaciæ, cùm Turcicam claſſem applicantem vidiſſet, bombardam, quæ fortè in mœnibus loco idoneo conſtituta erat, igne admoto in hoſtes exploſit. vnde excuſſus ingenti ſonitu ferreus globus in nauem illatus malum perfregit. Turcæ, fiduciam virium eam eſſe & firmo præſidio teneri oppidum, rati, nullo militum in terram expoſito, diſceſſere. Gratum Venetis tam felix auſum fœminarum fuit; adeo vt, cùm finito bello propè vltima inopia frumenti Curzolani laborantes Venetias ad opem petendam veniſſent, ac ſenatores aliquot de ſuis rebus adijſſent, reſponſum tulerint, non ita eos de patria deque rep. meritos eſſe: faciliùs impetraturos, ſi ab vxoribus ſuis legati veniſſent, quarum virtute incolumem patriam haberent. Turcæ Leſinam inde petunt: egreſſi in terram omnem inſulam peruaſtant: oppidum vi captum ac direptum incendijs abſumpſere, ac ſenibus & inutili turba occiſis reliquos in ſeruitutem abduxere. Multis inde, quà adijſſent, euaſtatis locis ad Pertaum rediere: cui à Caſtellonouo profecto literæ à rege reddun-

Miro facinore Curzola ſeruatur.

Antonij Roſonei aſtus.

Leſina incenditur à Turcis.

tur

tur cum mandatis, Catarum oppugnandi. Remiſſis extemplo nuncijs, qui, eam expeditionem differendam in aliud tempus, regi oſtenderent, Corcyram repetijt. Cùm ipſe è naui exſcendiſſet in terram, VIIIM. peditum, CCCC. equites è proxima Epiro traductos expoſuit: congreſsusque cum noſtris, qui ad impediendam hoſtium exſcenſionem temerè ex oppido decurrerant, trepidos intra mœnia compulit, illatusque in ſuburbia, flammis in ædificia iniectis, ſpeciem oppugnaturi oppidum præbuit. Sed glandium procella tormentis emicantium ab arce petitus, multis ſuorum deſideratis, vulneratis pluribus inde ſe in tutum recepit, ac milites ad depopulandam inſulam dimiſit. Qui cuncta peruagati, ſucciſis omnibus arboribus quæ à priori populatione ſupererant, paſſim incendijs ruinisque graſſati nulla cum præda ad naues rediere. Tredecim inde dies ad Corcyram nihil agentem tenuit expectatio nunciorum, quos ad regem miſerat, ita ſecurum de Chriſtiana claſse, vt propè negligentiùs in hoſtili terra, quàm ſi in pacato eſſet, verſaretur; gementibus, qui, quantum militum remigumque & morbis & varijs caſibus in ſingulis nauibus deperditum eſſet, cognitum habebant; vt, ſi Chriſtianorum claſſes opportunè coniunctæ maturaſſent iter, opprimi Pertaum in eo loco deprehenſum paruo negocio potuiſse, affirmarent.

Securitas Turcicę claſſis ab noſtrę claſſis ignauia.

VENETIIS cùm ſolenni ceremonia, adhibitis amicorum regum legatis, fœdus celebraſsent, vt ſpes ex eo erexerat animos, & ciuitatis ſtudium ad ornandum ſtrenuè bellum acuerat, ita in apparandis rebus ſumma pecuniarum difficultate afficiebantur. Re ſæpe in ſenatu agitata, cùm, vt à ſocijs conferretur, conueniret, duæ

ſenten-

ſententiæ Patres diſtinuerant. Alij decumam, quæ in agris exigeretur, omnium rerum decernebant: alijs, pro modo agri quem quiſque poſſideret ſtatutum in ſingula iugera precium conferri, placebat. Atque hæc ad extremum accepta ſententia eſt. Id verò Senatuſconſultum vbi in continentem perlatum eſt, tantum motum animorum fecit, vt fremerent omnibus foris cœtibusque, & mox incitante indignatione etiam cohortarentur inter ſe, ne onus acciperent: cui ſi ſemel, veluti iugo, caput ſubmiſiſſent, nouis ſubinde exactionibus oppreſſum ſeſe ac laceratum iri. Quem non videre, nouas quotidie corrogandæ pecuniæ, ſociosq. abſumendi atque exſiccandi exquiri & adinueniri vias? quot vectigalia inſtituta, quæ non erant? quid terra gigni, cuius portorium non ſit? Nihil vænire, nihil verò agi iam contrahique inter homines, cuius non aliquod vectigal exigatur. Qui antè non dabantur, dare coactos remiges: eorum tantam multitudinem abductam, vt propè ſolitudo ſit in agris: pro ipſa nunc terra, quam vix qui colant ſuperſint, tributum eſſe pendendum. Id ſcilicet agi, vt ſocij exinaniti atque inopes non tollere caput, non mittere vocem audeant: cuncta patritij è publico rapta habeant. At verò conferas pro alieno dominatu pecuniam, detrahas tuo liberorumque cultui, quod non tam bello impendatur, quàm ſuperbis dominis diuiſui ſit. Vixdum procedere bellum, & decreta conſumendis ſocijs fieri; tanquam vereantur, ne expilandi tempus amittatur. Promerent ipſi priùs conditos ærarijs ſuis theſauros, quàm ad ſociorum ſanguinem exſugendum properarent. Sed animus modò abnuendi ſit, non defuturum conſenſum reliquarum ciuitatum, cui ipſe quoque ſenatus ceſſurus eſſet. Ab his vocibus, quas recens ira ſubijciebat,

Conqueſtiones Vrbiū Venetis ſubditarū de pendēda pecunia.

cùm

cùm, caſtigatis qui licentiùs locuti videbantur, à ſenioribus coërcita libertas fuiſſet, non vltrà tamen proceſſum eſt, quàm vt legatos pro ſe quæque ciuitas mitteret. Horum numero cùm plenum quotidie forum Patres cernerent, introductas ſingulas legationes, dicere, quid veniſſent, iuſſerunt. Varia, vt cuique ingenium erat, legatorum oratio fuit.

Legatione. Vrbiũ Venetias ad Senatum.

Alij propalam atque apertè negare, quicquam ſe extraordinarij atq; noui tributi collaturos, qui veteribus ægrè ſufficerent: mitiùs alij tantùm illam collationem ſunt deprecati: omnes tamen idem denunciarunt, ei ſenatusconſulto audientes ciuitates non futuras. Moti magnopere Patres ſunt tam præciſa, tam concordi recuſatione: ingensque cura animos inceſſit, cùm nec bellum ſine pecunia, nec pecunia ſine tributo confici poſſet: & haud paruo initio minui dignitatem ſuam cernebant, ſi, quod ſemel ſenatus cenſuiſſet, id coacti reſcindere viderentur. Diu ancipiti deliberatione anxios vicit metus, ne, ſi vltrà tenderent, is motus aut in aliquam ſeditionem exardeſceret, aut (quod perículoſius eſſet, tam infidelibus circà regibus) ſociorum animi penitus abalienarentur. Cùm decretum abrogaſſent, reuocatis in curiam legatis ex præſenti tempore reip. potiùs, quàm maieſtate

Reſponsũ Patrum.

ita reſponderunt: Et antè inuitos ſe grauatéque ad id decretum deſcendiſſe, quod oneri ſocijs fore, ne ipſi quidem qui facerent ignorabant: & nunc cognita ciuitatum voluntate ſedulò ac libenter feciſſe, vt illud idem antiquarent. Hanc ipſam facilitatem incitamentum ijs fore adiuuandi pro ſuis facultatibus enixè remp. & ſperare ſenatum & meritum eſſe; cuius vigilantia curaque quinquageſimum iam annum illi pace lætiſſima tutiſſimaque fruerentur. Quo longiùs à periculo, cladibusque præſentis belli abeſſent,

quoque

quoque diutiùs in illa tranquillitate fuiſſent, eo æquius videri, maritimis ſocijs, in quos omnis tempeſtas belli ingrueret, ſtudioſè largèq. ab ijs ſubueniri. Aut enim tradendam hoſtibus victoriam, & (quod dicere nefas ſit) imperio immanium barbarorum parendum, aut pecuniam in ſtipendium militibus claſſibusque æquè ab omnibus conferendam eſſe. Nec dicto audientes ſint, niſi ipſi inprimis Patres, quod ſocijs iniunctum volunt, idem in ſe priùs ſuosque atq; ipſam adeo vrbem Venetiarum, in qua rerum regimen ſit, ſtatuerint. Cui igitur grauis vlla impenſa videatur, ex qua plus, quàm pro virili parte, ipſi ſibi auctores deſumant? Alios Italiæ populos, vbi ſerua omnia atque vnius ſubiecta cupiditati ſunt, circumſpicerent: quid eſſe, quod ab ipſis grauiſſimo tempore reip. rogetur, præ acerbiſſimis illis exactionibus, quibus ij in media pace emunguntur? ſi, aut cum quo hoſte aut quanta belli moles ſit, reputauerint, ſi, quàm placido moderatoq. imperio ab ipſis habiti ſemper fuerint, in mentem reduxerint, gratiam pro merito reip. reddituros, ſenatum non dubitare. Irent ergo, referrent ciuibus ſuis, plus in voluntate eorum animisque ſpei, quàm in rogatione iuſſuque ſenatum poſuiſſe. Hoc reſponſo delinitis ac miſſis legatis, datoque per ciuitates præſidibus negocio in eandem ſententiam demulcendi benigno alloquio principes, haud multo pòſt ſine vllius querela tenuerunt, vt ex cenſu tributum trecentorum millium nummùm aureorum, quamdiu bellum cum Turcis maneret, quotannis penderetur.

EO motu moderatione & humanitate ſenatus diſcuſſo, longè maximus terror ciuitatem inceſſit, alijs ſuper alijs nuncijs afferentibus, claſſem Turcicam Creta,

Zacyntho, Cephaleniaque peruaſtatis non ceteris modò inſulis imminere, ſed protinus territabundam Venetias ipſas peruaſuram. Patres, quanquam & ſitu vrbis ab omni repentina vi tuto ſatis fidebant, nec, vnde Turcæ ab ſingulis inſularum oppidis repulſi potiundæ Venetiarum vrbis ſpem cepiſſent, cernebant; tamen, quia morantibus Hiſpanis nulla claſſis erat quam hoſti obijcerent, nequid ſubito pauore ac tumultu detrimenti acciperetur, paratique ad omnes caſus eſſent, & in pópulo imbelli ac tantùm quæſtui mercaturisque intento nequa fuga tumultusque ad primum conſpectum hoſtilis claſſis fieret, obſepire atque communire à mari aditum vrbis decreuere. Venetias ab terra tutas ſtagnum ab omni parte circumfuſum paludeſque faciunt, quà niſi paruis admodum nauigijs adiri non poteſt, quorum eſt in vrbe infinitus propè numerus: ab alto iter ſingulis modò nauibus patet, quæ ipſæ non curſu inuectæ, ſed antè explorato vado, quod nouum ſemper nunc hoc nunc illo loco agitati efficiunt fluctus, ſenſim inductæ fauces ingrediuntur, quas obiecta vtrinque caſtella egregio opere permunita tuentur. Adiecere in ipſo ore portus ferream ingentem catenam, quæ ab vtroque caſtello religata, ne ipſum in medio pondus in profundum traheret, pertuſis traiecta lignis quæ crebra aquis ſupernabant, continebatur. Ante oſtium tres in ſtatione galeatias à Pola, vbi reficiebantur, adductas collocarunt; quibus vim magnam tórmentorum impoſuerant; nec longè ab his ad Malamocum tres onerarias naues, quæ aditu arcerent, pari ratione ſtatuerunt. Ipſum quoque littus quod continenti iungitur, ne vſquam egreſſus in terram pateret, magnis operibus, foſſa, muro, própugnacu-

Venetias metu Turcicę claſſis communiunt Patres.

lis

lis caſtellorum inſtar communiunt. Ea omnia tormentis ab naualibus eductis affatim, prout vſus erat, inſtruunt. Eò XM. peditum ex eo numero, quos oppidatim deſcriptos habent, tranſire iubent; eòdem equitatum grauis armaturæ omnem cogunt. His omnibus Iulium Sauornianum præfecerunt, accerſitum paulo antè Iadera tum ad idipſum opus, tum vt virum peritum belli quem conſulerent, vbi res poſceret, penes ſe Patres haberent. Legatum quoque Vincentium Maurocenum toti negocio cum imperio præeſſe iuſſerunt, additis ei adiutoribus Aloyſio Grimano, Alexandro Buono, Andrea Bernardo, Laurentio Sorantio, Marco Iuſtiniano, Franciſco Michaëlio. Hæc intento ſtudio curaque cùm fierent, ſubijt cogitatio animos hominum, eòne rem Venetam recidiſſe, vt timere ipſimet vrbi, &, tanquam de patria non de imperio dimicandum iam eſſet, ita ſe munitionibus operibusque circumuallare cogerentur?

HIS vulgò anxios trepidosque Famaguſtæ amiſſæ nuncius perculit: nec, quo tot aduerſis concuſſæ mœſtæq. rebus ciuitatis opes niterentur, erat iam aliud, niſi vt naualis pugnæ fortunam, in quam ſe omnium cogitationes intenderant, expectarent. Nuncius de capta Famaguſta, ſine auctoribus vllis ex vano manaſſe rumore compertus, ſicut ſuſpendit potiùs quàm dempſit ciuitatis curam, ita veluti triſte omen in veram mox cladem vertit; quod tradere nunc pergemus. Ducendi Famaguſtam è Creta quatuor naues cum militibus & commeatu negocium æſtate ſuperiori à Zanio datum erat Petro Trono: quo in ipſo apparatu profectionis morte ſublato M. Ant. Quirinus ei ſuccedere erat iuſſus. Is per deſidem metum diu cunctatus cùm Creta extrudi non poſſet, & iam exijſſet annus CIↃ.IↃ. LXX.

M. Quirinus Stẽta Famaguſtam magno cum hoſtium damno penetrat.

rogatur M. Quirinus cognomento Stenta, vt cum delectis triremibus in Cyprum præſidio nauibus iret. Is cùm Id. Ian. è Candia ſoluiſſet, decimo die ſecunda nauigatione in conſpectu Famaguſtæ fuit. Erant in ſtatione circa oppidum ſex hoſtium triremes ad idipſum relictæ à Turcis, vt Famaguſtæ portum obſiderent. Quirinus longas naues ornatiſſimas XII ducebat: &, quò Turcas longiùs in altum pelliceret, onerarijs præmiſſis, ipſe quàm maximè poteſt occultus ſubſequitur. Turcæ ſimulac onerarias conſpexere, ad inuadendas eas è ſtatione euolant: ſed viſis procùl longis noſtrorum nauibus celeriter ad terram refugiunt, ſeque tormentis in littore locatis tutantur. Inſecutus Quirinus magnis bombardarum ictibus duas hoſtium triremes demerſit: reliquę beneficio noctis, cùm Quirinus ad trahendas remulco in oppidum onerarias abſceſſiſſet, fuga euaſere. Sequenti die egreſſus ad perſequendas triremes, in Turcicam nauem ex his, quas illi Mahonas appellant, ab Nencurio Ciliciæ portu veſtimenta ad exercitum ferentem incidit: quam non ſine certamine expugnatam (trecentos enim prætorianos milites, in quem ordinem non niſi ſtrenuiſſimus quisque Turcica diſciplina legitur, vehebat) Famaguſtam victor perduxit. Pari felicitate Gallicam nauem cepit, quam Turcæ abductam Alexandria, commeatus in Cyprum portare coẽgerant. In ea cum CC. militibus Damaſci præfectus erat, qui vnus parua elapſus ſcapha incolumis ad exercitum euaſit: reliqui capti catenisque vincti remis admoti ſunt.

His actis Quirinus, neque tam præſenti ope (parum enim attulerat militum) quàm ſpe maiorum breui auxiliorum confirmatis Famaguſtanorum animis, profectus æquè proſpero curſu in Cretam redijt.

ET

ET Muſtapha nouis per hiemem traductis in Cyprum copijs exercitum ſuppleuerat, militesque labore ac vulneribus feſſos ocio refecerat: & cùm fama Nicoſienſis prædæ, quam in omnes partes de induſtria diſſiparat, ſupra LXM. voluntariorum. (Acangios Turcæ vocant, qui more antiquitus tradito ſine ſtipendio, vna rapiendi licentia militant) ad ſpem, capta Famaguſta celebri per vicinas prouincias emporio, nouarum prædarum vndique conciuiſſet; principio veris ad intermiſſum bellum ſpe conatuque maiori ex hibernis mouit. Aſtor & Bragadinus, qui oppido præerāt, cùm tantum belli in ceruicibus eſſet, poſtquam hoſtis in hiberna abſceſſit, eam nacti relaxationem, mœnibus vbi opus eſſet ſarciendis, augendisq. ac firmandis munimentis vrbis, & omnibus rebus inſtruendæ defenſioni hiemem conſumpſerunt: animis ante omnia ſuis militumque ad vltima experienda audendaque pro fide erga Venetos, & pro gloria Chriſtiani nominis obfirmatis. &, quod ſaluberrimum in tam dubijs rebus eſſe ſolet, & concordes inter ſe duces erant & ducibus egregiè obſequens miles. vt dubium non ſit, quin defendi ac retineri id oppidum potuerit, niſi deſtinatis auxilijs, ignauia eorum qui curabant, obſeſſi fruſtrati eſſent. Quod ipſe ſenſerat Muſtapha, cùm ab expugnata Nicoſia Famaguſtam acceſſit: contemplatus enim ex propinquo ſitum vrbis mœniaque ac genus munitionum, ea quidem eleuans verbis, haudquaquam Nicoſiæ parem oppugnationem fore, ſuis pronunciauit. Ceterùm animum eius tacita cura incendit, quòd, quantùm hæc murorum munimentis Nicoſiæ cederet, tantùm virtute ducum præſtaret, quam ipſo ſtatim initio expertus erat. Nam tria millia militum, quæ obſidendis inter Famaguſtam & Nicoſiam itineribus

Voluntarij milites apud Turcas Acangij

Aſtoris virtus.

miſerat, ab Aſtore excepta inſidijs, cæſa propè ad vnum atque deleta fuerant: atque abeuntium in hiberna Turcarum ita extremo agmini idem inſtitit Aſtor, vt, ſuprà ID. eorum occiſis, egregiam hoſti fiduciam animorum oſtentarit: atque opera ab ijs inſtituta, aſportatis quæ relicta erant, deſtruxerit ac diſſiparit; vt Muſtapha, non cum Dandulo Rocaſioque rem ſibi futuram, intelligeret. eòque intentiori cura copias per hiemem auxerat, & omnia ad oppugnationem comparauerat, nihil actum ſibi expugnatione Nicoſiæ, exiſtimans, ſi maritimam vrbem, & loco ipſo opportunam repetendæ inſulæ Veneti retinuiſſent. Et quanquam ingentem ſpem animo fouebat tantarum copiarum ſuccinctus viribus, tamen, quanta ſuorum cæde neceſſe foret conſtare victoriam, quantumque laboris ac periculi exhauriendum ea oppugnatione, intelligens, nunquam deſtiterat Chriſtianorum ad deditionem ſolicitare animos nunc pollicendo vltro cuncta, quæ optare ipſi poſſent, nunc vltima ſupplicia & Nicoſiæ caſum intentando. Æquè & minæ barbari & promiſſa à noſtris reiecta ſunt. Primo acceſſu ad vrbem Hectorem Podocaterum & Iohannem Suſominum è Cyprijs captiuis, qui ſuaderent obſeſſis, vt in Muſtaphæ fidem ſe traderent, cupereque eum ciuitatis ſaluti conſultum, oſtenderent, in oppidum miſit. Hæc quoque ſprera legatio eſt; coacto remanere apud ſe Suſomino, quòd munitionum operumque faciendorum peritus eſſet: Podocaterum, ne in coniugem filioſque, quos fidei pignus apud hoſtes reliquerat, barbari ſæuirent, triſtem ſine reſponſo dimiſere. Et perſtrinxerat animos hominum miſeratio viri inter Cypriam nobilitatem nuper florentiſſimi. venerat enim veſte ſeruili eaque ſqualore obſita tectus, aliqua

Hectoris Podacaceri captiui ſpecies.

quoque

quoque corporis parte nudata: barba capilloque horridus mœſtusque, vulnere etiam in capite vili faſcia ſordidaque obligato: pallore macieque ita deformata ſpecie oris, vt vix noſcitaretur ab amicis commemorantibus priſtinam viri fortunam ac principalem cultum. Muſtapha redeuntem ad ſe, cùm, nihil ſibi ab obſeſſis reſponſum eſſe, retuliſſet, contumelioſè increpitum in conſpectu exercitus, & captiuæ coniugis liberorumque, quos barbari ad ſpectandam necem patris produxerant, interfici abſciſſo ceruicibus capite imperauit, atque, omiſſa ſpe per deditionem oppidi potiundi, vim atque arma expedijt. Podacaterus interficitur.

FAMAGVSTA, in ea parte ſita inſulæ, quæ Syriam ſpectat, mari alluitur. Portum peramplum ac tutum ſcopuli à paruo promontorio, quod eſt ad dexteram vrbis, porrecti in pelagus efficiunt. Horum à poſtremo binæ Syrtes oriuntur, quarum altera longiùs ſeſe vltra vrbem in mare extendit; altera ad mœnia atq; arcem in ipſo munitam littore ſubiens, veluti de induſtria iacta moles ſinum claudit adeo anguſto ore, vt vix ſpatium ſingulis nauibus relinquat. Huic in ipſis faucibus ab altera parte arx ita imminet, vt naues niſi propter ipſa propugnacula intrare portum non poſſint; ab altera caſtello ad id ipſum fabricato communitur. Vrbs ad duo millia paſſuum in circuitu patet: præalta foſſa, muro quadrato ex lapide, crebris turribus vetuſtæ ſtructuræ opere cingitur, ſpecie maiori quàm munimento aduerſus noſtri ſeculi bombardas; quarum ictibus longè facillimè ſaxa perfringuntur. Addiderant Veneti munitiones aliquot ex recenti vſu bellandi, prout tempus & ingenium loci patiebatur. Famaguſtę ſitus.

MVSTAPHA, inſtituta ad Nicoſiam ratione, operibus alijs atque alijs claudere vrbem, foſſas age-

re

Oppugnatur a Turcis, defenditur acriter à noſtris Famaguſta.

re & inſinuare ſe ad mœnia inſtitit. In his faciendis operibus ſupra XLM. hominum verſabantur: par numerus præſidio munientibus erat. Hoc modo cùm vrbi appropinquaſſet, tormenta verberandis mœnibus prolata idoneis locis conſtituit. Veneti recentibus animis viribuſque quotidie oppido ad impedienda opera hoſtium erumpebant, magnumque numerum eorum occidebant: auctaq. ſucceſſu audacia, ſæpe ſine ducum auctoritate pauci incompoſitiq. portis ad ferenda certamina egrediebantur, vt ægrè ab Aſtore ac Bragadino intra muros continerentur, intelligentibus, gloria maiori quàm fructu victores eos in oppidum redire, quòd neque Turcis in tanta multitudine ea iactura ſuorum magnopere nocebat, & in noſtrorum paucitate ne ſingulorum quidem damna negligi poterant: donec CCC. ferme Græci oblongis clypeis gladijſque more eorum armati ad diſturbandos hoſtes egreſſi ac temere in locum iniquum prouecti male à Turcis habiti, & ad L. eorum cæſis, pluribus vulneratis trepidà fuga in oppidum compulſi ſunt. Hic finis erumpendi fuit: & graui pœna à ducibus interdictum, nequis iniuſſu pugnandi cauſa cum hoſte extra portam exiret. Turcæ ex munitionibus, quas altiores mœnibus excitarant, ferreos globos tormentis adactos in oppidum iaculabantur, vt ne domus quidem viæque commeantibus per vrbem ad ſuas quibuſque res muniaque, noſtris ſatis tutæ, cunctaque infeſta periculo eſſent. Verùm, id maiori tectorum ac parietum damno quàm hominum fieri, cùm animaduertiſſent, omnem inde oppugnationem in mœnia auerterunt. Quorum cùm pars magnis quatefacta ictibus procidiſſet, non tamen auſi per ipſas ſuccedere ruinas Turcæ, pr. ducendis aſſiduè operibus ad crepidinem vſque foſſæ illati

foſſam ipſam implere aggrediuntur, vt inde veluti per patentem aditum integrę acies impetum in oppidum facerent. Cùm ſuper murorum ſtragem vim magnam terræ dies noctesque ingererent, ne ea ab obſeſſis pari ratione in oppidum auferretur, quod fieri cœptum erat, muro ad ipſam crepidinem pluribus locis perterebrato, inde miſſa maioribus ſclopetis crebra plumbatarum glandium procella egredientes ad opus pugnamque inceſſebant noſtros, multosque eorum occidebant; vt nemo paulum modò prodire extra munimenta poſſet, quin pluribus ſimul ictibus ex occulto collineantium appetitus vulneraretur. Ita, nequicquam contrà pugnantibus Chriſtianis, foſſa potiti hoſtes eam humo repletam exæquarunt, lateraque faſcibus ac magnis ſaccis lana refertis, ne tranſuerſis obſeſſorum ictibus paterent, tegentes communiuerunt: ac penetrare inde in vrbem tentabant. nec caruiſſet effectu res, niſi noſtri, commento ignium lana ſarmentisque incenſis, hoſtes inde magna cum cæde expuliſſent.

SED barbari nulla clade ſuorum, nulla rerum aſperitate deterriti incepto abſiſtebant: iiſdem iterum atque iterum refectis munimentis, quibus ab hoſtili ictu in foſſa tegerentur, cuniculos fodere atque agere in vrbem & eo & alijs locis inſtituunt. Quo intellecto obſeſſi, captantes auribus ſonitum ſub terra molientium, aduerſis cuniculis occurrere hoſtibus ſatagunt. Aliquot exceptis aliquot tamen fefellere: quibus Turcæ ſulphureo immiſſo puluere atque igne admoto cùm ad naualia, quà minimè obſeſſi ſperauerant, diſiectam terribili fragore turrim proſtrauiſſent, multis oppreſſis militibus latè muros aperuere. Vix ſatis deſierant ruere, cùm hoſtes ad idipſum inſtructi paratique, edito

Turcę cuniculis aditum in Vrbem tentant.

ingenti clamore, per ipſam iacentis muri ſtragem ſcandentes in mœnia euadunt, magno amittendæ vrbis periculo, ſi, qui in ea parte curabant, repentina re territi paulum modò ceſſiſſent. ſed illi corporibus animiſque connixi impreſſionem hoſtium tantiſper ſuſtinuere, dum accurſu ducum eò vndique armatos rapientium reſtituta res eſt. Et ipſe Aſtor cùm ſe in mediam pugnam cum delectis intuliſſet, pepulit priùs, mox præcipites ruinis egit hoſtes: qui ipſi à præfectis increpiti, quòd à paucis plures ſemicapta vrbe arceri paterentur, quinquies fruſtra conatibus captis vt locum tenerent, pluribus ſemper cum vulneribus reiecti atque deturbati ſunt. Obſeſſi eo admoniti caſu nouum introrſus murum cum prominentibus propugnaculis, congeſta ad id è priuatorum ædibus properè materia, extruunt, vnde pugnare, anteriore deiecto atque amiſſo muro, poſſent. Tum iterum Turcæ cuniculo, quem ad portam quæ Imiſſi dicitur longè maximum ſuffoderant, ignem indiderunt, qui ſolito fragore atque impetu erumpens, data ingenti ruina cum ſuperſtantium clade militum, facilem hoſtibus aſcenſum in oppidum præbuit. nec illi cunctati ſunt, ſed ducum hortatu hinc gloriam præmiaque ſpectatæ virtutis, hinc prædam prædiuitis vrbis oſtentantium incitati, magno impetu & clamore per ſtragem ſimul ſaxorum ſimul corporum vadunt: &, ad noſtrorum diſtinendas vires, eodem tempore ad naualia pari conatu atque ardore mœnia adoriuntur. Pugnatum vtroque in loco eſt nunquam remiſſo certamine ſex horas: & cùm virorum fortium virtus vrbem defendentium ea die inſignis fuit, tum etiam fœminarum, quas ſupra ſexus naturam audaces, non tela modò militibus miniſtrando, ſed offerendo ſe periculis atque vulneribus,

Obſtinata Famaguſtę oppugnatio.

Incredibilis propugnatorum robur & fortitudo

Fœminarum virtus in vrbe tuenda.

ſaxaque

ſaxaque & feruentis aquæ vim in ſubiectos profundendo, haud paruo pugnantibus auxilio fuiſſe, conſtat. Præerat eis Imiſſenſium Epiſcopus è Dominicanorum familia, qui ſublatam pro ſigno Crucem geſtans, quà maximè tela glandesque tormentis actæ volabant, impauidus conſiſtens pia aptaque oratione dimicantes accendebat. Muſtapha magna ſuorum coactus clade receptui cani iuſſit: motusque numero tot prælijs interfectorum, cùm vis parum procederet, opera augere ac pluribus tormentis rem gerere & proſternere latiùs mœnia inſtituit. nec tamen interea vllam obſeſſis quietem dare: aut inuadens, quà apertus ruina murus eſſet, aut inuaſuri ſpeciem præbens dies noctesque feſſos fatigabat, vt, quos armis non poterat, labore ac vigilijs conficeret. Prolatis deinde tormentis ita crebris ictibus verberare mœnia inſtitit, vt vna die globos ferreos quinquies mille maioribus emiſſos bombardis obſeſſi numerarint. Hac tanta tormentorum vi ac tempeſtate quaſſata mœnia cùm proruiſſent, etiam interior murus perfractus ac dirutus eſt: nec refici à Venetis poterat, quòd aſſidua glandiũ grandine ita infeſtus locus erat, vt magnus eorum numerus ingenti audacia ad reſtituendum opus propè certæ ſe morti offerentium ceciderit. Tum ipſi cuniculum ſub propugnaculo ad Imiſſi portam, de quo præcipua contentione vtrinque certatum erat, perfodiunt, vt ſi, quod verebantur, defendi locus non poſſet, magna ſua cum pernicie hoſtes eo potirentur.

Bombardarum tempeſtas quãta vno die.

IGITVR Muſtapha, cùm mœnia ingentibus ruinis multis in locis latè aperuiſſet, à quatuor partibus totius exercitus conatu vrbem aggreditur. Atrox pugna obſeſſos excepit & vulneribus & vigilijs feſſos, & tot prælijs attenuatos:

tos: ſuſtinuere tamen plures horas impetum inferentium ſe hoſtium, audaciaque maiori quàm viribus vndique à mœnibus repulere. Ceterùm ad portæ propugnaculum, quò longè maior moles belli incubuerat, vbi Muſtapha ipſe hortator atque inſpector aderat, locum Turcæ exactis è propugnaculo cum magno tumultu noſtris occupauere; mixtique Chriſtianis in oppidum irrumpebant. Tum Aſtor animaduerſo periculo, incendi cuniculum quem in hunc caſum præparauerat, iubet: momentoque omnem Turcarum multitudinem, qui magna ſpe patrandæ victoriæ illò confertiſſimi aſcenderant (ad tria millia fuiſſe tradunt) vis ignis abſumpſit. Tanto enim impetu flamma erupit, vt, aperto diſiectoque ingentibus fragminibus propugnaculo, cuncta circà hominum & ſaxorum ſtrage compleuerit. Hauſti eadem peſte ſunt ad centum ferme Chriſtiani milites, atque in ijs aliquot notæ virtutis centuriones, qui turba cedentium impediti ſeriùs ſe in tutum receperant. Tantis affectum detrimentis Muſtapham cùm obſeſſorum conſtantia virtusque de exitu rei dubitare interdum cogeret, & angeret trucem animum propè tertia pars copiarum varijs caſibus abſumpta, ne in nihilum ſibi captæ Nicoſiæ gloria recideret, aut etiam in inuidiam verteret apud regem, ſi inde irrito conatu abſceſſiſſet; inſiſtere acriùs cœpto, caſtigare nunc milites nunc præfectos: exprobrare ignauiam à patefacta ita vrbe, vt ſub ſignis tranſcendi vbique poſſet, toties repulſorum: nunc ſpe incitare atque hortari, vt conniterentur perrumpere, &, domita armis hoſtium pertinacia, laborum præmia victis extorquerent, nec paterentur trahi rem, dum nouis ad obſeſſos aduectis auxilijs, ipſis quoque nouus de integro exudandus labor eſſet. Sic ac-

Ingens Turcarũ clades.

censis

cenſis quatridui quiete data, pergit porrò diſpartita ex ſuperiorum dierum inſtituto inter duces cura, quà recentibus ruinis apertum patebat iter, magno tympanorum & tubarum ſtrepitu ab omnibus partibus aggredi vrbem. Ipſe cum exercitus robore ad portam, quæ diruto propugnaculo opportunior oppugnationi iam erat, acerrimam impreſſionem dedit. Aloyſius Martinengus in eo loco curabat: qui, excepto hoſtium impetu, ſumma vi in arcto obſiſtens ſtrenuè locum eſt tutatus. Sed, inſtante Muſtapha & maiori conatu redintegrante certamen, grauiter laborari eſt cœptum. Tum Aſtor cum virorum cuneo porta ingenti tumultu erumpens, perfractis hoſtium ordinibus ac magna edita cæde, illos terga dare atque in turpem verti fugam coëgit. Inde, quod ipſe vi ex ſigniferi Turcæ manu eripuerat, præ ſe ſignum ferens in vrbem redijt. Eadem alijs quoque locis fortuna Turcarum fuit: multis ſuorum deſideratis, vndique à muris repulſi in caſtra rediere.

Nobilis eruptio ex vrbe.

CVM tam ſæua oppugnatione, quæ ſæpe dies noctesque nunquam intermiſſa continuabatur, Famaguſta vrgeretur, tamen ſuſtinebant adhuc obſeſſi vim barbarorum, ad omnia conſilio atque audacia occurrentes: varijsque conatibus hoſtium varia ipſi arte ac vi obuiàm ibant. Hieronymus Magius ab Anglario Hetruriæ oppido, erat bellicis operibus machiniſque inueniendis ſolerti ingenio vir. Is cuniculis, ignibus vario artificio conflatis, nouiſque quotidie inuentis magna hoſtibus detrimenta attulit: & duodeuiginti muralia tormenta certis è muro petita ictibus diffracto ore corrupit: & magnos ſæpe conatus eorum ac multorum dierum labores paruo ipſe momento eluſit. Aſtor & Bragadinus & Theupulus cùm præfectis ſuam cuique mœ-

Hieronymus Magius artifex machinarũ.

nium partem defendendam aſſignaſſent,ipſi omnibus locis hortando imperandoque,quæ in rem eſſent & vbi res poſceret, quà plurimus labor periculumque vrgebat, ſeſe hoſtibus obijciendo, aderant. Et, ne vllo tempore ab ſtatione atque cuſtodia mœnium abeſſent, tranſlatis in ipſas turres domicilijs ibi cibum ibi ſomnum capiebant. Præſidiarijs, vllo metu aut periculo cedere loco aut commiſſum munus non impigrè exequi, pro ingenti flagitio erat. adeo non tam conſeruandi vitam, quàm honeſtè mortem oppetendi legem ſibi quiſque indixiſſe videbatur. Ab his animis ſæpe pro muro ſua pectora bombardarum ictibus oppoſuerunt: nec, qui ante ſe ſteterat, exanimatus terrebat proximum quò minùs eundem continuò ſubiret locum. Ne oppidanorum quidem ſtudium atque opera in illo diſcrimine patriæ deſiderata. Iuuentus armata haud ſegniter in mœnibus prælijsque verſari: alij alia obire munera: non pueri, non ſenes, non fœminæ expertes laboris bellique erant. pars, quod vſus poſceret, ad opera ferre, pars ducibus militibusque,ſiquid iubendum petendumq. ex oppido foret, præſtò eſſe. Cibum militi vinumque, ne vlla decedendi ab ſtatione neceſſitas eſſet, matronæ ducentibus ſacerdotibus afferebant, gratuitòque de publico præbebatur, conferentibus ad id libenter in medium omnibus,quod cuique priuatim domi eſſet. Ad illud quoque eſt itum ne pecunia in ſtipendium deeſſet,vt æs certi ponderis cum reip.ſigno cuderetur,quod deinde finito bello argenteum Veneti præſtarent. Vt pro non dubio habitum fuerit, hac fide & alacritate Grçcorum,hac militum virtute,& conſilio conſtantiaq. ducum, hoc omnium non tam ſalutis tuendæ, quàm vitæ cum laude profundendæ conſenſu atque ardore, quo qua-

Pecuniç neceſſitas quomodo ſuppleta.

tuor

tuor ipſos menſes, occiſis LM. hoſtium propè continentem oppugnationem ſuſtinuerunt, defendi oppidum magna cum clade atque ignominia Turcarum potuiſſe, niſi à Venetis in ferenda ope ceſſatum eſſet.

INITIO inde anni, Bragadini atque Aſtoris rogatu, elapſus noctu inter hoſtilium nauium cuſtodias Hieronymus Ragazonius Famaguſtæ Epiſcopus in Cretam atque inde Venetias venit, peculiari cura ſenatum ad conſulendum ciuitati excitaturus: nec deſtitit ipſe aſſiduis precibus fatigare Patres. Sed iam literæ quoque à Bragadino atque Aſtore afferebantur, quæ, in quanto diſcrimine res eſſet, docebant, nec ſine nouo commeatus ac militum ſubſidio ſuſtineri diu vim poſſe', nunciabant. Et Bragadinus deſperabundus, deſertum ſe ac deſtitutum, placatè ac modicè querens quà adoleſcentulos filios ſenatui commendabat, quà pueros ipſos ardentibus patria pietate literis ſolabatur, monebatque, vt, paternæ & in Deum & in patriam fidei & conſtantiæ exemplo, ſecundum Dei maieſtatem remp. colerent: nullum laborem, nullum periculum eſſe vnquam tantum putarent, quod à ſenatu iniunctum non animo libenti fortique ſubirent. Hæ literæ multis cum lacrymis à cognatis Bragadini & in ſenatu recitatæ & primoribus Patrum ſæpe lectæ ſunt. Sed, fletu ambientibus Patres Bragadini neceſſarijs, qui plus miſerationis quàm ſtudij mouebant, longè acerrimè Geneura Saluiata Aſtoris vxor & ſuopte ingenio vehemens, & efferata dolore ac periculo viri propè accuſatorio ſpiritu vrgebat nunc ſegnitiem increpans, nunc exprobrans, fore poſthac neminem qui ſe pro eorum rep. periculo obijceret, ſi vir ea virtute, ea fide, ijs in Venetum nomen meritis deſertus ac proditus ab ijs eſſet. Atque hæc

Hier. Ragazonius Venetias clã adit.

Bragadini literę ad filios.

Geneurę Saluiatę pro viro arder. & animus.

in ſenatu, hæc apud ſingulos principum quotidie ingerens coëgit magiſtratus de eo ad ſenatum referre. Cùm, conſultantibus Patribus nec facilè rem expedientibus, quòd quicquid militum vbique eſſet in claſſem ad ſpem naualis fortunæ impoſuerant,& ne, quem mitterent, quidem ſatis conſtaret, nemine ſe in tam euidens diſcrimen offerre audente; Geneura, vt erat non virilis modò ſed etiam militaris animi mulier, ipſam ſe cum ſubſidio ituram profitetur: nec ſpernerent ſexum, cui periculi capax pro ſalute viri animus eſſet. Impatiens deinde moræ ac nimis lentæ conſultationis Peruſiam, vbi natus Aſtor è principe familia erat, centuriones ad ſcribendos milites, clientesque & amicos cogendos mittit, priuato conſilio ſumptuque, ſi ſenatus cunctetur, protinus ad ferendam viro opem itura. Senatus fruſtra lenire Geneuræ impetum conatus ceſſit tandem impotenti ſtudio eius, ac ſeptingentos milites, qui maximè ad claſſem mittebantur, cum Honorio Scotto præfecto deportandos Famaguſtam deſtinat. Duas ad id onerarias armari ornariq. iubet, impoſitisq. commeatibus omnis generis, Nicolao Donato ducendas tradit, monito, vt cautè atque exploratè nauiget: Cretam priùs adeat atq; ibi de hoſtium claſſe percunctetur. Geneurę haud minus negocij in extrudendo Venetijs Donato, quàm in ſubſidio impetrando fuit; ita remiſsè ac tardè omnia adminiſtrata ſunt. Itaque id quod accidit verita, conſcendere ipſa vnà, perferreque opem viro cupiens ſenatus auctoritate retenta eſt. Haud celerius iter quàm profectio Donati fuit. perueniſſet tamen, ſeruaſſetque vrbem ſola fama adventus noui præſidij, ſi aut non adire Cretam, aut exterius inſulæ latus tenere (quod & expeditius & à metu hoſtilis claſſis tutius iter erat) elegiſset. Sed, cùm ille interiora in-

Nicolaus Donatus cũ ſubſidio Famaguſtã mittitur.

ſulæ legens Candiam vrbem petijſſet, quò certiùs cuncta de Venetis magiſtratibus præfectiſque, qui tum ibi cum parte claſſis erant, exploraret, diu in Creta per alias atque alias cauſas à Marino Caballo retentus rem omiſit: cuius rei culpa nec omnis in Donato nec nulla fuit. Caballi priùs cupiditatem, deinde M. Quirini contumacem animum obſtitiſſe memorant: Caballo nauium commeatui inhiante, Quirino irato ſenatui, à quo ſibi parum gratiæ pro ſuperiore præſidio deducto atque in vrbem illato habitum, indignabatur. Quare cùm à Venetis nauarchis, ne, deſertam perire Famaguſtam, in qua retinenda propè ſumma totius belli verteretur, totque vnà inſignes virtute & fide erga remp. viros, ſineret, inchoatamque gloriam ſuam ſimul perficeret, ſimul datam obſeſſis fidem exſolueret, rogaretur; Sentiant, inquit, Patres, nonnihil & in nobis momenti eſſe: & diſcant, aliquid etiam militiæ laboribus & claſſicis viris tribuere, non omnia vrbanæ ambitioni indulgere. Sunt qui, Quirinum ex magna inopia ditatum eo bello, ſegniorem ad pericula factum, ferant, & frui partis opibus quàm eas nouis decorare meritis maluiſſe. Dum his deliberationibus tempus terunt, literæ à Venerio, Quirino redduntur, quibus in Siciliam ad ſe venire omiſſis omnibus alijs rebus iubebatur. Ita iuſtam nactus cauſam è Creta diſceſſit, Donato ſine ſpe perducendi auxilij relicto. Sed obſeſſis ferro, igne, operibus alijs ſuper alijs terra marique, nullo laboris laxamento oppugnatis (nam & naues nunc tormentis eminus rem gerentes, nunc ſubeuntes ad mœnia terrorem ab ea quoque parte admouebant) diu pro ipſa re ſpes promiſſi auxilij fuit, ad vltimaque toleranda obfirmauit.

Quirinus Senatui iratus.

PRODVCTA in quartum menſem obſidione, exhauſti iam cædibus tam frequentium prælioꝝ (ita vt è IVM. Italorum ad octingentos redacti eſſent) vulneribus, vigilijs, & diurno nocturnoque labore confecti non tamen antè animos deſpondere, quàm conſumpto omni bellico apparatu ne puluis quidem ad exp lodendas bombardas ſupereſſet, Huic malo fames quoque, cibarijs omnibus abſumptis, acceſſerat; eòque inopiæ ventum erat, vt plures dies iumentis aſiniſque, deinde etiam canibus ac felibus alijſque immundis animalibus vitam ſuſtentarint. Iam neque vis hoſtium à paucis labore ac fame enectis, nec fames ipſa vltrà tolerari poterat. Itaque Bragadinus atq; Aſtor, qui nullam antè orationem oppidanorum de portis aperiendis auribus admiſerant, tum demum flecti cœperunt eorum precibus, orantium maximè Bragadinum, vt expleta ad vltimum fide, cùm arma, viri, alimentaque & ſpes auxilij defeciſſet, nec alia ſalutis via, quàm tradendi per honeſtam aliquam pactionem vrbem, cerneretur; antequam vltimam obſeſſorum neceſſitatem hoſtis ſentiret, conſeruaret ciuitatem fidelem reip. tantis experimentis cognitam: nec conſtantiæ gloria efferri ſe ita ſineret, vt ipſos quoque præcipites ſuper Nicoſiæ caſum daret: infeſtiorem habituros hoſtem, quòd maius fidei documentum erga Venetos dediſſent: cogitaret, quid vi atq; armis, captis ab iratis & Chriſtiani ſanguinis auidis barbaris patiendum foret: nec diripi atque excindi vrbem, atque omnia infanda atque acerba in ſe liberoſque ac coniuges videri ac pati eos vellet, qui pari ſtudio virtuteque omnibus belli calamitatibus pro Veneto nomine defuncti eſſent. Vera dicebant: eò magis mouere Bragadinum; cui cùm Aſtor quoque, ſæpe teſtans

Obſeſſorũ poſtremę miſerię.

Oppidanorũ de tradenda Famaguſta ad Bragadinum oratio.

Deum,

Deum, non ab ſe deditam vrbem ſed ſe traditum hoſtibus à ſenatu eſſe, aſſentiretur, de omnium ſententia Cal. Aug. candido è mœnibus vexillo ſignum Turcis faciunt, colloqui ſe cum ijs velle. Facta poteſtate legatos eoſdem obſideſque ad Muſtapham mittunt Herculem Martinengum & Matthæum Colcium Famaguſtanum. Quibus, obuiàm progreſſo cum equitatu Muſtaphæ filio, magnificè in caſtra acceptis; pari iure honoreque à Bragadino atque Aſtore duo Turcæ legati in vrbem recipiuntur.

CVM ijs re actitata demum in has conditiones facta deditio eſt: Famaguſtanis ſaluæ res libertaſque colendi Chriſtiano ritu Deum maneret. Præſidium omne cum armis rebuſque ſuis militari more ſub ſignis oppido egrederetur. Quinque muralia tormenta, quæ duces elegiſſent, aſportandi ſecum ius eſſet: item tres nobiles equos de hoſtibus captos: nauigia cum triremium præſidio à Turcis præberentur ad omnes in Cretam tutò tranſportandos. Deditionis conditiones.

Muſtapham, vltimæ neceſſitatis eam eſſe deditionem, non fallebat: verùm ne, ſi pacta abnuiſſet, duplicaretur inde hoſtibus virtus in deſperationem verſa, multoque ſanguine ſuorum illam ſuperbiam lueret, conuentas cum legatis conditiones ratas habuit, dolo ac perfidia, quæ armis nequiſſet, ſupplicia è deditis morataque diu victoriæ pœnas expetiturus. Poſtera die tegendæ fraudi cibaria omnis generis dono Chriſtianis in oppidum miſit. Et iam militum magna pars impoſitis ſarcinis naues ad id à Turcis in portum adductas conſcenderat. Bragadinus ad tradendam vrbem egreſſurus, ad Muſtapham præmiſit qui oraret, vt diligenti imperio milites haberet, ne qua irruptio in oppidum iniuriaue oppidanis fieret. Reſponſum benignè nun-

cio,

cio, tempuſque ſtatutum, quo in caſtra Bragadinus veniret. Egreſſus eſt cum Aſtore ac Theupulo, comitantibus Aloyſio atque Hectore Martinengis ac ferme ducibus alijs cum CC. admodum militibus ſclopetarijs. Muſtapha, per ſpeciem honoris armari copias frequentesque adeſſe circa tentorium, imperauit. Admiſſi in tabernaculum benignè ac læto vultu accepti conſidere iubentur. Prima oratio barbari comis percunctantis multa ſuper bello, virtutemque & conſtantiam ducum extollentis fuit, & tum maximè eorum contrectantis laudes, cùm in eos crudelitatis & perfidiæ exemplum editurus eſſet. Abituri iam erant, cùm ille monet Bragadinum, vt Turcas, quos bello captos in oppido cuſtodiret, mitti iuberet. Negante eo, captiuorum quicquam eſſe Famaguſtæ, barbarus præparata ira incenſus exiluit, impudentiſſimaque calumnia, necatos per induciarum tempus captiuos à Chriſtianis, exclamans, comprehendi vincirique omnes, productosque extra tabernaculum nequicquam fidem pactorum implorantes trucidari, ſe inſpectante incitanteque ſuos vt ferirent, iuſſit.

Perfidia Turcarũ: noſtriq; Duces trucidati

VNVS Bragadinus, non ad ſpem vitæ ſed ad exſatiandam immanis animi rabiem turbæ exemptus. Atque eò quidem barbari crudelitas efferbuit, vt occidere ſemel haud contenta; cogere ſæpius mori eum expetiſſe viſa ſit. Ter elato ad feriendum gladio præbere ceruicem iuſſus, ter acceptæ inuicto animo morti ſubtractus eſt. Sectis inde naribus auribusque indignè fœdatum in vincula tradit. Sequentibus diebus cùm dirutos reſtitueret muros, effoſſæ terræ ingentes cophinos ferre, &, quoties ſpectantem Muſtapham præteriret, ſummittere ſe ac terram oſculo contingere cogebatur. Ad naues inde ductus variè cruciatur:

Infanda in Bragadinũ cruciatuum genera.

&, quò

&, quò cunctis deformitas illa ſpectaculo eſſet, diu in ſumma antenna religatum claſſi oſtentauere. In forum inde iuſſu Muſtaphæ abſtracto & pedibus patibulo, pecudis in morem, appenſo, viuenti pellem detraxere. In his ſupplicijs, non gemitu non degeneri miſſa voce, increpans vltro atque exprobrans feritatem perfidiamque hoſtibus, vir cùm vita tum conſtantia mortis clarus inuictum ſpiritum edidit. Pellem Muſtapha ſale intùs acetoque conditam paleis infarſit, ac aſpiciendam per omnem Syriæ Aegyptique oram ab antenna pendentem miſit. Hanc finito bello Byzantij in armamentaria relatam, Bragadini filij emptam à cuſtode Venetias abſtulere: domique pro inſigni familiæ decore aſſeruant. Muſtapha, expleta præſtantis viri laceratione ſæuitia, Chriſtianos milites, quos in nauibus vrbeue deprehendit, donatos vita necti remigioque in nauibus addi iuſſit. Hoc maximè modo Famaguſta pari pertinacia defenſa, oppugnataque cum reliqua inſula in Turcarum poteſtatem peruenit.

Bragadini barbarū necis genus.

FINIS LIBRI TERTII.

ANTONII MARIAE GRATIANI
A BVRGO S. SEPVLCHRI.
DE BELLO CYPRIO
LIBER QVARTVS.

EODEM tempore, quo hæc in Cypro gerebantur, Columna & Venerius in Sicilia cladium Dalmatiæ ſpectatores Iohannem Auſtrium expectabant. Et Venerius temerè cum tota claſſe Tropeam ad commeatus petendos profectus, ſæua tempeſtate in terram actus ſeptem longas naues afflictas littori amiſit: vna cui Franciſcus Grittus præerat, ſulphur eo puluere per imperitiam incenſo, conflagrauit. Quod incommodum, ſuper tot illius anni cladibus, magnum Venetis dolorem iniecit tota tum ſpe & cogitatione in nauale bellum intentis. Sed Pius moræ impatiens quotidianis propè nuncijs literiſq. regem regioſque incuſans, qui æſtatem effluere ſine vllo effectu tanti apparatus paterentur, vrgebat. Atque, huc omnium expectatione intenta, cùm Hiſpani ſiue inſita ingenijs cunctatione, ſiue prolabi rem Venetam cupientes nequaquam erectis ad bellum ho-

minum

minum ſtudijs reſponderent, ſermones ſubiere tanquam initæ parum ſyncerè ſocietatis. Præterierat enim iam non ſolùm præfinitum ex fœdere tempus, quo adducere in Italiam claſſem debebant, ſed progreſſa æſtate nonniſi ſpes incertæ afferebantur. Suſpicionem onerabat, quòd non nauium apparatu attineri in Hiſpania Iohannem Auſtrium intelligebant, ſed quia Hiſpanico faſtu, nonniſi multa veſte ac diuite inſtrumento & ſuo & ſuorum exire Hiſpania & exteras adire gentes regium iuuenem, nolebant. Præter hæc cùm Maximiliani Cæſaris maiores natu filij Rodulfus & Erneſtus, quos Maria mater, vt in fratris regia inſtituerentur, plures annos in Hiſpania habuerat, traijciendi in Italiam eſſent, alter eorum captus febri, multos dies dum conualeſceret, dum tolerare nauigationem poſſet, claſſem ad Barcinonem tenuit: indignantibus in Italia cunctis, tam paruis de rebus tantam rem publicam omitti. Demum crebris Pij nuncijs, prodi ſocios & Chriſtianam rem deſeri, querentis acriter caſtigati, Barcinone profecti ſecundis tempeſtatibus Genuam exeunte Iulio applicuerunt. Auſtrius Genuam applicat. Inde egrediens naui Auſtrius Pleghium Romam miſit, qui Pium de ſuo aduentu faceret certiorem, &, nullam ſe moram ad nauigandum ſibi facturum, affirmaret. Genuæ tamen aliquot dies ab Auria, qui eum hoſpitio acceperat, per conuiuia & voluptates detentus eſt. Sed, cùm Ant. Theupulus Venetorum legatus ad Philippum, qui, expectare eum Genuæ ac ſalutatum ſenatus verbis orare atque obteſtari vt iter maturaret, erat iuſſus, ſæpe cum eo, ne diutiùs hominum ſpes fruſtraretur, egiſſet; Germanis regulis pedibus Mediolanum profectis, ipſe Genua ſoluit, ac, præmiſſo cum parte nauium Aluaro Bazano qui cuncta in

aduen-

aduentum ſuum præpararet, Neapolim venit:acceptoq. ibi à Granuellano Cardinale, qui in eius vrbis regniq. procurationem mortuo nuper Paraſanio Riberio ſucceſſerat, vexillo quod ad eum ab Vrbe Pius miſerat, Meſſanam adXVI.Cal. Sept. venit. Columna & Venerius cum tota claſſe obuiàm progreſſi, commemoratis fœderum pactis & cladibus, quas à Turcica claſſe, quia nemo defenderit, Veneti ea æſtate accepiſſent, vehementer eum ad bellum, maturandamque in Græciam profectionem hortantur. & præſtò fuit ab Vrbe miſſus à Pio Paulus Odeſcalcus Epiſcopus, qui idem exigeret.

AVSTRIVS, expoſitis moræ ſuæ cauſis atque in neceſſarios belli apparatus collatis, inuectus in quorundam plenos importunæ obtrectationis ſermones, qui,neque ſibi neque regi fortunam prælij, ſi occaſio detur, experiundi animum eſſe, iactarint; cùm gratias Pontifici Max. Venetiſque egiſſet, quòd ea iudicia de ſe feciſſent, vt ne dum quidem ſatis maturę ætati suę tantum imperium commiſiſſent, alacre promptumque ad res gerendas ſtudium & parandæ glorię cupidinem oſtentare conatus eſt.

Auſtrię Conſiliarij.

Sed in priuato eius conſilio, cui præter Auriam atque Hiſpanos Landrianus Sicilię pręſes, Sfortia S. Florę Comes, Aſcanius Corneus, & Glabrio Serbellonus adhibebantur, longè alia ſententia agitabatur: cùm Requeſenſius, penes quem ſumma rerum omnium auctoritas erat, tuta diſſerens, fortia ac decora conſilia atque omnem pugnæ mentionem reſpueret, neque eandem Venetorum, ac regis rationem eſſe oſtenderet: illis enim ab imminenti periculo ac deſperata pace, qua nulla tolerabili conditione ab ſuperbis barbaris impetrare quiuiſſent, ex metu audaciam eſſe, atque vltimas

Requeſēſij de bello ſententia.

ſpes

ſpes deſperatione tentari: Regi procul à tali periculo & neceſſitate res; & victoriæ inſtar eſſe, conſeruari claſſem: Auſtriumque monebat, priùs Philippi fratrem ſe quàm fœderatorum imperatorem eſſe, meminiſſet. Aduerſus hæc tendere cùm Itali duces non auderent, quòd quæ Requeſenſius diceret perindè accipiebantur; ac ſi regis ore miſſa eſſent, quòd arcanis Philippi mandatis vnus maximè inſtructus putaretur; id modò differebant, cauendum eſſe, ne Veneti deſperata ſociorum ope pacem vel ſeruituti iunctam ab hoſte acciperent, Piusque, quod futurum apparebat, penitus à rege abalienaretur. Itaque itur eò, vt in Græciam progrederentur, ſpeciemque belli oſtentantes tempus tererent, donec reducendæ claſſes in hiberna eſſent. In hanc ludificationem cùm iam Quirinus & Canalis Veneti præfecti LX. longas naues è Creta adducentes Meſſanam appuliſſent, & Auria & quæ præterea expectabantur naues, omnes adueniſſent, conſilium cogitur: in quo, Venerio & Columna vehementer poſtulantibus, iter in Græciam atque ad hoſtem decernitur. Luſtrantur claſſes: &, quia Veneti plures, Auſtrius pauciores, quàm ex fœdere debebant, naues adduxerant, vt loco nauium milites darent, ab Hiſpanis petitum impetratumque. Ita IVM. Italorum è regijs copijs in Venetorum naues diſtributa. prouiſi & abunde commeatus, onerarijsque impoſiti.

OMNIBVS igitur rebus ad nauigandum comparatis, cùm antè ſacrificijs & ſolennibus precibus Deum placaſſent, & ſe quiſque diuinæ hoſtiæ perceptione piè ac rite procuraſſet, naues conſcendunt: & ad XVI. Cal. Oct. leni inuitati vento è portu ſoluerunt, multitudine ingenti lætis ac fauſtis clamoribus abeuntes proſequente. Con-

fluxerant enim ad ſpectaculum Meſſanam tota inſula vjcinisque Italiæ litoribus multi mortales, cùm nunquam antea Chriſtiani tantam claſſem aduerſus barbaros eduxiſſe memorarentur: in qua viri nobilitate & militiæ honoribus inſignes vehebantur, Sfortia S. Floræ Comes, Andreas Auria, Aſcanius Corneus, Pompeius Columna, Paulus & Latinus Vrſini, Glabrio Serbellonus, Paulus Sfortia, Honoratus Caietanus, Vincentius Vitellius, pluresque è Neapolitano regno Principes: & Veneti, Auguſtinus Barbaricus, M. Quirinus, Ant. Canalis, Paulus Duodus. Hiſpani quoque clari viri, Aloyſius Requeſenſius Auſtrij legatus, Aluarus Bazanus Marchio S. Crucis, Iohannes Cardona, atque alij primæ nobilitatis iuuenes. Sed facilè reliquos dignitate anteibant Franciſcus Maria Rouereus & Alexander Farneſius Ducum Vrbini atque Parmę filij, & Paulus Iordanus Vrſinæ familiæ princeps, atque gener idem Coſmi Magni Hetruriæ Ducis: quibus adiunxerat Pius Michaelem Bonellum neptis ſuæ filium, Alexandrini Cardinalis fratrem, vt ſub talibus magiſtris piæ militiæ ac bellicę diſciplinæ rudimenta poneret. Hi nullo in exercitu munere, vt nobili bello intereſſent piamq. rei publicæ operam nauarent, egregia quiſque cum manu ſponte conſcenderant. Pro ipſo inprimis imperatore vota fiebāt, cui quemadmodum ętas vixdum pubeſcentis formaque & animus ad bellum alacer fauorem in vulgus conciliabant, ita perſtringebat multorum animos ingens cura, tantam rerum molem ac propè totius rei publicæ ſalutem adoleſcentis tirocinio commiſſam, cernentium, reputantiumque ſubitos fortunæ caſus, ad quos promptum & expeditum ducis ipſius conſilium eſſe oporteat. Erant longæ naues CCX. quarum ſingulæ, præter nauales ſocios

Illuſtres Viri, qui noſtra claſſe vehebātur.

Claſſis robur, atq; apparatus.

haud

haud pauciores, centum & quinquaginta milites ferebant, ſclopetarios quidem omnes, ſed ad rem cominus gerendam gladio haſtaque armatos: onerariæ magnæ duodetriginta; quæ etſi æquare longarum nauium curſum nequirent, quòd nullo remorum impulſu, velo ventoque aguntur, tamen & ipſæ militibus atque omni bellico inſtrumento egregiè erant inſtructæ: præpoſitusque his erat Cæſar Aualos nobilis Neapolitanus. naues præterea longæ ſex Venetorum, quas, vt ſuprà demonſtrauimus, ob magnitudinem galeatias vocant; eo robore, eo armorum & tormentorum apparatu, vt munitarum arcium inſtar neque hoſtium neque maris vim vllam extimeſcant.

HAC claſſe cùm Meſſana multa luce ſoluiſſent, quarta hora ad D. Iohannis promontorium applicuerunt, vbi, ligna, aquam, lapides qui ferrent in naues, expoſitis, ibi reliquum diei atque eam noctem in anchoris fuerunt. Sequenti die haud ita multum viæ progreſſi, ante noctem item aquandi ac lignandi cauſa appulerunt. Idem ferè alio & ſequentibus aliquot diebus eſt factum, ægre id ferente Venerio, qui tam lentæ nauigationis moram ſuſpectam iam habens, cùm ad eum Auſtrius miſiſſet monitum vt aliquot dierum aquam in naues importari iuberet, quò ſine quotidiana applicatione curſum tendere poſſent, renunciari ei iuſſit, XV. dierum aquam lignaque ſibi in nauibus eſſe: quin accelerarct ipſe aliquando iter: ſubeſſe enim autumnum ac propè tempus præterijſſe gerendæ rei, atque hoſtem interea ſuperbum toto potiri mari: ſe quidem, Auſtrium pugnæ & gloriæ cupidum, exiſtimare, ceterùm vereri, vt idem animi ſit omnibus, quos in conſilio haberet. Hac liberi ſenis voce excitatus Auſtrius iter paulo, quàm

antea, magis intendit. Decimo demum die aduerſis ſępe reiecti ventis Corcyram tenuere. Aduenientes à Paulo Vrſino obuiàm egreſſo, Turcicam claſſem paucis antè diebus ab Corcyra, vaſtata inſula, diſceſſiſſe, & ad XVI. Cal. Oct. ex Ambracię ſinu egreſſam Naupactum petijſſe, cognouere.

CORCYRÆ triduum reficiendis ex maritima iactatione militibus expectandisque nauibus, quę adęquare reliquarum curſum nequiuerant, ſtatiua habuere. ſuppletis deinde, ſiqua claſſi deerant, & maximè aliquot maioribus tormentis impoſitis, in conſilium duces de ſumma belli coëunt. Erat cum Auſtrio, vt docuimus, mixtum Italorum atque Hiſpanorum conſilium; & cùm, quid tacitè cuperet rex, quàm, quid palàm conſuleretur, magis penderent homines, varię, perplexę, ac minimè explicatę ſententiæ à regijs dicebantur, oratione inter id quod tempori conduceret, & quod placere regi arbitrarentur moderata. Hiſpanorum ſententia longinquiorem nauigationem reijciebat, dubio anni tempore tantam claſſem obijciendam incertis ventorum ac tempeſtatum, negantium: in pręſentia Sopotum aut Margaritium, aut, ſi mallent, Caſtellonouum oppugnandum, quod in poteſtatem redactum vniuerſę potiundę Epiri ſpes ſecutura eſset: &, cùm exaſperari mare cœpiſset, domum inde ſe ſine periculo recepturos, ac ſequenti anno coniunctis maturè claſſibus ad vlciſcendas clades ea ęſtate acceptas primo ineunte vere exituros. Venerium non fallebat, tergiuerſari Hiſpanos, vt inſtante autumno, mox infeſtum mare, afferentes, promiſſis tantùm oſtentatis, nulla geſta re, quà venerant, in Siciliam redirent. Itaque ſeditionem in Creta agreſtium ac propè totius gentis con-

Hiſpanorum ſentẽcia de ratione belli.

ſterna-

ſternationem iactans periculumque, ne, ſi hoſtis eò claſſem auertiſſet, concuſſa inteſtino motu inſula graue aliquod detrimentum acciperet, omni aliquando abrupta mora, ne Venetis quotannis ſine fructu comparatio claſſis eſſet, pergendum eique ante omnia ſubueniendum, etiam atque etiam cenſebat, ſatis ſperans, aliquam pugnandi neceſſitatem ſuperbiam hoſtium præbituram. At Columna, etſi quò ſpectarent Hiſpani ſentiret, tamen memor, eo bello fidem ſuam Pio quàm regi obſtrictiorem eſſe, vtramque ſententiam refellebat, & ſedatum in Creta montanorum tumultum, pacatamque inſulam nullam præſentem opem deſiderare, dicens: nec Sopotum ac Margaritium, vt proſpero euentu oppugnarentur, ſatis dignam rem tantis apparatibus belli atque ea claſſe, qua flos Italiæ atque Hiſpaniæ veheretur, eſſe. Ergo quamdiu Turcæ in ijs locis fuerint, in Sicilia ſe Chriſtianam claſſem continuiſſe: vbi illi inde abſceſſerint, vix Corcyra progredi auſam in caſtellis Epiri conſectandis hæſuram? An non ridiculo hoſtibus, ſtomacho Chriſtianis populis ſpe ac expectatione in eam nunc claſſem intentis fore? Num ad ſpectandas clades incendiaque ſociorum ac veluti fruendam rem oculis eò è Sicilia proceſſiſse, vt ne aſpicere quidem è longinquo hoſtes auſi è veſtigio domum refugerent? Aut quieſse Meſsanæ oportuit, aut aliquid pro dignitate Chriſtiani nominis audendum eſse. Famæ in bellis grauiſſimam eſse iacturam, pro qua retinenda vel iniquam pugnæ conditionem ſæpe ſubijſse clariſſimos imperatores. Cui dubium, ſi ipſi claſsem inde reduxerint nulla memorabili geſta re, quin & noſtris animi decedant, & Turcæ diſceſsum ignauiæ timorique vertentes, audaciores inde ex contemptu noſtri fiant? Sibi igitur place-

Columnæ ſententia, & oratio

re, vt, quod Pius (ad quem ſummam conſiliorum arbitriumq. eius belli rex Venetique maximè referri velint) proficiſcentes literis nuncijsque obteſtatus ſit, pergerent porrò ire ac Turcicam quærere claſsem, pugnamque, ſi locus detur, cum hoſte conſerere. Quibus ſi ſe barbari pro eorum arrogantia obtulerint, haud dubiam victoriam fore: quippe Chriſtianos integris ac recentibus viribus cum affecta crebris æſtatis eius expeditionibus claſse ac varijs caſibus attrita dimicaturos; ac ne cum pari quidem numero nauium congreſsuros, cùm omnes idem exploratores referant, Turcas ſecuros iam de Chriſtianis multas naues alias aliò in varios vſus ab claſse dimiſiſse. Quòd ſi portu aliquo incluſi pugnam detrectauerint, ſatis gloriæ factum iri expreſsa hoſti timoris confeſſione, & vaniloquentia barbarorum repreſſa, firmatisque ad reliqua militum animis. Tum, ſi vſus fuerit, oppugnatione alicuius in Peloponneſo opportunæ vrbis, inuitos, vt ſuis opem ferant, extrahi ad prælium poſſe: aut, ſi ne ſic quidem ſe mouerint, ipſos conceſsa fortuna vſuros, Græcisque cupientibus animos ad rebellandum facturos. Nec quiſquam ſibi nunc hiemem & procellas ventosque atque autumnales tempeſtates & varios terrores fingat: nam nec progreſsum adeo annum eſse, vt idoneum tempus ad hæc conanda non ſuperſit: & frequentes circà portus amplosque ac tutos in omnes caſus eſse. Hęc propalam. at ſecretò Auſtrium Hiſpanosque monere, viderent, ne Venetos fruſtrata atque eluſa quotannis eorum ſpe ad præcipitia conſilia agerent. Tot belli incommodis feſsos, tot afflictos cladibus quà Cypri ademptę quà nauium amiſſarum, ſuper tot oppida, tantum agri ab hoſtibus captum, ſingulasque direptas ac vaſtatas inſulas, niſi re aliqua iuue-

Colonę ad Auſtriū, Hiſpanosq. monita.

rint diffidenteſque confirmarint, ignominioſam quidem ipſis, ſed damnoſam omnibus pacem eos cum hoſtibus facturos. Fortes etiam ac feroces viros hæc mala perturbarent, vbi nec in ſe ſatis virium, nec ſpei quicquam in ſocijs cernerent; non ſolùm negociatores Venetos, nullius, niſi quod ipſi in foro atque curia ſuffragijs per ambitionem gerunt, belli gnaros. Si commiſſa res prælio plus periculi Philippi rebus quàm emolumenti allatura videatur: at ſaltem, quod tutò facere poſſint, ſpeciem non abhorrentis à pugna animi ferrent. Nam Turcas quis adeo nullius eſſe conſilij putet, vt, quam quieſcendo ſedendoque in manibus victoriam habeant, eam temere dent in vnius pugnæ fortunam, in quam ne viribus quidem æquis nunc eſſent deſcenſuri? Scilicet illi ignorant, ſi paulum modò ſuſtinendo rem diſtulerint, has collectitias Chriſtianorum claſſes continuò hinc diuerſas eſſe abituras, liberamque ſibi maris poſſeſſionem relicturas. ita fore vt & Venetos in officio retineant, nec ipſi, quod nolint, vllum ex eo diſcrimen ſubire cogantur. Maximè ea opinio, non facturos poteſtatem ſui Turcas, mouit: nam & idem ferè primores diſſerebant, & commodùm hæc agentibus, viſas LX. Turcicas naues Methonem petentes, nuncij Zacyntho miſſi attulere. Quò alacriùs ire decretum: Deliberatio Ducum. & plerique ducum feroces & magniloqui in hoſtem, quem non viſuros putabant, arma præliaque iactantes exercitum in expectationem pugnæ erexere. Profecti pr. Cal. Oct. magno repellente vento portum, cui Gomenizæ eſt nomen, intrare coacti ſunt. Hic Auſtrius ſimul luſtrandæ claſſi, quod intenta cura eſt ab eo reliquiſque factum ducibus, ſimul recentioribus de hoſte nuncijs expectandis biduum ſubſtitit. Tertia die Gildus Andrada Hiſpanus, quem cum Baptiſta

Contareno & Catharino Malipiero cum ſingulis triremibus, quibus præerant, exploratum, vbi, & quanta, & quid conſilij haberet hoſtium claſſis, miſerat, ad eum redijt conſentanea ceteris nuncians, ad LX. hoſtium naues vela in Orientem, incertum quò potiſſimùm, facientes conſpectas eſſe: reliquas cum ducibus ignaris Chriſtianæ claſſis ad Naupactum intra ſinum Corinthiacum ſtare: non remigem, non milites frequentes habere, ijs ſupplendis duces operam per ocium dare: credi, Zacynthum ad oppugnandam arcem in inſula redituros. His acceptis, minus diſcriminis, tenentibus ſe intra portum Turcis, apparebat fore: eo duces ſermonibus vultuque maiorem pugnæ cupiditatem ferre. Et Auſtrius veluti occaſione lætus comiter appellans Venetos dictis amicis accendebat.

Atrox in claſſe ex minimo penè exorta ſeditio.

IAM iter nauesque moliebantur, cùm ex re parua, quod ſæpe fit, tanta moles periculi exorta eſt, vt claſſes illas, columen Chriſtianæ rei, propè inter ſe exitiali bello commiſerit. Commodatas ab Auſtrio in Sicilia aliquot militum cohortes Veneti ſuas in naues, prout uſus erat, diſtribuerant. Ex his Mutius quidam à Cortona ordinum ductor in Cretenſi triremi, cui Andreas Calergius præerat, inſolenter multa ac turbulentè egerat dixeratque contemptim in ipſum præfectum. Cùm benignè admonitus finem non faceret, Calergius rem ad Venerium defert querens, vix iam nauem in ſua poteſtate eſſe. Venerius caſtigaturus hominem verbis, acciri ad ſe Mutium iubet: vocanti nec paruit ille nec agnoſcere ſe imperium eius, contumaciter reſpondit. Vexilli cuſtodes quos appellant extemplo ad eum comprehendendum Venerius miſit. Lictorum loco hi ſunt, eisque præfecti iuſſa exequentibus dicto audientem non eſſe, ex diſci-

plina

plina Venetorum capitale habetur: & ita ei cum Auſtrio conuenerat, vt capere atque in vincula tradere, ſiquid commodati milites deliquiſſent, liceret, vltima animaduerſione Auſtrio pro iure maioris imperij reſeruata. Mutius non repulit modò ab ſe miniſtros qui ad præhendendum eum acceſſerant, ſed adiutus à ſuis, armis arreptis, impetum in apparitores fecit, vnoque interfecto, aliquot vulneratis, omnes naui exegit, probris in ipſum quoque Venerium iactis. Vel moderatum ingenium accendere tam ſuperbè deſpecta atque obtrita maieſtas potuit. Senex certè natura vehemens ac percitus, & iræ alioqui nunquam ſatis potens, ita exarſit, vt, ademptum ergo ſibi in ſuam claſſem ius, exclamans, Mutium ac tres prætera audaciæ eius ſocios vi ad ſe pertractos, nihil Auſtrio conſulto, ac Paulo Sfortia qui deprecator pro tribuno ſuæ legionis aderat repulſo, prætoriæ nauis antennæ protinus ſuſpendi iuſſerit. Id factum adeo non modicè Auſtrius tulit, faces iræ eius ſubijcientibus quos inſitum in Venetos odium vrebat, vt, confeſtim ſuorum aduocato conſilio, de imminuta maieſtate imperij ſui vindicanda retulerit. Hìc adeo atroces quidam ex occaſione in Venerium Venetosque coorti ſunt, vt, idem ſupplicium ab furioſo atque importuno ſene expetendum, & exempli ſeueritate ius ſupremæ præfecturæ ſanciendum eſſe, contenderint: temerariè factum, in vnum hominem æquè præcipiti temeritate & in omnium caput recaſura, vltũ euntes. Apparebat, Auſtrium talibus conſilijs obnoxium fore, niſi Columna rem aliorum improbitate, aliorum inconſulta ferocia prolapſam reſtituiſſet. Is nocte media certior de tribuni pœna deque Auſtrij decreto factus, nihil cunctatus (neque enim moram tanti diſcriminis momentum ferebat) Columna maximo periculo maturè conſulit.

ad

Columnę ad Auſtriũ placandum oratio.

ad Auſtrium adit. Quo Venerij arrogantiam, ſe violatum ab illo, iras ſuppliciaque iactante, inſigne etiam poſteris nequis talia poſthac audeat, documentum in hunc daturum, minante; Columna nihil leuare, ſed aggrauare potius verbis Venerij facinus, dignumque ob ſtolidam arrogantiam illa animaduerſione ferre: miſcendo inde conſilia precibus, lenire paulatim iuuenis iram: hanc conſilio inimicam, improuidam cæcamque procùl à magnarum rerum conſultatione habendam: & cùm fidei eius ac ſpectatæ indoli virtutique & rex & Chriſtiana reſp. omnes ſpes ſuas ac maius, quàm capere ætas illa poſſit, imperium poteſtatemque permiſerint, non corrumpenda impetu tanta iudicia, tantam de ſe expectationem eſſe: nec quid per concitatum iracundia animum, ſed cuncta rationis penſata momentis agere eum debere. Delicta in caſtris non, vt in foro, ex præſcripti iuris formula decernenda, ſed conſilio moderanda imperatoris eſſe. Facinus ſupplicio vindicandum Venerium admiſiſſe, nemo, inquit, negarit: an ergo ad id perſequendum facinus ita præceps ira ipſe feraris, vt nihil quæ inde ſecutura ſint cogites? Acie decernendum tibi, Auſtri, cum Venetis eſt, ſi feroces iſtos audias, qui, meritas pœnas à Venerio repetendas, obliti rei publicæ, obliti fidei ſuadent. Centum & viginti naues ſunt, quæ pro duce ſuo nihil diſcernentes, iure an perperam factum, ſtabunt: nec tu parem numerum es habiturus. Incertus igitur & haud dubiè cruentus rei euentus erit. Sed, vt ſuperior ipſe vindicata dignitate tua euadas, lætane tibi ea victoria futura eſt, quæ Chriſtianum nomen præceps in quantum nunquam antea fuit periculum det? Inde perniciem feret, vnde maximum præſidium res publica ſperarit? Huc, paſſurus es, tantarum re-

rum initia, tantæ, tam exploratæ, tam propinquæ gloriæ ſpem recidere? Illa Principum iuxtà ac populorum tot officijs obſequijsque teſtata in te ſtudia, illam nominis tui per gentes celebrationem in ſæuam inuidiam lacerationemque & odium inexpiabile vertes? Recipe, Auſtri, obſeſſum ab iracundia animum, quam viciſſe, tibi haud minùs decorum fuerit, quàm expugnatam vrbem hoſti eripuiſſe. Non quid poſſis ipſe, aut meritus ille videatur, ſed quod præſenti tempori conſultum ſit reputa. Nam tanto maiorem laudem conſtantis & moderati animi feres, quanto ab iuſtiori cauſa ortam indignationem, cùm vlciſci poſſes, rei publicæ remiſeris. Cùm ceſſiſſet Columnæ monitis Auſtrius, eam cōditionem dixit, vt Venerius poſthac in conſpectum ſuum ne veniret. Præter recentem iram abhorrere à Venerio Auſtrius dicebatur, quòd pro huius ſeculi proiecta in adulationem elegantia, qua Hiſpanorum ingenia maxime delectantur, parum apte ac minimè demiſsè ab eo ſalutari colique, iuuenis inflati ſpiritus quereretur. Nam ſenex antiqui moris apud omnia officiorum ac verborum momenta pendentes, cùm ea integrè magis quàm ſcitè obiret, rudis ac tiro habebatur. Columna protinus ab Auſtrio ad Auguſtinum Barbaricum aduehitur, cuius in Veneta claſſe, vt non par cum præfecto imperium, ita auctoritas propè maior erat: nam & ſenatus rectorem hunc impotentiæ Venerij dederat, & ab ingenij commoditate conſtantiq. prudentia etiam gratia in exercitu excellebat. Cognitis quæ agitata erant, ante omnia Columnæ ampliſſimas pro merito gratias egit: deinde, conſilio conuocato, de omnium ſententia cum Venerio egit, vt congreſſu Auſtrij abſtineret, ne tam leuibus de cauſis tantorum conſiliorum apparatus & ſpes inchoata manus

cum

cum hoſte conſerendi euerteretur: ſe, quoties communicato aut conſulto opus eſſet, vicem eius impleturum. Cui ſuperbè ſenex, Faciam, inquit, dum æquè puer iſte quique ei in conſilio ſunt conſpectu noſtro abſiſtant. Hac, Columnæ ſolerti ſtudio curaque, ſedata turba inſtitutum iter indicitur. Proceſſere inſtructa acie, cùm vt appropinquantes hoſti nulla improuiſa res imparatos turbare poſſet, tum vt quiſque locum agnoſceret ſuum & ſine vlla trepidatione, cùm res poſceret, explicaretur agmen. Ob id lenta nauigatione prouecti ſequenti die Cephaleniæ appulere, fretumque ingreſſi, portum qui Alexandriæ dicitur cepere. Eo in loco biduum cœpta hoſtium obſeruantes manſerunt. Intranti portum Venerio literæ è Creta à Marino Caballò redduntur, ex quibus, Famaguſtam Cal. Aug. in hoſtium poteſtatem perueniſſe, eſt cognitum, Aſtorem & Bragadinum, quique cum eis ſuperfuerant milites, contra fidem pactorum à Muſtapha immaniter trucidatos. Vulgatus nuncius miſeratione tot virorum fortium indignè peremptorum, & perfidiæ execratione irritauit militum iras: fremitus pugnam poſcentium totam peruaſit claſſem: detur modò facultas conſerendi manus, facturos, vt barbaris non diu læta illa fraus atque crudelitas ſit.

TVRCIS ad Naupactum ſedentibus trepidus nuncius, Chriſtianam claſſem Corcyra profectam aduentare, affertur. Primò vix habita fides, mirantibus Turcis, vnde hoſti tantum repentè animorum. Aſsuetos per tot annos totum pro poſseſso vagari mare, nemine ſe contrà offerre auſo, tantus contemptus ceperat noſtri, vt, nunquam deſcenſuros in æquum & poteſtatem ſui facturos Chriſtianos, penitus perſuaſum haberent. Nec opinata res parumper

turbauit duces, ſed, collecto celeriter animo circummiſſis nauibus, quæ omnibus intra ſinum aditis oris, quod vbique militum remigumùe eſſet, tollerent, tumultuaria manu maximè equitum, parum apto nauali militiæ genere, claſſem ſupplerunt. Pauliſper inde diſceptatio tenuit, faciendumnè periculum naualis certaminis eſſet, cùm Pertaus, ad quem ſumma imperij reſpiciebat, negaret nulla vi cogente rem certam dubio pugnæ euentui committendam eſſe. ſed idem, quia præceptum aliter à rege erat, ſiquid aduerſæ aut famæ aut rei incidiſſet, omnem inde in ſe vnum verſuram inuidiam, ſentiens, pro ea ſententia ita diſſerebat, vt expectare aliorum conſilium, non ſuum, quod poterat, exequi velle videretur. Nec vlli ferè prudentiorum placebat, fortunæ permitti quod regi tenerique ratione poterat; præſertim cùm debilitatam claſſem ac multis egentem rebus, Chriſtianis haud dubiè ab certa fiducia virium vltro ſe hoſti offerentibus obiecturi eſſent. Ceterùm inuidiam declinati certaminis certamque inde indignationem immaniter tumidi regis quiſque ab ſe, ne in perniciem ſuam ſaperet, remotam volebat. Itaque tum Halyus ætate ac ingenio ferox & Selimi gratia elatus, ſecutique eum plerique ducum ſpecioſæ ſententiæ aſſentantes vociferantur: flagitium ingens fieri: Chriſtianos (quod optatum ſemper Turcis, ſperatum nunquam fuerit) vltro ſe certamini offerre, Turcas ipſos, veluti iam in hoſtium ignauiam degenerarint, deliberare ac inanibus diſputationibus verbiſque diſceptare, an cum inertiſſimis hominibus, & per tot annos terra marique fugatis congredi tutum ſit. An nuper in Siciliam vſque peruaſuri eramus, vt timidum ac refugientem hoſtem ad conferendam virtutem prodire in æquum

Pertai de nauali ſpugna ſentētia.

Halyij oratio.

cogeremus; nunc, veluti alij repente homines facti aut aduerſa aliqua clade perculſi, victores hac ipſa æſtate, tot captis oppidis,tot direptis vaſtatisq. inſulis, robore virorum, numero nauium,viribus,fortuna regis ſuperiores,hæremus ac formidamus, timoremque animi in neſcio quæ noua cautaque conſilia conferimus? Quid igitur? Si hoſtes prouocaturi huius ſinus fauces obſederint, Turcæ, haud ſecus quàm fœminæ, abditi intra portum trepidantesque ac torpentes metu nihil aliud quàm ludibrijs & contumelijs hoſtium expoſiti erimus, compreſſis manibus (quod aiunt) ſedentes? Quid ſi aliquam inde in his oris vrbem illi oppugnatum ierint, quod belli ratio poſtulare videtur, vt detrectantes nos ad pugnandi neceſſitatem trahant, paſſurinè ſumus in oculis noſtris capi ac vexari vrbes, ne tum quidem ad ferendam ſocijs opem prodire auſi? Terrarum orbis totus animis & expectatione in vnum hoc verſus bellum, conceſſum à Turcis de virtute toties victis profligatisque Chriſtianis, audiat? Id ferri, id vulgari, exactos mari à Venetis Turcas? haud Deus Maximus hoc, haud Mahumetes parens, haud Dijs proximus rex ſiuerit. Si res hoc ipſo bello terra marique proſperè geſtas degeneri conſilio fœdare non pudet, an etiam perpetuas tot ſeculorum de Chriſtianis victorias, tot parta decora, tot inſignes palmas Turcarum gentis tam turpi ignauiæ ac formidinis profeſſione deformaturi ſumus, & æterna Ottomanorum nomini (quod fas dicere non ſit) labe ignominiaque inflicta, inuicti regis felicitatem pauore noſtro obumbraturi? An obliti ſumus, Pialeium ſuperioris anni ducem, quòd recipientem ſe Chriſtianam claſsem vel aduerſis reiectus ventis inſequi porrò non perrexerit, vel in nulla vel in leui

culpa ignominia notatum imperioque amotum à magnanimo rege eſse? Adeo ille omnia ad dignitatem, ad gloriam, ad ſplendorem ſui ac Turcici nominis vult reuocari. Quem, certum eſt, pro excelſo eius animo ne hanc quidem dubitationem noſtram ſine pudore auditurum, rationemque à nobis minimè decoræ minimèque generoſæ conſultationis repetiturum. Neque enim, vtrùm conſerenda Turcis cum hoſte Chriſtiano ſponte nos ad pugnam appetente manus ſit, ſed, quo maximè modo prælium ineundum, quo modo vincendum minima cum noſtrorum iactura ſit, relatum ad conſilium oportuit. Per hæc territis qui contraria ſuaſuri fuerant, Pertaus quoque parum in eo iuris ſui potens, adulantium æſtu abreptus, magnifica ſalubribus prætulit. Iam in Cephaleniam tranſiſſe Chriſtianos auditum erat. Mittitur ad explorandum Caracoſſa notæ audaciæ ac ſolertiæ pirata. Is concubia nocte paruo nauigio euectus ita Chriſtianorum ſtationi ſucceſſit, vt omnibus circumluſtratis ſingulas numerando percenſuerit naues: ac paucioribus opinione ſua repertis lætus ſe ad Baſſas recepit, eisque, haud plures CLXX. naues habere hoſtes, pro comperto affirmans retulit. Cùm enim ſe noſtra claſſis in multos ſinus, vt cuique commodum fuerat, diuerſa intuliſſet, verum inire nauium numerum ſpeculator non potuit. Hoc nuncio elati Turcæ præcipientes iam victoriæ gaudia properè naues ſoluunt, ſoliciti ne antè hoſtes elabantur, quàm iter ipſi intercludant. Adeo enim nos contempſerant barbari, vt, deſcenſuros in aciem Chriſtianos, perſuadere ſibi non poſſe viderentur. CC. naues longas, LXX. ferme minora nauigia ducebant: nam & LX. quas abijſſe Methonem ſuprà memorauimus, noctù non conſpectæ à noſtris

Caracoſſa noſtrā claſſem explorat

ad claſſem redierant. Hoc numero Turcæ aduerſus CLXX. vt rebantur, noſtras naues pleni ſpei atque animorum ferebantur.

EADEM die, quæ fuit pr. Non. Oct. veluti ex condicto Chriſtiana claſſis oſtium ſinus Corinthiaci aditura Alexandriæ portum exijt, non tam victoriæ (etenim copiam hoſtis fore nulla ſpes erat) quàm prouocatæ pugnæ gloriam petens. Ita mutuo errore illecti, trahente fato (quod diuina mente manans vitari non poteſt) in iactatum magis à ducibus quàm ſperatum certamen vtrinque rapiuntur. Ea nocte Turcæ haud multum extra ſinum prouecti ad Galangum (id loco eſt nomen) applicuere. Chriſtiani longiori confecto itinere inter Petalam & Echinadas inſulas iactis anchoris ſtetere. Sequenti die prima luce vtraque claſſis ignara alterius è ſtatione mouit. Noſtri non ad iter magis quàm ad prælium inſtructi in hunc maximè modum quadripartita acie procedebant. Dexterum cornu quod in altum extendebatur, cum quatuor & quinquaginta nauibus Io. Andreas Auria ducebat: ſiniſtrum ad terram verſum Auguſtino Barbarico cum pari numero nauium eſt attributum: mediam aciem, quæ vna & ſexaginta nauibus conſtabat, Auſtrius ipſe cepit, eiusque latera læuum Venerius alterum Columna tegebat: quibus proximi, huic Franciſcus Maria Vrbini, illi Alexander Parmæ Ducum filij erãt, Sabaudia alter, alter Genuenſi prætoria vecti. Claudebant medium agmen hinc Petrus Iuſtinianus Venetus Melitenſium nauium præfectus, inde Paulus Iordanus Vrſinus. In ſubſidijs Aluarus Bazanus cum XXX. nauibus eſt collocatus, obſeruare pugnantes, &, ſicubi laborari vidiſſet, prçſtò ad opem ferendam eſſe, iuſſus. Iohannes Cardona cum octo naui-

Mutuus claſsium error, & opinio de hoſtibus.

Inſtructa claſſis noſtra acies.

bus antecedere & ſpeculari late omnia iubetur: eidem ne longiùs ab claſſe abſcederet quàm vt quatuor horis regredi poſſet, imperatum: ſi hoſtem conſpexiſſet, miſſis qui celeriter imperatori nunciarent, ipſe ſe in aciem reciperet. Quam ęqua fronte procedentem ſex Venetę galeatię, quę tormentorum è longinquo iacientium procella turbarent primo occurſu hoſtes, anteibant. Naues non ſuę cuique nationi ſeparatim tributę, ne cui priuatim ſibi conſilium capere liceret, ſed promiſcuę omnes alternæque locatę, vt exęquato inter omnes labore validę infirmis cunctæque ſibi mutuo auxilio exemploque ad virtutem eſſent. Minora nauigia, quorum magnus numerus in varios vſus claſſem ſequebatur, omnia procùl ſunt amota, vt quiſque nullam effugij ac ſalutis viam ſibi eſſe aliam, quàm nauem ſeruare in qua ad pugnam veheretur, ſciret. Onerarijs, quanquam & ipſę egregijs bellatoribus inſtructæ eſſent, aſſignatus in acie locus non eſt, quia idoneo non ſuppetente vento curſum reliquarum nauium, quæ impulſu remorum aguntur, tenere & prælio intereſſe non potuerunt.

In nauibus in acie collocandis prudentia.

NAVIGANTIBVS multa iam luce interpoſitę Echinades, quę hodie Curzolares appellantur, proſpectum adimebant: quibus à noſtra claſſe ſuperatis & viſi Chriſtiani ab hoſtibus ſunt, & ipſi eos videre eodem, quo noſtri, ordine venientes, niſi quòd aciem, nullis ad ſubſidia ſubtractis nauibus, longiùs extenderant, cornuaque ex inſtituto gentis lunauerant. In medio Halyus contra Auſtrium conſtiterat; &, quia ipſius propria præfectura maris erat, prętoria vehebatur. Proximum locum Pertaus tenebat. Aurię Vlucialim, Barbarico Sirocum in cornibus obiecerant. Ad XIIM. paſſuum diſtabant, cùm Au-

Turcicę claſſis inſtructio.

Auſtrius pugnæ ſignum explicit.

ſtrius conſpicatus hoſtem, pugnæ ſignum, ingens è prætoria vexillum explicuit, quod ei Pius ab Vrbe Neapolim miſerat, in quo imago IESV CHRISTI affixi Cruci conſpiciebatur: quam tota claſſis venerata læto clamore conſalutauit. Ferunt, auſos tum monere Auſtrium quoſdam, ne ſpe incertæ propoſitæ gloriæ euectus ſe claſſemque in caſum irreuocabilem tam dubij euentus daret: nec quicquam fratri victoria acquiri, & eadem, ſi penes hoſtes foret, in diſcrimen Italiæ regnum barbaris patefactum adduci. Quibus, iuuenis, cum ſero atque importuno conſilio reiectis, curare corpora milites ac cibo firmatis viribus capere arma iubet, ſimul armamenta demi aptarique omnia ad pugnam. Atque hæc, quando ſpatij ſatis ad omnia ſupererat, vt ſedatè ſine trepidatione vlla aut tumultu fierent, curæ ducibus fuit. Ipſe actuario exceptus à tergo puppes ſingularum nauium cum Aloyſijs Requeſenſio & Cardona adijt, ſingulosq. euocans duces, ipſos militesque ad pugnam eſt adhortatus; cunctis alacri clamore tranſeuntem proſequentibus. Regreſſus ad prætoriam ſuos allocuturus, CHRISTI in vexillo effigiem intuens, humilis precatur Deum, vt ſibi claſſique & Chriſtiano populo volens placatusque adeſſet: formidinem fugam cladem que in impuros & numinis ſui contemptores hoſtes verteret. Tum duces in ſingulis nauibus, vt conuenerat, accepto ſigno nixi genibus CHRISTI numen omnes adorant, militesque idem facere iubent. Videre fuit tantæ multitudinis copias arma telaque expedientis in media cogitatione certaminis, ad cædem ad ſanguinem vadentis ſubitò humiles procubuiſſe, & alios ad cælum, alios ad Dei ſimulacra oculos manusque tendentes, ſupplices veniam victoriamque orare,

Dice-

Diceres, metu perterritos ac diffidentes viribus ad diuinam opem confugiſſe, niſi pietatem mox virtute comprobaſſent.

DEVM rite venerati ſuos quiſque oratione firmare: illum eſſe diem, quo aut deuictis hoſtibus gloriam propulſati in perpetuum à Chriſtiana rep. periculi eſſent laturi, aut egregia pro Chriſti fide oppetita morte in domicilia piorum, æternæ beatitudinis donati pręmijs, migraturi. & barbaros quidem victos ſeruitio, cæſos ſempiternis ſupplicijs deberi: Chriſtianos (quæ benignitas Dei ſit) victores diuitias, famam, lętitiam; extinctos etiam his omnibus potiorem ſedem inter cęleſtes animas manere. Meminiſſent communis illius omnium populorum voti, vt aliquando noſtri reges pium inuaderent bellum: quoties hanc ſocietatem, in ſermonibus, in circulis expetiſſent; quoties liberis vocibus regum ac principum diſcordias, modò vniuerſos modò ſingulos incuſando, deteſtati eſſent. En tandem optati compotes: ſtare acies claſſemque, & in ea, quicquid roboris, quicquid floris in Chriſtiana iuuentute vſquam fuerit: oſtenderent ſimul ciuibus, ſimul hoſtibus, non vires antea nobis non animum ad vincendum defuiſſe, ſed obſtitiſſe inteſtinum diſſidium; barbarosq. victores aliquot antea bellis diſceſſiſſe, quia impeditiſſimum quemque aggrediendo nunquam ex ęquo arma nobiſcum contuliſſent. Deum, qui mentem optimo Pontifici, ſocijsq. ſeſe fœdere belloq. conſociandi dedit, eundem perduelles, ac numinis ſui contemptores profligaturum, vim victoriamq. militibus ſuis proſperaturum. Nam illos ab inſita animis arrogantia ac temeritate, quam proſperi ſuperiorum annorum ſucceſſus fecere, in prelium raptim per ſummum contemptum no-

Oratio Duch ad milites.

ſtri

ſtri deſcendiſſe, nulla re, præterquam animis ſtolida fiducia ſui elatis, nobis pares, cùm quieſcendo ſedendoque bellum conficere poſſe viderentur. ſcilicet Deum eripuiſſe conſilium, occæcaſſe mentes, vt, quo furore rapti in certamen eſſent, eo trucidandi fortibus viris, & animis & rebus omnibus ad victoriam præparatis obijciantur. Vt ad certam ſpem ſolutos imparatosque venire, numerum modò nauium oſtentantes, quas inanes milite, ac remige vacuas ſpeciem tantùm claſſis ſine viribus eſſe. Ergo veluti ad non dubiam prædam temere proruentes ipſos haud dubiæ prædæ futuros. Si non aliud ex ea pugna, quàm decus famaque peteretur (quæ quidem maxima victores maneret, ſi tantùm de virtute certamen eſſet, quod aliquando maioribus noſtris fuit) quem tandem tam abiecti animi fore, qui non mori præoptet quàm fœdis illis mancipijs dignitate concedere? Aſt eò rem adductam eſſe ſuperiorum temporum erratis, vt nobis non pro laude iam, ſed pro vltima ſpe, pro quicquid charum iucundumùe homini eſſe poteſt, pugnandum ſit. Proinde ſic exiſtimarent; libertatem Italiæ, ſalutem coniugum, parentum, liberorum in ipſorum ſitam dextris eſſe: illa amiſſa claſſe, nullo reliquo perfugio, omnibus ſubeundam barbarorum ſeruitutem: capi, vendi, diſtrahi ſe ſuosque viſuros, niſi ipſi hanc perniciem ſua virtute in hoſtem verterint.

INTER hæc appropinquabant claſses, leni flatu & hoſtibus ſecundo, cùm ſub ipſum congreſsum concidit repentè ventus, miraque tranquillitas ſecuta, veluti de induſtria æquante omnia fortuna, & pelago placatum æquor ad edendam nobilem pugnam præbente: quin tantum tenuis auræ, quantum à noſtris ferret in Turcas, fumum, cuius

ingentes nubes exploſæ bombardæ effudere, in hoſtes vertit. Id Christiani in miraculum vertere; & fauere ſuis Deum, augurabantur. Et ſacerdotes, in quibus Cappucini aliquot, è ſummis puppibus imagines Dei Cruci affixi oſtentantes, illius præſens adeſse numen, illum imperaſse ventis, illum ſequerentur ducem, multa adhortatione clamabant. His vocibus concionibusque inſtincti, religione atque impetu ardentes cupidè capeſſunt pugnam, pari & victoriæ fiducia & mortis contemptu, qui ſunt acerrimi ad fortitudinem ſtimuli. Turcæ, cùm ſuperantem Echinadas noſtram claſsem tendere in ſe viderunt, primò mirari audaciam, propiùs deinde conſpectus numerus nauium multo, quàm ipſi rati fuerant, maior tacito metu pulſauit pectora: ac præter ceteros Pertaum vehementer commotum, fatum ſuum ſeque incuſaſse, ferunt, quòd, paucorum adoleſcentium ferocia in tam dubij euentus aleam dari ſe præcipitem, paſsus eſset. Sed eò progreſſis vertenda in audaciam neceſſitas erat. Itaque, cùm ſucceſſiſsent nec iam ampliùs mille paſsuum interuallo abeſsent, tormentum maximum, quod ſuperbè prouocantium ſignum fuit, magno cum ſonitu primi emiſere. Quibus cùm pariter ab Auſtrij prætoria reſponſum eſset, Turcæ ſublato ingenti clamore, quem vario cantu ſtrepituq. tympanorum ac tubarum adiuuant, in galeatias, quæ binæ ante ſingulas noſtrorum acies, vt dictum eſt, euectæ ſeſe primæ obtulerunt, concitant naues. Sed eam minantium crebris tonitribus tormentorum tempeſtatem galeatiæ dedere, vt Turcæ vulneratis aliquot ſuis nauibus, quò peſtem eam declinarent, coacti ſint inhibere, & ordines interrumpere ac multis locis diſijcere: quos inde dum arctiùs neceſſario reſtituunt, & non-

Ventus noſtris miraculo fauet.

Initium pugnæ.

nullæ inter ſe naues implicitæ ſunt, & in confertas minùs irritæ tormentis actæ è noſtris nauibus ferreæ pilę incidebant. Quòd ſi Chriſtiani galeatias ipſas minùs longo interuallo ſubſecuti in turbatos primo incurſu hoſtes impetum dediſſent, opinio fuit, victoriam nequaquam diuturni aut ambigui certaminis futuram fuiſſe: ſed, dum noſtra acies, vt nauium ordo & frons æqua ſeruaretur, lentè admodum procedit, galeatiæ longiùs paulo, quàm vtile fuit, agmen præuectæ ſunt. Vbi claſſes in conſpectu ac ſub ictu fuere, tanta vis bombardarum vno tempore vtrinque eſt emiſſa tanto fragore ſonituque, ac fumo cælum ipſum denſis nubibus obſcurante, vt omni erepto oculorum atque aurium ſenſu propè alienauerit horrore hominum mentes, cùm ſine diſcrimine vllo aut generis aut honoris æquè omnes cæcis aperti ictibus nulla cauendi arte eſſent. In transgreſſos galeatias, & propius terram capto ambitu inuadere ab latere noſtros conantes, & nonnihil in explicandis nauibus dirigendoque iterum agmine inter ſe trepidantes hoſtes primus ab ſiniſtro Chriſtianorum cornu Barbaricus facto impetu aggreditur, adnitentesque vim facere & ad circumueniendum erumpere, quantum poteſt, occupat claudere & ad terram vrgere. & erat locus, quò ſe Sirocus ductor dexteri hoſtium cornu ab littore in modum promontorij prætenſo, cui Moloſegni eſt nomen, ad Echinadas intulerat, peranguſtus, cingente hinc Moloſegni atque inſulis, hinc noſtris ab alto obiectis. Sed connixæ remis aliquot naues hoſtium, noſtrorum tranſuectæ cornu, obuerſis inde proris in aduerſas puppes Venetorum, qui maximè in ea parte pugnabant, negocium ab tergo adortæ faciebant: laboratumque non ſine periculo foret, niſi claudæ quædam

Certaminis horror.

Turcarum naues primo incurſu noſtrorum territæ, impulſæ in littus fugæ initium feciſſent. quæ res & hoſtium animos debilitauit, & adiecit fiduciam noſtris. Prima igitur in concurſu vis maiorum tormentorum fuit, in quo & copia & vſu adminiſtrandi facilè Turcas Chriſtiani antecellunt: & tum nouo quoque inuento rem adiuuere. Teretem ligneum cadum haud ferme cubito longiorem, latum ad bombardæ modum in quam inſerebatur, plumbeis glandibus globoſiſue ſaxis oui maximè magnitudine replebant. Hæc tormento effuſa, veluti peſtifera grando, quòcunque incidiſſent, ingentem ſtragem dabant. Maioribus exploſis tormentis, quorum tamen ipſorum prout ſpatium dabatur ictus repetiti ſunt, leuioribus miſſilibus accenſum certamen. Turcæ more ſuo ſpicula ingerunt, anceps multitudine ipſa telum, ceterùm vix ſatis efficax ſi tecto armis incidat corpori. Chriſtianus ſclopeto rem gerit, rariore ſed mortifero vulnere, quod non clypeo, non lamina, non vlla armatura arceas; tanta vi ab igne excuſſum figitur telum. Ad id noſtræ naues pluteis inædificata latera habebant, quibus tecti milites tela in hoſtes, ignesque vario artificio compoſitos iaciebant: & milites ipſi thorace galeaque armati tutiùs audentiùsq. pugnæ ſe offerebant. Turcis nihil horum erat: naues ſine vllo pluteorum munimento: miles aut perleui aut nullo armatu nuda atq; aperta corpora noſtrorum ictibus præbebat. Super his id quoque noſtris velut extraordinarium ſubſidium acceſſerat. Pronunciari inde ante prælium de collegarum ſententia Auſtrius iuſſerat, quicunque ob noxam damnati in nauibus vincti remis haberentur, ſi victrix Chriſtiana claſſis profligatis hoſtibus ea die à pugna rediſſet, vt liberi omnes ſine fraude mitterentur. Præfecti

Bellicum bombardaru inuentum.

Propoſitū remigibus pręmium.

fecti nauium, demere catenas & traditis armis cohortari eos, iuſſi, vt, quando fortunam in dextris haberent, dignam ea mercede operam rei publicæ nauarent. Horum libertatis ſtudio alij, alij prædandi auiditate, vt eſt genus omne remigum furaciſſimum, per tela, per vulnera in hoſtium naues tranſiliebant: meritique manu ſunt, vt promiſſum eis cum fide exolueretur. Nec tamen vndequaque id vtile conſilium fuiſſe conſtitit: nam quemadmodum in certamine ipſo & concurſu res ſtrenuè adiuta eſt nexorum opera, ita nudatæ remigibus naues ad inſequendum hoſtem, vbi opus fuit, tardæ atque inhabiles fuere. Contrà hoſtibus repentinum ab eadem re malum eſt ortum. Remigium eſt Turcis omne ex Chriſtianis ferè captiuis, quibus minima miſeriarum eſt ipſa ſeruitus. adeo durè ac truculenter à barbaris habentur. Hi, vt quæque nauis inter pugnandum laborare cœpiſſet, ſolutis aut fractis repentè vinculis quibus erant nexi, proſiliebant, & peremptorum armis aut quod cuique ad manus accidiſſet arreptis, haud magis cupidine libertatis quàm rabie vlciſcendi crudeles dominos, vt miſſæ caueis feræ ſanguine ac cædibus graſſabantur. Ea veluti inteſtina fraude multæ oppreſſæ ſunt Turcarum naues. Iam pugna ab omni parte conſerta erat, permiſtæque naues vt cuique hoſtis obuiàm fuerat, conflixerant, variaque fortuna his aut illis aduerſa multiplicem prælij faciem præbebat: aliç congreſſum agilitate atque arte declinantes inferenteſque, maiori nauium quàm virorum certamine agebant: contrà aliç mutuis innexç ictibus cominus vires contulerant: alibi multç ſimul, alibi ſingulç inter ſe concurrerant: hinc proris hinc puppibus hçrere, implicari, obuerti: hìc Turcicam vnam à duabus Chriſtianis premi, ibi vnam Chri-

Remigũ Chriſtianorum apud Turcas facinora.

Pugnę ſpecies.

ſtianam

ſtianam à Turcis pluribus circumuentam cerneres: huic remos detergi, hanc roſtro obliquam peti: tum deprimi hanc, illam capi: elabi aliam, aliam teneri: denique aliam fugę, aliam ſpei incumbere. Iam fluctus ſanguine rubentes volui, iam cuncta ſtrage ac cęde miſceri: egregia paſſim facinora audacię ac fortitudinis edi.. Auſtrius cum Halyo congreſſus, Venerius Columnaque pariter in aduerſas illati naues longè acerrimum in medio certamen miſcuerant. Nam & bellatorum robur, & valentiſſimę nauium circa duces conſtiterant: & quiſque eorum à tergo applicatas puppi triremes habebat, è quibus noui aſſiduè milites ſubmittebantur, qui vulneratis cęſisque ſuccederent. Et cùm in oculis ducum cuncta agerentur vt nullum egregium facinus obſcurum eſſe poſſet, & euentus eorum fortunam omnium traheret, vtrinque ſumma vi gerebatur res. Initio Turcę toties ab ſe victos fugatosque Chriſtianos, & nunquam ante eam diem armis conſiſtere contrà & conferre ſecum ſigna auſos, vt imbelles ac timidos deſpexerant. idipſum, vbi & religione & animis accenſos, & quia victis nihil reliquum ſpei eſſe perſuaſerant duces, ruere in pugnam nullius rei prẹterquam victoriæ memores, cupideque petere hoſtem & magnis proſternere ictibus videre, terruit barbaros. & audacia Turcæ, quàm perſeuerantia maiore, prælia ineunt; vt, ſi primum impetum retundas, ſenſim reſideant eorum vires. Itaque in multum diei extracto certamine languidiùs in negocio verſari videbantur: eo noſtri, qui haud dubiè militum robore ſuperabant, inſtare acriùs & ſpem ſuam fouere. Pugnatum tres ferme horas erat & vbique atrociter, necdum ſatis cernebatur, quà rem fortuna datura eſſet; adeo omnia, ſpes, animi, vires vtrinque paria fuerunt. Ab læuo

T[illegible] in bellis [illegible] minimè [illegible]

Victoriæ initium.

demum cornu, vbi cœperat pugna, victoriæ quoque initium eſt ortum. Cùm enim, prementibus impigrè Chriſtianis, ex pluribus nauibus Turcæ ſe trepidi in proximum litus eieciſſent, noſtri aucti animis inſtare perculſis: &, cum Barbaricus & cum eo Canalis & Quirinus Veneti legati Sirocum impigrè pugnantem ſuppreſſa eius naui interfeciſſent, turbatis, vt fit, ducis caſu reliquis, tota ab ea parte inclinauit in fugam claſſis, & plerisque omnibus, inſtantibus vndique noſtris, effugium in terram patuit haud parum ipſa propinquitate illectis, quæ haud dubie magno & ad ſalutem Turcis in ea parte, & ad victoriam noſtris adiumento fuit. Reprehendentes ego poſtea Turcarum conſilium peritos homines ſæpe audiui, quòd in libero maris ſpatio longiùs à terra aciem non ſtatuère, cùm dicerent, eam rem duo incommoda ſecuta eſſe: nam & fugæ incitamentum militi tam propinquum & amicum littus fuiſſe, & nauium multitudine, qua illi ſuperabant, in anguſto ſe mutuò impediuiſſe. Iam lætus inde pugnantibus Chriſtianis victorum clamor accidebat, & ad ipſum peruenerat Auſtrium diu cum Halyo ancipiti marte luctatum, & tum meliori ſpe pugnam cientem. Gaudium quædam ſtimulauit inuidia, ſi priùs à Venetis ſiniſtroque cornu pulſus hoſtis foret, ſecutusque ipſe potiùs, quàm dediſſe victoriam videretur. Mouit & Hiſpanos milites æmulatio: mutua cohortatione ſe incitant, ac veluti tum primùm ad integram coorti pugnam ſclopetis ingentem dant glandium procellam. Tum, ipſo cadente Halyo dum ad accendendos ſuos in medium excurrit glande traiecto, in nauem eius tranſcendunt, regium vexillum proſternunt, momentoque expugnatam capiunt, & continuò, iubente Auſtrio, clamo-

Turcarum in loco pugnæ deligendo imprudentia.

Halyus interficitur, prætoria capitur.

rem victoriæ indicem tollunt; quo & alacritas addita pugnantibus paſſim Chriſtianis, & ſpes magnopere fracta Turcis: Tum non iam pugna, ſed cædes & ſtrages vbique cedentium hoſtium erat. In altero cornu, vbi egregium par ducum fortuna contulerat, Vlucialis & Auria, cùm ſcientia maritimæ rei faci è reliquos antecellerent, ueluti præcipua inter ſe æmulatione accenſi ad primum conſpectum claſſis idem propè conſilij agitarant, amplexu circumire hoſtem, atque inde in terga, aut latera impetum dare. Igitur Auria, vbi ab ſua parte longè protenſam in mare hoſtium aciem, neque ab ſe facilè æquari cornu poſſe, cernit, ſequi alijs iuſſis protinus altum petere intendit. Longè ab reliqua claſſe euectus cùm porrò pergeret ire, octo Venetæ naues ſiue eum ſuſpicatę ſubducere ſeſe prælio, vt integrum conſilium fortunę accommodaret (ſemper enim ei viro diffiſi ſunt Veneti) ſiue, ipſum abſcedere longius ab ſuis non placeret, ſuſtinentes remos reſtitere, ſecutæque earum exemplum aliæ quinque naues ignarę conſilij idem fecerunt. Iam nec ſequi Auriam nec recipere ſe ad mediam aciem poterant. Quod vbi conſpicatus eſt Vlucialis, qui iam Auriam, ſuo intellecto conſilio circumeundi dexterum Chriſtianorum cornu, tendentem in altum ſeque conatui obijcientem animaduerterat, repentè in eas verſus magnoque impetu inuectus pluribus nauibus circumſtitit, omnibusque aut deiectis aut cæſis propugnatoribus in poteſtatem redegit, ac temerarię ſuſpicionis pœnas pendere coëgit: quanquam illæ quidem haudquaquam inultæ aut ſegni certamine victæ, ſed ſtrenuè omnes atque enixè dimicantes periere. Ipſam inde aciem inuadenti obuius fuit Petrus Iuſtinianus cum duabus Melitenſibus nauibus, tum maximè

Vlucialis, & Auriæ maritimæ rei ſcientia.

Suſpicio Venetorum de Auria malignæ cladis origo.

Petri Iuſtiniani virtus.

victor quatuor hoſtilium nauium, cum quibus primo incurſu conflixerat: quarum tres vi atque armis expugnatas trucidarat, vnam in turpem coniectam fugam inſequebatur: vir cùm ipſe egregiè fortis, tum ex omni numero Melitenſium Equitum delectam promptiſſimorum iuuenum manum vehens. Sed tum non magno negocio pauci à pluribus repentè à tergo, à fronte, à lateribus circumuenti ſuperantur, fortiſſimeq. pugnantes ferè omnes ad vnum cæduntur: Iuſtinianum ipſum multis vulneribus ſaucium Turca, qui in deuictam eius nauim inſilierat, cùm fortè antea virum agnouiſſet, dedentem ſeſe liberaliter promiſſa ſalute ab iniuria prohibuit. Sed idem, verſa haud ita multo pòſt fortuna, dedititij ſui captiuus cùm eius ſe fidei ad pedes prouolutus commendaſſet, non ſeruatus modò ab Iuſtiniano eſt, ſed in libertatem etiam reſtitutus. Ceterùm Vlucialis victor pugnantibus in media acie imminebat, niſi & expugnata Halyj prætoria impetum eius inhibuiſſet, & Auria quamuis ſerò ac patrata propè victoria (longiùs enim abſceſſerat) reuectus cum integro nauium globo, vertentibus terga Turcis in latera inuadens terrorem addidiſſet, & Bazanus, cùm diſcuſſo paulum fumo, quæ circà agebantur animaduertiſſet, quò res poſcere eſt viſa, ſe intuliſſet. Vlucialis, qui occaſioni intentus conſilium, quò res atque ratio vocaſſet, flexurus nulla ſe propria pugna implicarat, vbi, vento fumum auferente, nullum regium vexillum, quod Halyo occiſo deiectum erat, & non dubiam Chriſtianorum victoriam, Auriamque in ſe reuertentem cernit, ſublatis velis capeſſit fugam. Secutæ ſunt eum ad XXX. naues ſuorum quæ proximè ſteterant: reliquæ aut captæ à noſtris aut demerſæ ſunt. neque enim, occiſo Halyjo, & Vluciali

Fortunę vices in Iuſtiniano captiuo.

pugnam

pugnam fuga deſerente, qui vltrà reſiſteret fuit. Pauci actis in terram nauibus euaſere: in quibus fuit ipſe Pertaus, qui perditis iam rebus cùm ſe clàm in actuariolum intuliſſet, per interualla diſcurrentium nauium elapſus ſe in terram eripuit. Deſertam ab eo nauim Paulus Iordanus Vrſinus cepit, quem ſuo certamine defunctum ab victa, quæ prima illi occurrerat, naui locoque ſuo in medium ad ferendam Auſtrio opem attraxerat vox, quæ temere perſuaſerat aciem, premi imperatorem ac vinci regiam nauim. Sed, vbi ex propinquo id in hoſtem omen incubuiſſe cernit, in Pertai nauem quam proximam fugientem conſpexit inuectus, cæſis qui pugnæ ſupererant hoſtibus, in poteſtatem ſuam redegit. Quæ duos adoleſcentes Halyi filios ferebat nauis applicataque parentis lateri erat, cùm principio in Columnæ nauim magno impetu inuecta eam roſtro grauiter ictam paulum repuliſſet, inter duas inde Chriſtianas naues tranſcurſu elapſa, multis in ipſo tranſitu collabefacta vulneribus cum ipſis adoleſcentibus in noſtrùm poteſtatem peruenit. Columnæ nauis, quanquam primo concurſu icta vulnus acceperat, tamen acriter ſe in Halyi prætoriam & ipſa intulit: & Turcicam triremem à latere ſe infeſtè oppugnantem ſuſtinuit primò, deinde etiam Turcis propè ad vnum occiſis cepit, acerrimè rem adminiſtrante Ramagaſio Sequano, vno è proceribus Meliténſium Equitum, viro naualis rei peritiſſimo, æquè & conſilio & manu prompto. Venerius ſæpe elato præ ſe ſcuto ac ſtricto gladio à puppi ad mediam nauim, vbi plurimum periculi ac laboris erat, proceſſit, ſua manu ferire hoſtem & congredi contrà gaudens: nec quiſquam ducum audaciùs in ipſa pugnæ diſcrimina adijt. tanta in ſenili corpore vigebat vis animi.

Pertaus elabitur.

Noſtrorū Ducū facinora.

Pauli Iordani.

Colūnę.

Ramagaſij Sequani.

Venerij.

Interfectorum, captorúque numerus.

CÆSA eo die ad XXXM. Turcarum, quantum nullo antè prælio, feruntur: capta millia quinque: in quibus Halyij filij ſorore Selimi geniti, argumentum, quàm certa fiducia in certamen deſcenderit, qui pueros filios, quos vel Naupacti deponere vel in terra ſpectatores ſtatuere potuit, ſecum habere veluti nullo impendente periculo maluerit, quò Chriſtianorum fugam (adeo rem pro non dubia duxerant barbari) inſultantemque fugæ patrem cernentes eximio imbueret tirocinio. Venere in poteſtatem centum & triginta naues, nonaginta ampliùs aut illiſæ littori aut merſæ fluctibus aut abſumptæ ignibus ſunt. Ad hæc (quod haud minùs lętum victoribus fuit) ingens multitudo propè XXM. Chriſtianorum è varijs gentibus ſeruituti deterrimæ exempta. Opulenta præda non ab direptis modò ea æſtate oppidis populationibusque inſularum, ſed multa præterea merce, quam barbari paſſim à negociatoribus Conſtantinopolim deportandam ſuſtulerant, ea omnis, pręter captiuos & naues & tormenta bellica, militi conceſſa. Præclara victoria: nec, poſt Actiacam illam celebratam veterum ſcriptorum monumentis Octauiani Cęſaris aduerſus Antonium & Cleopatram eodem mari ac propè eodem veſtigio partam, nobilior vlla naualis pugna mille ſexcentis ferme annis pugnata eſt: nec, ſi conferre libeat, ſat ſcias, vtri alteram præferas. Numero illa nauium, hæc nauibus ipſis præſtitit: apparatu illa & concurſu magna, ſed tranſacta breui eſt; hæc certamine ac contentione acrior & diuturnior: plus ibi fugæ, hìc ſtragis fuit. Ceterùm victoria forſitan hæc, illius certè victoriæ fructus maior: minus vulnerum apud victores in ea; hæc haudquaquam incruenta fuit, vt prælio, quàm vnquam, maximè æquis viribus

Naues captæ, & fractę.

Chriſtiani ſeruituti exémpti.

Pręda militi conceſſa.

Actiacę pugnæ cum noſtra comparatio.

animiſque peracto. . Cecidere noſtrorum octo millia ex omni genere, & fortiſſimi quique militum: par ſauciorum numerus fuit. E Veneta claſſe ad viginti nauium præfecti deſiderati, patritij omnes generis; cum quibus tres Cornelij fratres, Aloyſij, cui Sobrio cognomen fuit, nepotes: qui naui ab Vluciali circumuenta cùm effugere duo eorum poſſent, curatori admouenti ſcapham hortantique adoleſcentes vt ſe diſcrimini eriperent, fratrem, qui accepto vulnere iuxta dimicantes prolapſus ſequi fugientes nequibat, negarunt deſerturos. ita circa morientis corpus pugnantes publica priuataque pietate inſignes occubuere. Deſiderati & alij pari nobilitate viri in ducum maximè nauibus, vbi plurima vtrinque cæde dimicatum eſt. In quibus Fabius Gratianus frater meus, acerrimi animi ac ſpei magnæ adoleſcens, qui in Columnæ naui audaciſſimè dimicans, plumbea glande ſclopeto adacta media in fronte lethaliter ictus, ante imperatoris pedes occubuit. Cuius prætere nomen, neque virtus ipſius me neque fraterna pietas eſt paſſa. Sed omnium damna vnius Barbarici clades æquauit: cui iam victori profliganti dexterum hoſtium cornu, dum adhortans ſuos incautiùs ſe ictibus aperit, oculus ſagitta traijcitur; ſublatuſque inde à proximis haud multo pòſt inter manus extrahentium telum expirauit. Quæſiſſe morientem, aiunt, quæ fortuna Chriſtianorum atque claſſis eſſet. vbi, fuſos hoſtes ingentemque partam victoriam, accepit, voce ſpirituque deficiente ſuſtuliſſe manus, ſignaque grates Deo reddentis ac læto decedentis animo dediſſe. Dicerem dignum qui ea victoria viuus frueretur, cuius partem maximam ipſe traxerat, ſiue conſilijs quibus rem ad pugnam perduxit, ſiue ipſa pugna quam primus & cœpit & exegit,

Deſiderati ex noſtris & ſaucij.

Corneliorum fratrũ egregium facinus.

Fabij Gratiani mors.

Barbarici clades

Eiuſdem morientis præclara vox.

niſi immori felicitati ſuæ ea demum vera & certa felicitatis poſſeſſio videri poſſet. Auſtrius expugnata hoſtium prætoria occiſoque Halyo, quòcunque pugnæ aliquid ſupereſſe viderat, circumagendo nauem, quam Venerius quoque & Columna pariter defuncti certamine, atque aliæ item multæ naues ſequebantur, victoriam conſummauit. Inde cùm à quinta diei hora propè ad noctem prælium tenuiſſet, obtendentibus ſe iam tenebris ac intumeſcente ab ualido coorto vento fluctibus mari, cum tota claſſe captiuas trahentes naues in vicinos portus, quà cuique proximum fuit, ſe recepere. Sauciorum prima eſt habita cura, magna ducum comitate adeuntium ſingulos, &, ecquid opus haberent, rogantium: ceſſum quoque ijs commodioribus locis in nauibus. Tota deinde nox ac ſequens dies per gratulationem ac lætitiam acta. Et Auſtrius ſimultatum oblitus venientem ad ſe Venerium perbenignè amplexus laudibus eſt proſecutus, non ducis modò ſed ſtrenui militis officijs ſenem id ætatis functum, ferens. nec tamen ea diuturna concordia atque gratia fuit.

Pugnæ terminus & conſũmata victoria.

Auſtrio Venerius redit in gratiam.

POSTERA diè cùm ventum in conſilium eſſet, omnibus idem viſum, inſtare victis nec ſpatium colligendi animos viresque hoſtibus dare. Itaque Auſtrius ipſe alacrior ad omnia ſucceſſu factus, & haud dubiè elatus dulcedine gloriæ, depoſitis ſaucijs atque Corcyram cum agmine impedito nauium miſſis, centum & viginti naues ex omni claſſe deligere eaſque ſupplere ex alijs ac protinus ad tentandum Naupactum contendere parabat: quam vrbem recipi primo aduentu, aduerſa re territis hoſtibus, poſſe non deſperabatur: atque inde ex propinquo Græcos in Peloponneſo ſolicitare, & ſama naualis pugnæ atque præ-

Auſtrij poſt victoriam conſiliũ.

ſentis

ſentis ſpe præſidij cupidos nouandi res ad arma concire. Totum id conſilium, quo nihil eo bello cogitatum ſalubrius fuerat, impotens animi Venerius turbauit. Statuerant, vt nuncij victoriæ ſequenti die cum literis communiter ſcriptis ad Pium mitterentur, à quo deinde reliquis nunciaretur, atque eos Baptiſta Contarenus Hydruntum cum ſua triremi deportaret: quibus expoſitis, Venetias ipſe curſum intēderet. Venerius & ſtare conſilij decreto velle & ægre eam ſuſtinere moram, & ſenatum de rebus geſtis docere & ciuitatem quamprimùm participem eius lætitiæ facere geſtiebat, magnam gratiam fore, ſi anteuertiſſet ipſe aliorum nuncios, ratus. Hæc voluentem animo forte Onfredus Iuſtinianus adijt. erat is longè acerrimus iuuenum, nec quiſquam magis impigrè, ſiquid iuſſum eſſet, exequeretur. Conſpectus iuuenis ſubdidit Venerij cupiditati faces: occupat percunctari, paratámne ad iter nauim, & an Venetias ire velit. Iuſtiniano, ſe verò extemplo profecturum ſi iubeat, profitenti Venerius literas tradit. Quibus ille acceptis, haud mora, regreſſus ad nauem moliri iubet vela, atque impulſis extemplo remis iter inuadit. Ægriùs eam rem, quàm dignum erat, accepit Auſtrius; vſqueadeo vt faſtidio hominis rem ipſam publicam omiſerit, reiectaque mentione Naupactum atque in Peloponneſum eundi, conuerſis repentè proris veliſque in altum datis Corcyram redierit, non improbantibus magis quàm cupientibus idem Venerio ipſo & alijs quoque ducibus præfectiſque, quorum animis inſolita victoriæ lætitia diſſolutis longius nihil videbatur, quàm vt ad iactanda ſua quiſque egregia facta, oſtentandaque hoſtium ſpolia in Italiam atque domum redirent. ſcilicet victoria, qua vti neſciuerunt, frui properabant. Ne tamen nihil

Perturbatio maximè ſalutaris cōſilij à Venerio.

Rursū Auſtrius Venerio iraſcitur, & Corcyrā redit.

actum

actum poſt rem tam proſpere geſtam videretur, de oppugnanda ex itinere Leucade, cui nunc inſulæ ab Chriſtiano in ea templo S. Mauræ eſt nomen, agitarunt, ac Proſperum Columnam iuuenem impigrum ad explorandum locum, ſitumque oppidi cognoſcendum præmittunt. Hunc quoque conatum Venerius gloriam rei, vt ipſe rebatur, factu haud difficilis vni ſibi ſine ſociorum ope reſeruans auertit, datis Proſpero (nam is Venetis militabat) occultis mandatis, vt augendo negocij difficultatem ab eo incepto Auſtrium deterreret. Quo inde, permunitum natura atque opere & valido firmatum præſidio locum, referente, ſatis cauſæ præfeſtinantibus domum, cur eam quoque rem omitterent, eſt viſum. Corcyram vbi ventum, partitæ inter ſociorum duces naues tormentaque, ſingulis pro cuiusque impenſis in bello factis data portione. de captiuis cùm non conueniret, decimum quemque eorum iure maioris imperij ſibi vendicante Auſtrio, res ad Pium reiecta eſt: qui ſelectos à vulgo nobiliores Romam adduci atque ibi cuſtodiri ad redimendos, permutatione eorum, qui Chriſtiani captiui apud hoſtes eſſent, iuſſit, reliquos eadem qua cetera ratione partiri; Venetorum abominatus conſilium, qui omnes, ne vnquam dimiſſi infeſtiùs in Chriſtianos ſæuirent, necandos in carcere ſuadebant. Quin Romæ in honeſta cuſtodia atq. liberaliter ſunt habiti, cupiente Pio ea humanitate ad Chriſtianæ religionis cultum allicere barbarorum animos.

Prędam partiendi ratio.

Captiui nobiliores Romã adducti, & a Pio humaniter habiti.

Columnæ admonitu non antè ſoluit Corcyra Auſtrius, quàm aut depoſita aut diſſimulata ſimultate adiri ſe ac ſalutari à Venerio eſt paſſus: quem ſubridens, manuque lenis humero impoſita, magni ſpiritus virum & egregie ſibi fidentem appellauit. Inde Meſſanam cùm veniſſet, dimiſſo

Venerij ab Auſtrio digreſſus in ſpeciem amicus.

Romam

Romam Columna, ipſe in Sicilia hibernaturus Panormum ad audiendas legationes, quæ ad eum gratulatum vndique concurrebant, tranſijt.

ONFREDVS Iuſtinianus cum victoriæ nuncio à Venerio miſſus, accelerato quantum velis remisq. contendere potuit itinere, nono quàm à claſſe diſceſſerat die Venetias venit. Gemini caſtelli oſtium intrans (qui mos eſt nauium vrbem adeuntium) omnes bombardas magno cum ſonitu exploſit. Auditus fragor multorum concurſum, quos cupido cognoſcendi ſiquid ab claſſe, traxerat in forum, fecit. Mox ipſam incedentem triremem captiuis circumornatam ſignis, quæ demiſſa vt adempta hoſtibus viderentur aquam verrebant, videre: ſimul læti clamores ab naualibus ſocijs accepti. Erectis ſpe ingenti animis Iuſtinianus ipſe applicans foro ex ipſa naui dexteram tollens, victoriam nunciat; reiectoque inde pallio expeditus in terram exiliens, in curiam atque ad Principem, & ipſum tumultu & clamoribus præcurrentium excitum perrexit. Amplexum offerenti, pugnatum cum Turcis ad Echinadas inſulas, non victam modò ſed deletam hoſtium claſſem eſſe, & quot deinde captæ naues, quot merſæ fluctibus, quantæ copiæ hoſtium occiſæ eſſent, diſſeruit. Princeps, ſolito dignitatis ſuæ cultu inſignibusque non expectatis, in templum ad agendas Deo gratias deſcendit: & totam momento ciuitatem nuncius victoriæ peruaſit. Proripiunt ſe ædibus homines, clauduntur tabernæ, omnibus priuatis publicisque intermiſſis rebus in forum, in curiam vndique concurritur: tantaque non forum modò, ſed omnes circà vias multitudo repleuit, vt multi ſenatorum iactati inter turbam adire templum nequiuerint. Iuſtinianus literis in

Venetijs ingens lętitia ob victoriæ nūcium,

templo

templo apud Principem collegiumque recitatis, ac paucis verbis edoctis Patribus, eorum iuſſu egreſſus ad populum eadem nunciat: collata cum Turcis ſigna, victos profligatosque hoſtes: omnem claſſem aut in poteſtatem veniſſe, aut abſumptam in prælio eſſe: ſupra XXXM. Turcarum cæſa: Halyum ipſum occiſum, potitosque prætoria hoſtium Chriſtianos: Pertaum parua abditum ſcapha inermem vno comite ſeruo dici euaſiſſe: Sirocum, Caracoſſam, multos præterea præſtantes inter barbaros honore atque opibus duces in acie occidiſſe: captos Halyj filios ſorore regis natos, & cum his Mehemetem Eubœæ præfectum, aliosque pari dignitate viros. victoriam quantam optare aut capere mente auſus nemo eſſet, Deum dediſſe. Irent ergo, eidem Deo Opt. Max. grates laudesque agerent, &, vt ea res Chriſtiano nomini, ac Venetæ reip. æternæ gloriæ atque amplitudini eſſet, precarentur. Tum, effundente ſe in omnium animos ingenti lætitia, amplecti inter ſe noti ignotique, gratulari, manare omnibus gaudio lacrymæ, recordantibus, quanto nuper in terrore atque cura fuiſsent, tot alijs ſuper alijs nunciatis cladibus, vt, ipſimet timeri vrbi, obſepirique à mari ingreſsus ne hoſti pateret, vidiſsent. & ſubibat, quæ fortuna ciuitatis futura fuiſſet, ſiquid aduerſi eueniſset Chriſtianæ claſſi, à qua vt vnica ſpe omnium pendebat ſalus. Huius memoria metus, vt iucundiorem lætitiam haurirent, faciebat. Patres ad Principem coguntur, alij ad templa: atque inde digreſſi ad communicandum cum coniugibus &liberis gaudium abeunt: pars maxima videre, audire narrantem Iuſtinianum, iungere dexteram atque amplecti geſtientes, domum eius viasq. ferentes in domum obſident; vt matri à ſacris redeunti adi-

tus

tus ad amplexum propè non patuerit:abijſſetque inde excluſa in cognatorum alicuius ædes, niſi verecundia maieſtatis eius moti qui proximi impediebant, admonentes alij alios per confertam turbam precanti ac ſummouenti ſingulos ægre viam dediſſent. Sicubi & eo & ſequentibus aliquot diebus Iuſtinianus conſtitiſſet, circumfundi illico omnis multitudo:quacunque greſſum tuliſſet,velut excitam ſedibus ciuitatem ſecum trahebat:quantum antea nunquam mortalium quiſquam Venetijs cuiuſuis honoris gratulatione, omnium ordinum frequentia celebratus vrbem inceſſit. & ipſe iuuenis ingenti corpore eminens longè inter omnes conſpiciebatur, multaque narrandi facilitate ingentem ciuitatis gratiam traxit. Patribus, ſimulac animum ab effuſo gaudio recepere, nihil prius fuit, quàm vt datis ad legatos reip. literis, iuſſisque tabellarijs dies noctesque mutatis currere equis,tam lætas res Pio quamprimum, Philippoque ac reliquis regibus nunciarent. Poſtero deinde die vocato ſenatu ſupplicationes ad omnia templa, nominatim ad ædem Iuſtinæ, cui Diuæ Nonæ Oct. ſacratæ Venetijs ſunt, decernunt. In ijs Didacus Guzmanus Siluius Philippi legatus (idem fortè ſacerdos erat) ſacra fecit, & cum Principe ſenatuque ac primoribus Patrum diuinam hoſtiam communicauit. Additum decreto eſt ad prodendam poſteris victoriæ memoriam, vt populus diem Nonarum Oct. feſtum haberet ſeruaretque in perpetuum, & quotannis ad idem templum eadem die Princeps ſenatusque cum populo ſupplicatum irent, ibique ſolenni ſacrificio intereſſent. Publicum gaudium priuatorum ſecuta ſtudia per plures dies celebrarunt; atque actis ſupplicationibus ab cultu Dei templiſque ad ludos ſpectaculaque itum: quæ varia ſodalitates

Gratiæ Deo pro victoria Venetijs actæ.

ſingulaque opificia magno inter ſe apparatuum certamine ediderunt. Cognitis inde interfectorum in acie nominibus, maximè Barbarici mors viſa dolorem mouere: ſed id quoq. in gloriam viri vertit. Nec maius vllum ſpecimen, deſcendiſſe ad omnium animos eius victoriæ gaudium, eſt datum, quàm quòd cæſorum funera laudibus non lacrymis celebrarunt, pluſque gratulationis in ijs quàm fletus fuit: nec filium quiſquam, vel fratrem, vel parentem aut luxit aut lugubrem veſtem pro ciuitatis more ſumpſiſſe ſuſtinuit, necuius in communi patriæ lætitia domeſticus dolor triſtitiaue conſpiceretur, cauentes.

PIO, vbi profectæ in Græciam claſſes, aſſiduis votis ſupplicijsq. populo Chriſtiano Deum Diuosque propitianti, & magna ſingularum horarum atque anxia expectatione pendenti Venetus legatus, dimicatum ad Echinadas, victos Turcas, captam demerſamque hoſtium claſſem, nunciat. Tum ille, vt erat priſcæ vir pietatis, in grates laudesque Dei effunditur: pergit in templum, diuque genibus nixus immotus precibus hæſit. occurrentibus inde cum gratulatione Patribus, quæ allata erant, exponit, exuperaſſe diuinam benignitatem vota hominum, diſſerens. Solennia ſacra, quibus ipſe operaretur, ad aram maximam Petri & Pauli in ſequentem diem apparari iubet, omnesque qui haberi in tali re poſſent Deo honores, quibus accepti beneficij gratiam teſtaretur, decernit. Religionem Pontificis imitata ciuitas complet Diuorum templa: vbique preces, vbique ſacrificia & gratiarum actiones pijs populi ſtudijs celebrantur. Pij ſanctitas in omnium ore: eius fletibus quotidianisque ſacrificijs impetratam à Deo, quantam ne optare quidem quiſquam ſit auſus, victoriam eſse.

Romanæ vrbis gaudium accepto victoriæ nuncio.

Inter

Inter hæc Columna Neapoli profectus Vrbi appropinquabat. Eum Pius cùm ſingulari honore pro magnitudine tam claræ victoriæ, & viri ipſius merito accipi à populo Rom. iuſſiſſet, aduerſari Hiſpani, impedire, minui Auſtrij dignitatem, ſi alteri tributum eſſet quod imperatori deberetur, cauillari. Deriſi reiectique à Pio, atque impudentiæ redarguti, qui, modum ſibi decorandi ducem ab ſe præpoſitum bello, ac re bene geſta domum redeuntem præſtituere, æquum putarent. eò deſcenderunt inuidis animis, vt prohiberent, nequis Hiſpanus Hiſpanorumùe ſtipendijs obligatus, Columnæ aut occurreret venienti aut omnino ſpectatum prodiret ingreſſum eius in Vrbem. Eo ciuitas propenſiùs ſtudijs in Columnam accendi. Romana plebs delecta ex ſuo numero ſex hominum millia ſub ſignis, ac ſplendido veſtium atque armorum ornatu ducens aduenientem extra mœnia inſtructis ordinibus excepit. omnes vrbani magiſtratus cum ſuis inſignibus pariter egrediuntur, comitante in equis nobilium iuuentute, populoque omni ad ſpectandam celebrandamque rem effuſo. Exijt & à Pio miſſa Heluetiorum cohors, quæ corporis & Vaticani cuſtodiam agit: duxque ab eadem cuſtodia equitum turmæ: & præter hos Pontificiæ domus diſpenſator cum turba togatorum & purpurato familiarium agmine. Cum hac pompa actis ante equum captiuis, atque veterum triumphantium imitatus morem Capitolium, atque inde digreſſus per mediam Vrbem in Vaticanum ad Pium aſcendit. Ab eo in Conſtantini aula, aſſidentibus aliquot Patrum, accipitur & magnificè verbis ornatur: verbaque ſecuta Pij liberalitas. ipſi LM. aureorum nummûm numerari extemplo iuſſit; Aſcanio filio admodum adoleſcenti bene-

Hiſpani Columnæ redeūtis honoribus aduerſantur.

Apparatus, & pōpa, qua Romæ Columna exceptus eſt.

Pij liberalitas erga Colūnam & filium.

ficium prædiuitis Abbatiæ apud Beneuentum dedit cum haud dubia ſpe Cardinalatus, vbi capere per ætatem eum honorem licuiſſet.

AVSTRIO & Columna in Siciliam Romamque profectis, Venerius veluti amotis ſocijs ſolus victoriæ lætitia fruebatur: cùmq. gratulantium aſſentationes vndique omnes in vnum incumberent, quem aduerſæ res non fregerant, proſperę nimia elatum gloria incaſſum egere: ex eoq. breui omnis nobis victoriæ fructus luxuriauit. Primò, nihil iã difficile fore conanti, ferens, plenus ſpei ingentis perſequi Vlucialim, ne ex fuga Byzantium ſe reciperet, tentare Peloponneſi oppida, inuadere Græciam, ſolicitare Græcorum animos, ipſi minitari Conſtantinopolitanæ vrbi. Quæ dum ſpe atque animo vniuerſa concipit ſimul, ſingulorum quoque, dubitando & prolatando, tempus omiſit. Philippus Bragadinus legatus, vir haud ignarus maris, qui Venetijs cum longis nauibus quindecim poſt prælium aduenerat, precibus ab eo contendit, vt traditis ſibi quinquaginta nauibus protinus in hoſticum excurrere pateretur: vt ſe res atque occaſio aperuiſſet, ita rem geſturum, & omnem daturum operam, vt quàm maximè hoſti noceret; magnamque ſpem habere, ex caſu aduerſi prælij perculſis barbaris imparatisque, occaſionem bene gerendæ rei ſibi non defuturam. Probare conſilium Venerius, collaudare Bragadini ſtudium; ſed interim cunctari, differre, & velut ſibi ſpatium fruendæ gloriæ ſuæ ſumere: cuius in partem admittere quenquam, ita non ſuſtinebat animus, vt nihil non ductu imperioque ſuo, nihil abſente ſe ab alio geri, pati poſſe videretur, tanquamdetrahi ſibi, quicquid alteri acceſſiſſet gloriæ, exiſtimans. Trahere igitur rem, dum

Venerij vaua, & glorioſa conſilia.

ipſe

ipſe vulnus curat, quod nauali prælio leue in dextero crure acceperat. Eam Venerij moram ſatis, creditur, magno Turcis emolumento fuiſſe: ſi enim, hoſte tanta recenti clade perculſo, populis per Græciam barbarorum crudeli ac ſuperbo imperio feſſis victricem claſſem oſtendiſſet, paruo negocio magni victoriæ progreſſus fieri poſſe videbantur. Sed Venerius animum ad expugnationem Leucadis adiecerat, quam facilem ac propè nullius laboris fore, ei imperiti homines perſuaſerant, vſqueadeo vt, quod ſuprà tradidimus, ne cum Auſtrio quidem tentare eam rem voluerit, quò ſibi vni gloriam patrati negocij vindicaret. Id conſilium Iacobus Sorantius, qui ſucceſſor Barbarico à ſenatu miſſus ad claſſem venerat, magnopere refutabat. Quid enim explorati aut prouiſi ſatis ad eam rem eſſe? cur ipſi per ſe inſulam temere aggrediantur conceſſo hoſti ſpatio ſeſe confirmandi, quam adiunctis ſociorum claſſibus in ipſo impetu victoriæ tentare auſi non ſint? nec ſi alia quidem præuertenda non eſſent, periclitari de fama victis nuper hoſtibus parta, conatu dubiæ & haudquaquam dignæ rei deberi. Si vti tempore velint, vt quæque maximè longinqua, ita intuta, & opportuna inuadentibus fore; vbi nec ſubita nec opinata res imparatis pauorem eſſet additura, & facultatem bene gerendi negocij præbitura. Leucadem Corcyræ obiectam, quoties velint ſatiſque inſtructi ad vim faciendam fuerint, oppugnaturos; reliqua præſentis occaſionis eſſe. Prius igitur potiuſque eſſe, Naupactum nauigare, &, incenſis ibi quas inueniſſent vacuas ac deſertas ab hoſtibus naues, Peloponneſum ambire, & antè motos in ea ora montanos homines præſentis ſpe opis compellere ad rebellandum. Neminem omnium, fide: cunctos metu contineri;

Iacobi Sorãtij diſſuaſio de Leucade expugnãda.

quem ſi ipſi appulſu claſſis dempſerint, cupidisque animos adiecerint, opere haud magno acre in ipſa Græcia bellum excitari hoſtibus poſſe. Hoc facto placere, protinus cum claſſe Helleſpontum peti, atque ex ipſis anguſtijs, ſi penetrare non poſſent, Byzantio terrorem oſtentari. Haud parum ad ſummam belli totius referre, ſi, adeo fractas aduerſo prælio Turcarum opes eſſe, fama diſtulerit, vt ex ipſis Conſtantinopolitanæ vrbis mœnibus minitantem ſibi Venetam claſſem trepidus proſpectaſſe tyrannus prædicetur. ipſos inde, veluti adita conceſſu hoſtis maris poſſeſſione, redeuntes paſſim exſcenſionibus factis populari maritima Græciæ, commeatus aliaque, quæ in vſum claſſis Ægypto Alexandriaq. Conſtantinopolim conueherentur, impedire atque intercipere: materiam, cuius haud dubiè magnam vim ad mare comportatam vbique inuenient, incendio conſumere; & ex omnibus inſulis prædas, maximè hominum, agere, quibus & ſuppleturi ipſi remigio naves, & dempturi hoſtibus eam facultatem eſſent, ne his affecti difficultatibus incommodisq. claſſem in ſequentem annum reparare queant: qua in re ſummum conficiendi belli momentum verteretur. Hanc magna pars eorum qui aderant probabat ſententiam: ſed contendere, & aduerſari Venerio occupato ſpe Leucadem potiundi atque in eo perſtanti, nemini magnopere opus fuit.

IMPOSITIS igitur duobus millibus Italorum, CCC. Græcis peditibus, Epirotis equitibus centum & quinquaginta, cum octo & quadraginta longis nauibus in inſulam traiecit. Ea inter Cephaleniam & Acarnaniam interiecta, continenti, vnde exiguo admodum freto dirimitur, ponte coniuncta eſt, quò promptior hoſti tranſitus ad opem ferendam.

rendam. Sed, Turcis quanquam improuiſa res fuit, qui Venetos nihil poſt naualem victoriam auſos, progreſſa iam hieme ſegnes Corcyræ quieturos putarant, tamen & antè accerſita præſidia peditum equitumque habebant, & dimiſſis celeriter nuncijs noua vndique auxilia exciuerant. In egreſſos in terram noſtros, & maiora tormenta ſex quatiendis mœnibus admouentes ex multis locis infeſti eruperunt magnisque detrimentis affecerunt, vt ipſum ante omnes Venerium ſtatim deſperatio conficiendi ex ſententia negocij ceperit. Quem etiam cum quinquaginta equitibus ad explorandum progreſſum propiùsque ſuccedentem oppido conſpicati Turcæ, ac numero maiori adorti eo tumultu fugaque compulere ad naues, vt aliquot ſuorum interfectis parum abfuerit, quin ipſe in hoſtium poteſtatem perueneríit. Eo territus periculo, ſuaque iam opinione deiectus rem temere cœptam, atque improſperè tentatam ſatiùs habuit omittere. Receptis in naues tormentis, & Sorantio cum ſex & triginta nauibus in Cretam proficiſci atque ibi hiemare iuſſo, ipſe vna in itinere trireme amiſſa Corcyram in hiberna redijt, nulla re poſt naualem pugnam geſta, niſi quòd Sopotum expulſis Turcis recepit, & Margaritium munitum caſtellum in Epiro, quod Turcarum præſidio tenebatur, fuga eorum deſertum per Paulum Vrſinum, quem eò cum quatuor millibus militum miſerat, cepit, direptumque excindi atque ſolo æquari imperauit.

Leucadē irrito conatu Venerius tentat.

Quid geſtum ſit poſt naualem pugnam.

Hoc modo deformatam priùs inutili mora, deinde irrita oppugnatione Leucadis victoriæ famam à Venerio eſſe, plerique Venetorum, qui nauarchi ſingulis nauibus præerant, querebantur, maximè quos inuidia gloriæ eius vulnerabat.

Venetorũ Repſ. qualis.

VENETIIS excluſa plebe patritij remp. habent. Inter hos (quod ferè malum magnas ciuitates vexat) factiones duæ ingentibus certant odijs; quæ tamen hactenus non vltra ſuffragiorum certamina erupere, dum ſuæ quiſque parti in mandandis honoribus aduerſatur, aut fauet, atque idipſum occultis ſtudijs: nam legibus eorum contra remp. habetur, his de diſſidijs loqui. Familiæ paulo plus viginti ſunt, quæ vetuſtate originis & maiorum titulis elatæ contemnunt reliquos vt nouos atque reptitios. Pro contemptu odium redditur: id, vbi ſuperbiam nouitas numero atque induſtria ſuperauit, vtrinque auctum acriùs, quia in abdito, æſtuat. Venerius clara, & aduerſa nobilium factioni familia erat natus. Ei legatus erat Iacobus Sorantius, cui præter vetuſtum genus domeſticæ opes, & vitæ cultus ſplendidiùs ab illo, quàm pro ciuitatis more, inſtitutus inflabant animum ſua ſponte gloriæ, potentiæ, imperij auidum. Is præfecturæ claſſis, ſi Venerius amoueretur, ſpe & cupidine imminens, ambitione atque inuidia ſtimulante, aſperè multa & criminoſè in eum Venetias ſcribebat: Hominem inanem & decoris inſolentem, ſecundis rebus & fama aliena virtute parta obtorpuiſſe: &, qua nullo ſuo merito glorietur, victoriam vnum per ſocordiam corrupiſse. Pugnatum cum Turcis diuini Numinis inſtinctu, non voluntate hominum: nam, quod ad Venetum præfectum attinet, non cum hoſte, ſed cum ſocijs exitiali bello manus eſse conſertas: quantum enim abfuiſse, quin eius inconſulta ſeueritate reſp. peſsundata ſit? An, ſi Barbaricus inſaniæ eius ſe non obieciſset remq. conſilio ſuo moderatus eſset, eam victoriam Veneti conſecuti fuiſsent? Satis iam illi contigiſse laudis, ſatis felicem ſemel in eo fuiſse remp.

Iacobus Sorãtius Veneriũ inſectatur.

vltrà experiri atque abuti fortuna, neutri vtile eſſe. Ne congreſſum quidem. ut colloquium eius Auſtrium ferre: qua igitur ſpe bellaturos eo inſenſo iratoque, in cuius manu ſumma imperij ſit? Regiæ ſuperbiæ iuuenem, Hiſpanis conſultoribus circumſeſſum ægre officijs atque arte captari, & ad res è communi vſu gerendas trahi: quid, ſi inſuper Venerij importunitate peruicaciaq. quotidie magis alienetur, fore? Hæc Venetijs priùs inter paucos factionis eiuſdem agitari, mox vulgata in ſingulis circulis diſſerebantur: poſtremò auſus eſt Bernardus Theupulus monere in ſenatu Patres, vt præuerterent Venerium per ſpeciem honoris tanquam ætati eius parcentes Venetias reuocare, antequam, Pio Philippoque poſtulantibus, cum ignominia eius & indignitate reip. facere cogerentur. Id eo indignantiùs accepere Patres, quòd Paulus Bernardi frater, quem illis diebus legatum Romam ad Pium miſerant, vir magna in ciuitate gratia virtuteque, idem quod Sorantius cupere exiſtimabatur; aut certè, ſi Sorantius honore ætatis prælatus ſibi eſſet in præfectura maris, eius ſe locum apud claſſem obtenturum ſperabat. & erant Theupuli rationis ac partis eiuſdem. Itaq. clamare Venerij fautores, inuidia & conſpiratione iniquorum circumueniri clariſſimum virum, vt pro honoribus & præmijs, quæ meritus erat, contumeliam ferret. Et Iacobus Sorianus vnus ſenatorum, Quid, inquit, Bernarde, acerbius in Venerium decreuiſſes, ſi victus amiſſa claſſe malè geſtæ reip. conuinceretur? An, quia impotenti ſuperbiæ vaniſſimi adoleſcentis obuiàm ijt, & ius imperij ſui fortiter & pro dignitate Veneti nominis vindicauit (quod ne Auſtrius quidem ipſe faceret) nos grati ciues pœnam pro gratia irrogemus? Quid vos, ſi gloria viri & partum decus

Soriani pro Venerio oratio.

exurit,

exurit, inuidiæ & dolori veſtro remp. immiſcetis? Per hæc ſenatus totius conuicio vt maligna & nimis aſtutæ obtrectationis exploſa Bernardi oratio eſt. fortaſſe is ex ſtudio factionis ſuæ, aut fratris cupiditati ſubſeruiens illa diſſeruerat, ſed, nequaquam abſurdè ſenſiſſe eum, mox ipſa res oſtendit; haud enim multo pòſt, negante Auſtrio quicquam, ſi Venerius Venetæ claſſi præeſſet, pro concordiæ geſtum iri, & apertè illum imperij ſocium detrectante, cùm regij legati apud Pium aſperum atque odioſum ſenis ingenium criminarentur, & ſententiæ eorum etiam Columna, gratificans in eo Auſtrio, ſuffragaretur; Pius (quem nihil non mouebat quod impedimentum bello ac gerendis rebus afferre poſſet) ne ij publico periculo diſſiderent, ſenatui ſcripſit, Veneriò ſucceſſorem darent. vtrius eorum vitio ea orta diſſenſio eſſet, nimiùm abhorrere ab illo Auſtrium, cui vel parum æqua cupienti indulgere aliquid rei publicæ cauſa, præſentia ſapienter pendentium eſſe: neque vllius magis, quàm ipſorum intereſſe, id adminiſtrari vtiliter bellum: Id fieri, infenſis & diſcordantibus inter ſe ducibus, quì poſſe? Antè igitur prouidendum, ne tam paruis inde ex rebus, quod ſuperiore anno factum ſit, laboraretur. Pupugit ea res grauiter Venetum ſenatum, non Venerij iam ſolum cauſa, ſed etiam ſua: cùm turpe, & maieſtate reip. indignum cenſerent, præfectum claſſis, quod ſummæ poteſtatis magiſtratus eſt apud eos, abdicare ad alterius libidinem atque abducere. Itaque diu & ſententijs inter ſe, & aduerſus Auſtrij ſuperbam poſtulationem cùm pugnaſſent, ad extremum tempori ſimul & Pij auctoritati ceſſere, & Sorantio Theupuloq. præteritis, quorum ambitioni iraſcebantur, ex aduerſa ijs factione Iacobum Foſca-

Pius vt Veneriū amouerent, Venetos monet.

Iacobus Foſcarenus Venerio ſufficitur.

renum

ſcnum ei muneri præfecerunt, acrem virum; ſed neque ijs honoribus functum, ex quibus pro ciuitatis inſtituto ad præfecturam maris eſt aſcenſus. Venerium, ne motus dignitate videretur, manere in Dalmatia ac circum Adriatici ſinus oras curare res cum eodem imperio, iuſſerunt, addito honoris eius cauſa, vt Foſcarenus quoque, ſiquandò vnum in locum conueniſſent, Venerio pareret. Hunc virum ad magnos honores gloriamque ſerò, ſed magno impetu fortuna euexit, nec ſperantem exacta ætate nec diffidentem. quippe iuuenilis in ſene animus, & abſtinens voluptatum etiam corpus labori atque ſpei firmabat. Prima ætas eius expers honorum fuit: cauſas mercede actitauit, diligentia & fide maiori, quàm facundia; quam viam Venetijs e patritio ordine haud ferme ſequitur quiſquam, niſi quos anguſta domi res ſubigit. Parta re, & priuatis omiſſis cauſis magiſtratus vrbanos cepit geſſitque gratia famaque æque magis integra quàm notabili. Militari potiùs animo inter ciues, quàm peritus militiæ vſu aut ſcientia vlla. Concitus atque audax; inimicitias rixasque & ipſe exercuit, & alienis ſe miſcuit: in quibus & accepit vulnera haud indecora, & fecit: neque hanc ferociam ingenij fregerant anni, vix honores atque imperium mitigarunt. Bello Cyprio ardente mitti ſe ingenti periculo in inſulam, cùm recuſare per ætatem poſſet, etiam vltro poſtulauit. Quę res eum ad claſſis præfecturam extulit, Zanio prioris anni imperatore ob rem malè adminiſtratam ad dicendam cauſam Venetias auocato. Parta victoria, tantam apud ſuos gloriam ſtudiaque hominum eſt adeptus (& erat quoque gratioſa familia ortus) vt paucis pòſt annis mortuo Mocenigo, cedentibus eius dignitati omnibus ciuitatis principibus, quod antè acciderat nemini,

Venerij fortuna, & ætas.

nimi,

mini, primo comitiorum die Ducem eum reip. cunctis ſuffragijs crearent. cui magiſtratui regius honos Venetijs habetur, quanquam nulla niſi circumſcripta legibus poteſtas tribuatur.

AT Conſtantinopoli, quanquam initio occulere aduerſæ pugnæ famam, qui mos eſt barbaris ſua impudentibus mendacijs (prout eſt vſus) minuere vel augere rumoribus, conarentur; tamen, cùm diſſimulari res nequiſſet, tumultus & comploratio ſimilis captæ vrbis fuerat. & regiam ipſam (quod antè non meminerant) ea clades attigerat, regis ſorore pro viro cæſo natisque captis lugente. Plures trepidatum dies ab ſolicitis, ne Chriſtianæ claſſes protinus ex ipſa pugna arcem ipſam imperij Conſtantinopolim inuaderent. Itaque miſſi ſtatim à Mahomete, qui Helleſponti fauces oppidaque impoſita faucibus nouis præſidijs firmarent, nequid ignominiæ vlla repentina vi metuque acciperetur: nam populi ea conſternatio fuerat, vt nec auctoritate ſedari, & ægre edictis pœnisque ab effuſa fuga coërceri potuerint. Ac, niſi rex, qui tum Adrianopoli erat ædificationi, quæ magna huius belli cauſa fuerat, intentus, graui excitatus nuncio Byzantium accurriſſet, haud aberat periculo res, ne per mollitiem ac turbam de tradenda Chriſtianis vrbe conſulerent. Tanta enim ignarum atque imbelle vulgus deſperatio inceſſerat, vt ſe Turcæ Chriſtianis incolis, quos alioqui pro deſpectiſſimis habent, commendarent, precioſa rerum ijs ſeruanda traderent, trepidique & abiecti percunctarentur, an Chriſtiani Byzantio potiti Turcas accepto tributo ſuis legibus viuere paſſuri eſſent? Aduentu regis tumultus paulum conquieuit, ſuppliciorum metu magis quàm ſpe. Ita Byzantio, vnde nuper tanta vis belli

Conſtantinopolis trepidatio poſt cladis nũcium.

Vulgi conſternatio & pauor.

in Venetos ingruerat, vt fractos atque ipſis timentes Venetijs ſuperbus atque inſultans hoſtis viderit, vicem reddidit fortuna: eo maiori metu perculſis barbaris, quo belli ſecuriores fuerant. adeo nihil ſtabile certumque eſt in rebus humanis; &, qui in ancipiti eſt bellorum euentus, vbi aduerſus incidit, grauiùs concutit quos certiores ſpes firmabant. Rex Pertaum, vt vnius culpa acceptum incommodum, non virtute ſuperati Turcæ viderentur, ſpoliatum omni dignitate fortunisque, ægre conceſſa vita, Byzantio expulit: Vlucialim, qui cum XXX. ferme nauibus (nec plures ſecutæ eum fuerant) Conſtantinopolim ſe ex fuga cùm recepit, intrans vrbem captiuas aliquot Venetorum naues, quas primo incurſu, vt traditum à nobis eſt, expugnauerat, remulco trahens victoris animum ac ſpeciem ferre eſt viſus, collaudatum atque aurea donatum veſte in Halyj locum nauali rei cum imperio præpoſuit. Hic, expetiuerat Pius, vt per idoneos homines ad proditionem ſolicitaretur, non impunitate ſolùm ſed magnis quoque præmijs, & nobilis vrbis in Neapolitano regno, vnde ortus Vlucialis erat, dominatu propoſitis, ſi operæpretium præſtitiſſet, & ad Chriſtianæ Eccleſiæ fidem rediens hoſtium claſſem, cuius dux atque vnicus imperator futurus erat, Chriſtianis tradidiſſet: deque ea re per Alexandrinum Cardinalem cum Philippo magnopere egerat, in eamque ipſe curam vehementer incubuerat. Verùm & Philippus, cùm Pij animum ſtudiumque tam intentè uigilantis pro communi ſalute laudibus extuliſſet, diligentiam pollicitus rem omiſit: & Pium paulo pòſt mors importuna rei publicæ eripuit.

Pertai exilium.

Cura Pij ad Vlicialim reducendũ ad fidẽ

TVRCÆ, poſtquam collegere ab aduerſa re animum, primò è mediterraneis locis euocato milite tueri præſidijs maritima ſtatuerant, rati, Chriſtianos vacuam maris poſſeſſionem nactos occaſioni non defuturos. Sed, vbi ex ſpeculatorijs nauigijs quæ in omnes partes dimiſerant, & Auſtrium iu Siciliam contentum vnius ſecundi prælij gloria abijſſe, & Venetos haudquaquam pares fortunæ animos gerentes ſemirutis Epiri caſtellis expugnandis, neque ipſum ſatis proſperè, occupari, Veneriumque Corcyræ ſegnia ſtatiua habere, didicerunt; hoſtium inſcitia læti omnem curam reparandæ claſſi intenderunt, verti in eo dignitatem regis gentisque, & ſalutem tot maritimarum circà vrbium, in quas niſi claſſis objceretur omnia impunè conari hoſtis poſſet, ſatis intelligentes: plurimùmque ad animos atque opinionem populorum intereſſe, ſi tantæ viderentur Turcarum opes, vt non reſarcire ſolùm breui tempore acceptum detrimentum; ſed pluribus adaugere copijs poſſent. Et Vlucialis quanto & res ipſa & nouus ſibi à rege tributus honor poſcebat ſtudio diligentiaque rem naualem adminiſtrabat. Naues longas quatuor & viginti, quę cuſtodię cauſa in Cypro relictę erant, pręlio intactas ad ſe Byzantium accerſit: quę poſt pugnam paſſim deſertę fuga fuerant, colligi cum cura iubet, easque & quas pręterea ſecum ipſe adduxerat reſtituit inſtruitque: veteres, quot eſt in naualibus nactus, reficit ornatq.; nouas & ipſe inſtituit, & præfecturis ciuitatibusque, quàm plurimas poſsent, imperat & omnibus locis ędificari iubet. Breuiùs, quàm quiſquam putarat, deductas CC. longas naues lęto tantis ſuis facultatibus regi oſtendit. Sed erant omnes & nouo & raro remige tardę claudęque, & magna nauta-

Turcæ reparandæ claſſi animum adjciunt

rum inopia laborabant. Atque Turcæ ita ſe nouo certamini comparabant.

CHRISTIANORVM principum ne res quidem communibus armis feliciter geſtæ praua æmulatione imbutis animis mederi poterant: quanquam naualis prælij fama per Chriſtianas prouincias delata mirè animos ad belli cupiditatem erexerat, quòd, tanto affecto vulnere atque mari expulſo hoſti ſi inſtaretur, ingentes animo ſpes vulgò homines concipiebant, omnibusque celebrabant ſermonibus. quæ non ex vano videbantur fore, ſi populorum ardorem corrupta ambitione atque inuidia principum ſtudia non fefelliſſent. Inter Venetos Hiſpanosque cùm palàm amicitia ſocietasque eſset, ſecretò acrioribus, quàm cum hoſte, odijs certabatur; irritaueratque iras ipſa victoria. Nam Hiſpani, ſuopte ingenio inflatum genus & glorioſum, deſpicere Venetos, ac ſuo milite, ſua claſse patratum negocium deuictosque hoſtes, iactare, minimumque communicare cum ſocijs laudis. Acerbiſſimè hanc ferre arrogantiam Veneti: & ipſi non contenti, ſuorum memorare egregia facta, ab ijsque & initam priùs pugnam & ad ſpem inclinatam, prædicare, Hiſpanos malignitatis accuſabant, qui, cùm ſubuenire circumuentis ab hoſte aliquot Venetis nauibus poſsent, expugnari eas capique ante oculos, paſſi eſsent: & Auriam ante omnes pæne proditionis inſimulabant, quòd longiùs in altum, quàm res poſceret, extento agmine ſpeciem abituri his qui ſequebantur præbuerit, ſeriùsque inde profligato iam bello atque integer regreſsus perſequi Vlucialim fugientem, cum poſſet & ex diſciplina deberet, noluerit, ſed victas captasque à noſtris hoſtium naues ipſe aut diripuerit, aut abſtulerit inte-

Hiſpanorum, ac Venetorum inteſtina diſſidia.

gras, prædator quàm bellator haud paulo cupidior. Initio hiemis & Veneti Paulum Theupulum Romam miſerant, qui cum Iohanne Sorantio remp. procuraret: & rex ſuis Aloyſium Requeſentium addiderat: quanquam is quidem morari in Vrbe diu non potuit. Cùm enim ei Pontifex, quòd præfectus Mediolanenſium eſſet charusque priuatim Pio, maiorem quàm legato honorem habuiſſet, Ferratius regis Galliæ legatus, homo præcipitis ac præfracti ingenij, adeo acri impetu huic rei ſeſe obiecit, labefactari in eo dignitatem Galliæ, clamitans, cuius legati Hiſpaniæ legatis ſemper honore prælati eſſent, vt Requeſentius veritus, nequa inde flamma inimicitiarum inter ipſos reges alieno tempore accenderetur, Roma diſceſſerit. Veneti igitur regijque legati de ratione belli inſequenti anno gerendi quotidianis contentionibus apud Pium Cardinalesque ab eo huic negocio præpoſitos diſceptabant, nulla de re conuenturi, niſi apud vtrosque interpoſita Pij auctoritas valuiſſet. Poſtularunt Veneti, vt ante omnia rationes impenſarum putarentur: magnam ſe pecuniam, vltrà quàm ex fœdere deberent, inſumpſiſſe; eam, verum eſſe, ſibi à ſocijs reponi acceptamque referri. At Pius expediendo bello intentus, ne, Venetis negociatorum more exiliter cuncta ac minutè ad calculum exigentibus, Hiſpanis callida interpretatione multa interuertere conantibus, diſceptatio de præteritis futura atque inſtantia impediret, vetuit quicquam priùs agi quàm, quibus copijs quàue in parte gerendæ res eſſent, conſtitueretur. Cùm obtemperatum Pontifici eſſet, Venetis placebat, vt omnibus, quantas in fœdere conferri à ſocijs ſcriptum erat, copijs terreſtribus naualibusq. bellum in Græcia gereretur. Erant hæ peditum LM,

Inter regios legatos inuidia.

qua-

quatuor millia & quingenti equites, præter nauales milites,& claſſem CC.longarum nauium,quam onerariç centum cum commeatibus & reliquo apparatu belli ſequerentur. Ex his, ſiue Maximilianus Cæſar, vt Commendono Cardinali pollicitus fuerat, ab Vngaria arma moueret, ſociumq. ſe belli Chriſtianis adiungeret, ei numerum quem petijſſet peditum equitumque tribui: ſiue ille cunctando dicta eluderet, exercitum omnem in Illyricum traijci atque inde per Epirum in Macedoniam atque interiora hoſtium induci. Fractos eneruatosque nauali clade, ſi terra marique vrgerentur, vires ad ſuſtentanda vno tempore duo bella Turcas non eſſe habituros. Ita pelli eos Europa, & in perpetuum Italiam Chriſtianasque tot nationes barbarorum metu liberari poſſe. Regij veteri ſuo inſiſtere conſilio: &, ſuſtineri Turcas, ſatis habentes, atteri & debilitari rem Venetam, præoptabant; bellumque auertere in Africam moliebantur,quò propius Hiſpaniæ fructus victoriæ foret.Id palàm ferre, quia inuidioſum videbatur, cùm non auderent, non probabant ſolùm vt omni ratione Maximilianum, quem nunquam implicaturum ſe eo bello ſciebant, traducere in partes conarentur,ſed fruſtra fore, aiebant, ſine ipſo terreſtre tentare bellum: quin, claſſis quoque ipſius vllum ſatis magnum operæprecium futurum negabant, niſi Maximilianus in cauſàm deſcendiſſet,qui hoſtem ancipiti bello diſtineret, & maximè abſtraheret à mari, cuius vt poſſeſſione concederent Turcæ, tamen, ad quamcunque ſe vrbem oppugnandam noſtra claſſis intuliſſet, magnas extemplo copias è finitimis locis ad ferendam opem concurſuras: ita omnes inanes nec ſine periculo conatus fore. Optimum igitur eſſe, donec Maximilianus adiungitur, onerarijs omiſ-

Hiſpanorum conſilia.

ſis (quod genus auxilij vt inane ac plerumque fallax ſpreuere ſemper nauticæ rei periti) claſſem robore militum expeditam ornare, vt, quò res poſcere viſa fuerit, circumagi ac repentina vi opprimere hoſtem poſſet: eam placere CC. longarum nauium eſſe, quarum ſingulæ centum & quinquaginta milites ferant: ita XXXM. peditum momento in terram eſſe expoſituros, qua copia vel validas vrbes inopinato terrore concuſſas capi atque expugnari, antequam ab hoſte ſubueniatur, poſſe. Sed, quid prius potiſſimumque agendum aggrediendumùe eſſet, non Romæ ab ignaris rerum locorumque decerni, ſed arbitrio permitti ducum oportere, qui, prout res atque tempus poſtulaſſent, facerent ſtatuerent quæ è re publica fideque eorum viderentur. Adiecere ad hæc, vt, honoris cauſa Auſtrij, claſſes in Siciliam conuenirent, vbi etiam copia maior ad alendas tot naues, inſtruendasque neceſſarijs rebus eſſet futura.

APPAREBAT, ducum ſententijs ſubijci ſummam conſiliorum, quia, impelli Columnam quò regis vtilitas oſtenderetur, non diffidebant, poſſe: Siciliamque deligi, vt inde breuiſſimo traiectu totum ab Græcia in Africam transferretur bellum. Reſpuentibus ea Venetis legatis cum haud dubio Cardinalium aſſenſu, apertiùs regij, non adeo indulgendum eſse Venetis, dicere, vt nulla Hiſpaniæ ratio habeatur, quam, cùm vna maximam vim pecuniæ regi ad id bellum contribuat, æquum eſse, eius quoque fructum ſentire. Perinde infeſta prædonum latrocinijs Hiſpaniæ littora nunc eſse, ac ſi nullam rex claſsem, nullum ipſi tributum in claſsem penderent. Nec aliud prædonibus receptaculum, quàm Africam eſse; è qua ſi peſtem illam detraxiſsent, non Hiſpaniam ſolùm eo deuinctam beneficio

Regiorū ad auertendū in Africam bellum oratio.

enixiùs omnia ad id bellum præbituram, ſed ab ipſa quoq; Italia eandem prohibitum iri peſtem, cui haud minùs ferme quàm Hiſpania obnoxia atque expoſita pateat. Nec longi temporis nec magni laboris eam fore expeditionem: quippe Algerium, quod tutiſſimum perfugium piratæ haberent, nudatum nunc omni prçſidio vel ſolo conſpectu atq; fama Chriſtianæ claſſis in poteſtatem venturum: atque eo ſine vlla longiori mora recepto tantum ſuper futurum çſtatis, vt nihilominus tranſiri cum claſſe in Græciam ad res gerendas poſſet, victoria atque fama Africæ ſucceſſu aucta. Se tamen nihil ſtatuere, arbitrium omnium rerum ad duces reijcere, qui tempori rebusque conſilia accommodarent ſua. Tum Paulus Theupulus, nihil attinere, ait, quæ antè expreſſè pacta atque decreta eſſent, ea in diſceptationem vocare. Eſſe in fœdere, vt claſſes ſingulis annis veris initio Corcyram conueniant, bellumque vt in Græcia aduerſus Turcas geratur. Quid opus eſſe nunc de eo permittere ducibus, quod, præterquam quòd ita fieri ex legibus fœderis debet, etiam rei expediat, & conſentaneum rationi ſit? Hoſtem cominus petere & conficere, atque ipſa imperij præcordia fodere cùm poſſint, cur velut è longinquo inania & nihil nocitura, ac ne hærentia quidem corpori iaciant tela? Eſto, expellas Africa piratas, liberes vexatione ac metu Hiſpaniæ atque Italiæ littora: at patere interea, recolligere vires Turcas & ſpatium ad reparandam habere claſſem, cum qua iterum de ſumma belli periclitere: tum non piratarum paucis lembis prædas furtim atque ex occaſione rapientium, ſed iuſtis claſſibus vaſtari Siciliæ atq; Italiæ oras, minorique negocio reſtitui in Africa prædonum manus, quàm inde eiecti fuerint, cernas. Qui toto corpore eſt æger,

Theupuli de bello in Grçcia gerendo pratio.

non ſingulos digitos aut extremas curando partes, ſed veris remedijs fuſam intus vim morbi extinguendo depellendoque ſalutem aſſequatur. Quid ex Africa atque Algerio detractis prædonibus ad ſummam huius belli, quo de Chriſtiani nominis dignitate decernitur, profectum erit? Vbi verus hoſtis & diſcriminis caput atque arx eſſet, eò arma intendenda. Nam, ſi Turcarum in Græcia opes afflixerint, aut afflictas iam vno prælio reſurgere ac valeſcere iterum paſſi non fuerint, Africam ſine vllo certamine in manum venturam, quæ nunc in tam diſpari fructu propè par periculum atque laborem oſtendat, vbi cum viris longè fortiſſimis, & diuturna duratis militia pro vita atque ſpe vltima pugnantibus futurum negocium ſit; vbi non, vt in Græcia, Chriſtiani populi ſæuo dominatui infenſi, cupidi paratique nouandis rebus ſint: ſed omnia fida atque opportuna hoſti, aſpera ac difficilia inuadentibus. Adde, quòd ſi in Maximiliano Cæſare tantum ad omnia momenti ſit quantum ipſimet nuper regij legati differebant, vt ſine eius ope vix vllum huic bello exitum inuenirent; vtrùm tandem ille, in Africam procùl à communi hoſte abduci bellum, an in Græcia atque in viſceribus regni Turcarum geri cupit, quò illi vim à mari repellere coacti diſtrahant vires, non liberi tota mole in ſe vnum ab Vngaria irrumpentem conuerti atque incumbere poſſint? An is timens atque circumſpiciens omnia, cùm, Africam ſpectari, priuatum Hiſpaniæ non publicum omnium agitari bellum ſentiet, ab voluntate ſiquam habet iungendi ſe huic fœderi non longè refugiet? Terra inde marique collatis omnibus, quæ ſcriptæ in fœdere eſſent, viribus ac ſummo conatu premendum hoſtem, antequam ſpatio ſumpto & vires & animos reficeret, cenſuit.

CVM

CVM hæ contentiones LX. ipſos dies tenuiſſent, & neutri ſua ſententia mouerentur, res ad Pium delata eſt, atque ex auctoritate eius ita conuentum: Claſſes ante Cal. Apr. ornatæ inſtructæque Corcyram conueniant, bellumque in Græcia Turcis, vbi maximè ducibus viſum fuerit, faciant. Veneti ad ſex galeatias, quas in prælio habuerant, nouas tres addant; item naues longas quot deducere atque armare poſſent; ſumptus in eas à ſocijs proportione cuiuſque præſtetur. Pius Philippusque haud pauciores quàm ſuperiore anno adducant naues. In claſſem equi ꟾↃ.duo & triginta millia peditum imponantur. Duodecim præterea militum millia ſcribantur; eos præfecti Hydruntum adducant, paratosque traijci, ſiue in ſupplementum claſſis ſiue aliò quò duces cenſuiſſent, habeant. Maiora tormenta triginta, quæ cannones appellant, & mille pro vnoquoque eorum ferrei globi, pulueriſque ſulphurei quantum opus ſit ad ſingula millies explodenda. Sclopetorum viginti millia, XXXM. gladiorum, quindecim lariſſarum, breuiorum haſtarum duo millia, armaturæ quingentæ: & præter hæc magnus ad opera facienda ferramentorum apparatus, atque hæc omnia in naues imponi iuſſa. Et Pius interea non ſolum Maximilianum in ſocietatem ſolicitabat, ſed Ant. Mariam Saluiatum & Paulum Odeſcalcum (vterque erat Epiſcopus) circumire Italiæ Principes iuſſerat adhortarique, vt pro ſuis quiſque facultatibus auxilia ad bellum mitterent, quod pro omnium incolumitate & pro Chriſtiana religione aduerſus barbaros gereretur. Ab omnibus benignè in ſpeciem reſponſum, facturos quod Pius imperaſſet. Et Gulielmus quidem Gonzaga Mantuanorum Dux CC. equites, mille pedites

Belli gerendi ratio auctoritate Pij decreta.

Studia Principũ Italorũ in bellũ.

offerebat:

offerebat: tantundem Octauius Farneſius Dux Parmenſium: Guidobaldus quoque Vrbinatium Dux CC. equites. Lucenſium ciuitas pecuniam pro milite dabat quotannis ſex aureorum nummûm millia. Genuenſes, quatuor triremes, quas publicè habebant, accommodaſſe Philippo atque in eius militare claſſe, reſponderunt. Ceterum Filibertus Dux Sabaudiæ CCCC. equites, duo peditum millia pollicitus adiecit, vt ſtatueret Pius, vtine ijs militibus Turcico bello, an retineri ad cuſtodiam regni ſui mallet, cui imminere Gallos hæreticos ducemque eorum Gaſparem Colignium aiebat, cuius tum terribiles erant opes: ſuſpectumque Filiberto fecerat, quòd illis ipſis diebus Sabaudam nobilem ac prædiuitem matronam & ipſam animo illa opinionum prauitate imbutam, ſpreto ac nihil conſulto Filiberto, matrimonio ſibi iunxerat, intra cuius ditionem illa oppidis aliquot imperitabat. Coſmus Medices VIM. peditum, IↃ. equites pollicebatur cum eo, vt à Maximiliano ſocijsq. fœderis eius Magnus Dux Hetruriæ appellaretur. Alfonſus Dux Ferrarienſium nihil diffinito numero, quantum Pius imperaſſet offerebat. Sed idem ab æmulatione Coſmi, quocum ei magnæ ſimultates & perpetua de dignitate contentio intercedebat, promiſſis eius territus, ne per hæc, cuncta ab ſocijs atque Maximiliano impetraret, in Germaniam ad eum profectus erat. Quæ res adeo alienauit ab Alfonſo Pium timentem, ne Cæſarem à fœderis cónſilijs deterreret, vt non tacitus eam offenſam tulerit, & cum Alfonſo acerrimis verbis nec ſine minis expoſtularit.

MVLTIS auctoritate ac diligentia Pontificis victis atque oppreſſis difficultatibus, rebusque conſtitutis, redierant hominibus ſpes gerendi proſpere in barbaros

belli. & iam Columna omnibus paratis profecturus ab Vrbe erat, cùm noſtris contracta peccatis ira cæleſtis Numinis in nos infeſta erupit, Pio Pont. intra paucos dies bonis ac rei publicæ erepto. Calculi doloribus rentari eſt cœptus, nec ipſo nec medicis morbum intelligentibus. Neque verò ille medicorum arti ſatis vnquam tribuerat, vnam eſſe medicinam, temperare à noxijs, ratus, & victu vti modico ac ſalubri; vt, vno excepto medico cui multo antè aſſueuerat, neminem magnopere adhiberet. Ac ne huic quidem ipſi, quod ad rem digno ſcendam neceſſe erat, pudenda corporis ad inſpiciendum præbere vnquam ſuſtinuit, ab inſita moribus verecundia nimis religioſo pudore deterritus. Igitur medicamenta leniendo tantùm dolori quæſita, latentis morbi neglecta cura: qui vbi ſupra remedia inualuit, aucti cruciatus; & Pius ſenſit inſuperabilem eſſe. Tum, faceſſere omnibus alijs iuſſis, nullum niſi de diuinis rebus ſermonem admittens expiandæ Chriſtianis ſacris animæ, non iam curando corpori, intendere. Sic totus in Deum verſus, fruſtra deterrentibus ſuis, ſeptem Vrbis templa, quæ antè religionis cauſa viſere frequenter conſueuerat, propè vnius diei iter, pedibus obire victis patientia doloribus voluit, in quibus ſingulis Deum Diuosq ad omnes aras piè veneratus domum ſe recepit, magnopere, vt medicorum opinio fuit, motu nimio infirmi & imbecilli corporis exaſperato morbo doloribusque: quibus aliquot dies vehementiſſimè conflictatus, cûm in eorum patientia nihil à ſuperioris vitæ conſtantia diſcrepaſſet, demum Cal. Maij maiori rei publicæ damno, quàm ſuo, è vita migrauit, vir innocentia morum, magnitudine animi, & Chriſtianæ pietatis ſtudijs cum antiquis illis Pontificibus comparandus, quos veræ virtutis & ſancti-

Pius in morbum incidit.

Quę nam optima medicina.

Pij modeſtia, ſanctitas, atque patientia.

Mors, & elogium.

ſanctitatis opinio ad poſteritatis famam commendauit.

Pius familia, & res geſtæ.

BVSCO Alexandrini agri oppido, humili ac tenui fortuna, ſed honeſtis parentibus eſt ortus anno CIↃ IↃ.IV. quanquam genus Bononia ab vetere atque honorata Ghiſileriorum gente duxiſſe eum ferunt. A puero in Dominicanorum familiam eſt traditus, habitusque dura atque inopi diſciplina, in qua ad quinquageſimum ætatis annum permanſit integra fidei & probitatis fama. Munerum ſodalitatis nullo præcipuo eſſe functus fertur, niſi quòd aliquot locis monaſterijs præfuit; quem illi magiſtratum, Priorem vocant: & is ipſe non ſolùm non cupidè petenti, ſed plerumque ob modeſtiam abnuenti eſt delatus. Iohannes Petrus Carafa Cardinalis, qui quæſtionibus de his, qui à Chriſtianis ſacris deſciſcerent, à Pont. Max. præpoſitus erat, cognita fide atque integritate hominis, quærere eum de hæreticis apud Bergomates iuſſit. quippe erat quoque prudentia diuinarum literarum minimè vulgari præditus; quarum etiam, vt mos illis, doctor multos annos in ſocietate extiterat. Atque in eo obeundo munere Cardinalis nauum fidelemque & maximè fortem expertus, & aduerſus omnem gratiam metumque pariter firmum Romam euocauit: atque ibi quoque vtili ac diligenti eius opera iiſdem quæſtionibus vſus, cùm haud magno interiecto tempore mortuis Iulio III. & Marcello II. Pont. Max. Iohannes Petrus ipſe Pontifex creatus eſſet, Pium, cui tum Michaëli erat nomen, Nepeſinorum Epiſcopum fecit, & biennio pòſt Cardinalium comitijs, vel aduerſante Carolo Carafa Cardinale Pontificis fratris filio, in ſummum ordinem cooptauit, quæſtionibusque de hæreticis habendis (quam curationem cum pari imperio crediderat antea ne-

mini) collaudata in ſenatu ampliſſimis verbis fide atque induſtria eius, ſibi ſubſtituit. Eo quoque in munere honoreq. acerrimum ſe vindicem pietatis cùm præſtitiſſet, minimum gratiæ, nihil ambitioni tribuens, multorumque inde obnoxius inuidiæ eſſet, tamen anno CIƆ. IƆ. LXVI. poſtquam in ſenatum peruenerat, VIII. Id. Ian. admirabili Patrum conſenſu Pontifex Max. ab his inprimis adiutus, quibus maximè ſuſpectus eſſe poterat, eſt renunciatus. Qua ipſa in re adeo expertem ipſe omnis ambitionis & cupiditatis animum geſſit, vt, cùm ab creato iam eo concordibus ſuffragijs ſuam ipſius approbationem de more expoſcerent Patres, hæſiſſe atque addubitaſſe dicatur, magisq. aliorum conſenſu quàm ſua ſponte Pontificatum, maximum velut onus (neque ipſe vnquam aliter appellauit) ſubijſſe; prorſus vt videretur eadem moderatione ſuſcipere ſummum honorem, qua non concupierat. Ceterùm haud facile dictu ſit, adeptus ſupremum inter mortales magiſtratum maiori in Deum pietate, an auctoritate inter homines ipſo ſtatim initio apparuerit, homo non nouus modò, ſed humilis quoque & obſcurus, nec propinquitatibus, nec amicitijs, nec opibus ullis fultus. tantum in ſe ipſo vna fretus mentis innocentia præſidij eſt nactus. Prolapſam, iniuria & licentia ſuperiorum temporum, morum & ſacrorum diſciplinam vſque eò intentè corrigendam ac reſtituendam aggreſſus eſt, vt rem vel cœptu difficillimam (cum in quæ alios adigebat ipſe exemplo anteiret, atque ingenti ſeueritate non parentes & praua conſuetudine ſolutos pœnis metuque contineret: & cùm vni religioni ſtudioque virtutis propoſita præmia eſſe vellet) diligentia & conſtantia, veluti deuictis atque fugatis quæ Romanam aulam deformarant vitijs, quantum

Pij integritas.

In ſuſcipiendis honoribus moderatio.

Auctoritas in Pōtificatu.

In reſtituēda diſciplina felicitas.

vix multi eiuſdem animi atque conſilij Pontifices facturi fuiſſe videbantur, perficere breui vnus potuerit; aſſecutus (tanta eius reuerentia ceperat omnes) vt non expectatis legibus homines earum iuſſa præuerterent, ſponte, ſiue in moribus ſiue in vitæ diſciplina quid corruptum videretur, corrigentes. Denique beneficium illius ſit, quòd flagitia dedecori, modeſtia atque religio honori habeantur: ad id enim ventum corruptelarum erat, vt impuritas elegantia, pudor ſimplicitas appellarentur. Facinoroſos & rerum capitalium damnatos, qui municipijs ac ciuitatibus ſuis pulſi tota Romanæ Eccleſiæ ditione paſſim latrocinijs cędibusq. graſſabantur, ipſis iam vrbibus infeſti ac metuendi, adeo inexorabili pœnæ ſeueritate acribusque ſupplicijs coërcuit, vt nihil vſquam tota Italia fuerit pacatius. In ſuos ita non indulgens fuit, vt Michaëlem Bonellum ſororis ſuę filia ortum, educatum habitumque ab ſe in eadem Dominicanorum familia, ægre, & vix totius ſenatus precibus expugnatus Cardinalem creauerit, quamuis ob modeſtiam & ſpectatos mores percharum ſibi, & ingenio atque ætate habilem. A quo ipſo, delatam ab ſe paulo antè procurationem publici ærarij (Romæ Camerarium appellant) ex qua vberrimum vectigal prope XM. aureorum nummûm ad illum perueniebat, reddi ſibi orto bello voluit: tradiditque Aloyſio Cornelio Cardinali, acceptis ab eo ſeptuaginta aureorum millibus: quam pecuniam in ſumptus claſſis ſtatim erogauit, magnamque eius gratiam inijt Bonellus, quòd non ſolùm non grauatè pro re publica, ſed libenti ac ſtudioſo animo & eo magiſtratu ceſſit, & reliquas fortunas ſuas vltro in tam pij belli vſus Pontifici obtulit. Paulum Ghiſilerium gentilem ac propinquum ſuum iuuenem in militiæ ſtudijs haud dubiæ ſpei,

In exulibus puniendis ſeueritas

Temperãtia in ſuis dicandis.

In ijſdem coercendis conſtantia.

men-

mendacij compertum domo atque Vrbe expulit, penſionibus, quas ei in victum honeſtumque inter priuatos cultum tribuerat, ademptis: nec fatigatus ſummorum virorum precibus poſtea in gratiam recepit, aut redire Romam permiſit. Per hæc magna viri veneratio regum quoque animos inceſſit: quanquam ijs memoria noſtra nullus Pontificum Maximorum minus indulſit, aut ius imperij ſui minùs labefactari eſt paſſus, eorumùe cupiditatibus plerumque parum æquis maiori animo obuiàm ijt: illa ſemper aſpernatus conſilia, quæ, ad Pontificum maieſtatem ditionemq. regendam, hominum quoque callidam quandam prudentiam adhiberi oportere, ſuadebant: Pontificem Max. Deo fidentem, & ad Deum cuncta referentem vel inſcium humanarum artium cæleſti adiuuari Numine, dictitans. Hinc fides dictis, hinc auctoritas, & iungendo fœderi gerendiſque rebus tantum in vno pondus. In imperio celeſtis prudentia.

FINIS LIBRI QVARTI.

ANTONII MARIAE GRATIANI
A BVRGO S. SEPVLCHRI.
DE BELLO CYPRIO
LIBER QVINTVS.

PII morbus primò, & deinde exceſſus cuncta ancipiti expectatione ſuſpenderat: paratisque ad profectionem rebus Columnam in Vrbe retinebat. qui enim plura Romanæ Eccleſiæ ſubiuncta oppida obtineret, negabat, deſeri ab ſe comitia, cùm tanti ſua intereſſet quis potiſſimùm Pontifex crearetur, poſſe, donec Patres accitum ad ſe cohortati, vt rei publicæ tam neceſſario tempore ne deeſſet, proficiſci extemplo ad claſſem bellumque iuſſerunt, prompta ex Adriani arce pecunia, quam ei in ſtipendia militum numerarent. nec ipſe ſenatus auctoritatem detrectare auſus, ſe ſuiſque rebus Patrum fidei commendatis, protinus centum cellas ad claſſem eſt profectus. Ibi quoque ei ex nec opinato obiecta mora eſt, quòd Coſmus incertus, quem euentum comitia eſſent habitura, XII. naues longas ab ſe antea mercede locatas Pio, tradere Columnæ differebat.

Quam rem cùm inuidiæ plenam apud ſenatum animaduertiſſet Ferdinandus Medices Cardinalis, Coſmi filius, eius rei culpam à patre in præfectos nauium auertens recepit Patribus, nihil Coſmum ex pactis cum Pio mutaturum: ac præſtitit. Ita Columna conſcenſis nauibus Neapolim, vt inde in Siciliam traijceret, petijt. Cardinales, nouendialibus ſacris Pio de more perſolutis, ad IV. Id. Maij ſepta in Vaticano conclauia comitijs habendis intrarunt, ac poſtera die, Alexandro Farneſio magnis opibus ambiente ſummum honorem repulſo, Vgonem Boncompagnum, adnitente ingenti ſtudio ac circumeunte pro eo ſingulos M. Sitico ab Altaempſia Cardinale, Pontificem Max. crearunt, & mutato nomine Gregorium XIII. appellarunt. Erat is Bononienſis ciuis, loco natus haud ita claro. Patrem habuit frugi adeo hominem atque induſtrium, vt vel ex tenui fortuna copioſos filios reliquerit. & quo anno Carolus V. Bononiæ Imperij diadema atque inſignia à Clemente VII. Pont. Max. accepit, in illa frequentia & conuentu tot nationum magna mercium vi haud parui pretij diuendita cùm ſe egregiè locupletaſſet, ædes Bononiæ inferna via, non pro ſua fortuna aut ſuorum, laxas magnificasque ædificauit. Filios ingenuis artibus inſtituit: quorum Vgo ſolenni ritu factus Iuriſconſultus diu in turba publicè docentium Bononiæ & ipſe ius ciuile docuit. XL. ampliùs natus annos patre amiſſo Romam ſe contulit, & honorum & lucri vberioris actitandis cauſis ſpem ſecutus. Hic publicis quoque muneribus admotus, parta iuſtitiæ atq; fidei fama (fuit enim cùm æqui rectique amans, tum communis iuris obſeruantiſſimus) inde per cunctos ferme gradus vrbanos paulatim ſuccreuit: & quanquam diu in infimis hæſit, tamen medios

Vgo Boncompagnus Pôtifex max. creatur.

Gregorij XIII. Pont genus, & anteacta vita.

breui tranſgreſſes tandem ſeptuagenario maior ad ſummum altiſſimumque peruenit. ad omnia auſteri durique, ſed incorrupti atque integri animi opinione magis quàm gratia vlla prouectus: pro difficili ſeuerus & conſtans, pro parco ſermonis cautus & grauis fere habitus.

COLVMNA, nuntijs in itinere de creato Pontifice acceptis, Romam cum celeriter recurriſſet, gratulatus Gregorio acceptisque ab eo mandatis extemplo ad claſſem redire eſt iuſſus. Auſtrius, per ſpectacula ludosque tranſacta hieme, celebri quàm vtili victoria magis gaudens, expeditionem in Africam parauerat, ab priſtina Hiſpanorúm fiducia peruinci poſſe, ſperans, vt Veneti ac Pontifex haud inuiti paterentur, quando, perbreui tranſigi Africum bellum poſſe, oſtenderetur. Verùm accepto decreto, quod Romæ factum erat vt bellum in Græcia atque in Turcas fieret, Panormo Meſſanam cum tota claſſe tranſijt, ac præmiſſis aliquot Corcyram onerarijs Columnæ moram incuſabat, adeo ſpeciem properantis ferens, vt Leonardo Contareno Venetorum legato, quem ſenatus, niſi poſtquam ſoluiſſent cum claſſibus è Sicilia duces, ab Auſtrio vetuerat diſcedere, perſuaſerit, vt profectionis ſuæ nuntius Venetias rediret: ſe enim, vbi Columna aduenisset qui in ſingulas horas expectaretur, eodem momento vela facturum. Iam Columna pridem aduenerat; Venetique cùm vt Auſtrio honos haberetur, tum vt eſſet qui calcar ei ad proficiſcendum adderet, Iacobum Sorantium cum XXV. nauibus è Corcyra in Siciliam traijcere iuſſerant. Ab his iuuenis aſſiduè ſtimulabatur, neu rei publicæ neu gloriæ ſuæ vltrà deeſse vellet. Ille nunc ſtudium eundi ingens præſeferre, nunc res nondum paratas ad profectionem cauſari. Eo Sorantius

Auſtrij in Sicilia commoratio.

rantius acriùs inſtare . ſed fruſtra : nam ei, vt claſsem in Sicilia contineret , Græciamque & Turcarum bellum ea æſtate omitteret, imperatum à rege fuerat. Quod ille ſecretò Columnæ aperuerat, ac petierat ab eo, vt, quòd regis intereſset, verba Veneto daret . Id Sorantius magno vir eruditus vſu ſenſerat, quanquam moram ex mora nectendo Auſtrius ſpem eius alere conaretur . Fit de eo certior Gregorius nouus Pontifex, à quo appellati Hiſpani literas regis ad ipſum ſcriptas Gregorium proferunt : in quibus erat, magnum in Gallia armorum motum eſse, intimiſque conſilijs à rege Gaſparem Colignium Hugonotorum atque omnium tumultuum in Gallia ducem adhiberi. Hoc auctore ſocietatem inter Gallos Britannoſque iunctam, vt eoſdem hoſtes atque amicos habeant: ſolicitari à Colignio Belgas, Germanoſque ingenti pecunia conciri . Credere, hæc omnia, decepto adoleſcente rege ab homine callidiſſimo & cuncta turbare ſeditionibus cupiente, aduerſus ſe parari. Itaque ſuam ſe claſsem ea æſtate ad cuſtodiam rerum ſuarum habiturum: rogare vehementer Pontificem, vt ſuum factum probet, quando haud minùs ſua quàm totius rei publicæ interſit, compeſci, non creſcere exitiabilis ſectæ opes.

Literæ Philippi Regis ad Gregorium.

Comperta res erat, inſtitiſse hunc Colignium Carolo regi omnique ope connixum, vt eum ad inferendum Philippo bellum impelleret, eaque de re ſæpe verba in conſilio feciſse, tempus, opportunitatem, & minimè dubiam nec magni operis victoriam fore, oſtendendo. Homo enim vafer, ex diſſidio duorum regum, quibus ipſe æquè infenſus infeſtusque erat, ſuam in immenſum aucturum potentiam ſibique inde præbitum iri occupandæ Galliæ facultatem, haud ineptè ſpem ceperat. Sed ſatis conſtabat, nec feſelliſ-

Gaſparis Colignij ſerendis inter Reges belli conſilium.

ſe Carolum, & magis paſsum, diſseri illa apud ſe, eſse eum, ne aſpernari dicta inimici nulla re ſibi tum irritandi videretur, quàm talibus conſilijs ex parte animum vnquam accommodaſse, quæ in perniciem atque in caput ſuum componere ac machinari Colignium, non ad Philippum euertendum, & ipſe & ſui præclarè intelligebant. Et ſunt, qui, agitata hæc conſilia à rege atque Colignio reginæ matris artibus, tradidere, quibus illa Colignij ſpes fouebat vt hominem callidum pari aſtutia in fraudem ac laqueos pelliceret, quando eum à vi ſatis tutum experta erat.

CETERVM his lectis Philippi literis, concidere omnibus animi, fremere homines in regem Hiſpanosque: & Veneti cuncta querelis miſcebant, non iuuare hoc, ſed prodere hoſti rem Chriſtianam eſſe, clamitantes: confictos Gallicos metus, vt, dato Turcis ſpatio, victoriæ naualis fructum Veneti nullum perciperent, qui futurus maximus eſſet, ſi victis inſtitiſſent. Idem teſtabantur Galli qui Romæ erant: & Carolus Lotharingius Cardinalis, & Feratius regis legatus hinc calumniam Hiſpanorum acerrimis confutare dictis, hinc, eos egregios artifices occulendæ in aliena culpa fraudis, qua Venetos circumuenire ſtuderent, dicere. Fuere qui, non metum à Gallis, ſed tentationem eam patientiæ Pontificis fuiſſe, crederent, auſuro maiora Philippo, ſi his non ſuccenſuiſſet. Gregorius, ſeu veræ ſuſpiciones illæ, ſiue cogitatis ſuis ab Hiſpanis obtenderentur, nequid ea res regum animos exulceraret, duos Epiſcopos ad eos miſit, Ant. Mariam Saluiatum, & Nicolaum Ormanetum. Atque Saluiatus quidem, nullum turbandæ rei publicæ veſtigium deprehenſum ab ſe, renunciauit, apud Gallos eſſe, deridente rege proceribusque cauſam

Ant. Maria Saluiatus in Galliam, & Nicolaus Ormanetus in Hiſpaniam miſſi.

ab Hiſpanis deſerendi ſocios tam callidè ſcilicet excogitatam. Ceterùm ferebat iniquè Gregorius, initio Pontificatus ſui falli apertè fœderis leges. Et cùm aliquot antè annis Pius IV. Pont. Max. Regi, vt ad quadringenta & quinquaginta nummûm aureorum millia à ſacerdotibus Hiſpaniæ quotannis exigeret, conceſſiſſet, cum eo, vt LX. longas naues ex illa pecunia aleret, quæ aduerſus Turcas militarent, eas naues Gregorius tradi ſibi ex pacto poſtulauit. Regij, nihil de eo ſibi mandatum, cùm reſpondiſſent, Gregorius Auſtrium appellauit. is XX. triremes ſe daturum ait, ſi ſibi legatus regis & Granuellanus Cardinalis auctores eſſent. qui conſilio inter ſe habito ſtatuunt, nec omnem claſſem, ne victoriam darent, eſſe mittendam, nec nullam, ne neceſſitatem deponendi belli Venetis facerent. Traduntur tandem, aſſentientibus his, duæ & viginti triremes M. Ant. Columnæ, qui ſtatim cum Veneta Pontificiaque claſſe ab Sicilia velis in altum datis Corcyram tranſmiſit, vt ibi ſe reliquæ Venetorum claſſi coniungeret. Erat in ſumma inuidia apud omnes non Italiæ modò, ſed reliquarum quoque gentium populos Philippi Hiſpanorumque nomen, quòd nullo fidei pudore contra fœderum pacta non tam Venetos, quàm publicam Chriſtianæ reip. cauſam tempore tam iniquo deſeruiſſe viderentur. Id cùm Auſtrij multorumque præterea literis vndique ad regem perferretur, qui ſuopte ingenio ab honeſtis conſilijs, & ſtudio Chriſtianæ pietatis minimè abhorrebat, mutato repentè conſilio Auſtrio imperauit, vt bello cum tota claſſe intereſſet, gereretque, vt è ſua fide & è re fratris eſſe intelligeret. His acceptis mandatis Auſtrius extemplo literas dat ad Columnam: quarum exemplum, quia in manus incidit noſtras, & de eo ambigi

ſæpe audiuimus, huc totidem pæne verbis transferre eſt viſum. Iohannes Auſtrius M. Ant. Columnæ. Recepta in Belgis Valentiana hoſtibusque inde expulſis, quanquam Montes in Hannonia adhuc illi tenent, plurimumque negocij in illis locis ſuperſit, rex tamen, quò nullam in partem pactis fœderum defuiſse vnquam videri poſſit, remque publicam rebus ſuis potiorem ſibi eſse, omnibus conſtet, nuncio ad me miſso mihi mandauit, vt omiſſis alijs cum tota claſſe in Græciam tranſeam, tecumque & cum Venetis quàm acerrimum Turcis bellum faciam. Hinc igitur Corcyram cogitabam ante triduum, lætus hoc imperio regis, de quo viſum eſt mihi te ſtatim facere certiorem, vt ex eo, tibi quæ agenda ſint, ſtatuas. Mihi placebat, vulgari inter Græcos meum claſſisque aduentum, quo illi confirmati in fide maneant: interea nihil à vobis maioris rei abſente me incipi. Tantùm date operam, vt populatione inſularum hoſtem cohibeatis: ad reliqua me claſſemque expectate, vt coniuncti maiori mole ſimul bello incumbamus. Aluaro Bazano ſcripſi, vbicunque eum meæ literæ inuenerint, vt inde cum omnibus nauibus, quas ſecum habet, Corcyram traijciat, vt, vbi ego aduenero, nihil moræ nobis ſit ad res gerendas. Te oro, vt milites diſciplina contineas, maximéque Italos atque Hiſpanos à rixis prohibeas: nihil enim me moleſtum æquè haberet, ac diſſidia inter ſe nationum. Ego, niſi me Meſſanæ nauium expectatio teneat, quas vnà omnes mecum velim tranſmittere, ſummam in diſceſſu celeritatem adhibebo. Hæc cum Venetis communia habeto, quibus, ne hos vltrà morer tabellarios, nihil ſcripſi. Tu ijs hoc nouum piumque regis conſilium gratulabere meis verbis.

Exemplar literarum Auſtrij ad Columnam

CE-

CEPHALENIAM ab Corcyra petentibus hæ literæ redduntur: quibus lectis in conſilium ad Columnam conueniunt omnes. Veneti non tam acceſſione magna virium ex aduentu Auſtrij gaudere, quàm nouam fruſtrationem timentes vehementer tendere, vt cœptum non intermitteretur iter: ſe enim neceſſitate rerum ſuarum coactos, denunciant, ſolos, ſi ſocij deſerant, eſſe ituros. Cùm & Auſtrius confirmari in fide Græcos, & Venetis finibus vim hoſtium prohiberi iuſſiſſet, quorum neutrum præſtari poterat ſi Corcyram regrederentur, Columna quoque & Gildus Andrada regiarum nauium præfectus Venetorum ſententiæ aſſenſi ſunt. Aditis Cephalenia Zacynthoque, & confirmatis ſociorum animis Turcicæ claſſis metu trepidis, pergunt protinus nauigare Peloponneſum, montanoſque Græcos antea ſolicitatos ac tum metu quieſcentes in nouam ſpem per idoneos nuncios erigunt. Inde ad Cytheram inſulam (Cerigum hodie appellant) perueniunt. Huc appulſis obuiàm facti Leonius & Sorianus Veneti nauarchi, cum ſingulis triremibus antè ad explorandum præmiſſi, nunciauere, hoſtes ſtatiua haud longè inde ſub Maluagiæ vrbis mœnibus (hanc Epidaurum Laconicę terræ oppidum veteribus fuiſſe tradunt) habere: ſupra CC. longas naues ac multa minora nauigia, maiorem quàm quantum fama antè acceperant numerum, ducere, ſed nequaquam pares vlla re Chriſtianis nauibus: nec credi, Turcas in æquum ſe commiſſuros. In noſtra claſſe erant centum & quadraginta longæ naues, galeatiæ Venetorum ſex, naues onerariæ magnæ vna & viginti, quibus non commeatus modò reliquæ claſſis vehebatur, ſed erant ipſæ omni bellico apparatu inſtructæ. Decreuerunt ergo duces, vt ſequenti die ad hoſtem

Turcicæ claſſis & noſtræ numerus, ac robur.

iretur,

iretur, atque ei poteſtas pugnandi fieret. Verùm conſilium mutauit Columna veritus, ne, ſi Turcæ ſuo ſe loco tenerent, haud tutus inde receptus noſtris onerarijs foret: genus enim anceps id eſt auxilij naualibus bellis; quod, ſicut apto innixum vento inſuperabile habetur, ita, ſi, quibus inferri circumagique poſſit, ventis deſtituatur, inutile fuerit. neque verò propinquo ac imminente hoſte retrahi remulco facilè poſſe videbantur: & noſtris numero triremium longè inferioribus ſine harum præſidio nauium, quæ veluti arces à lateribus aciem tegerent, abſtinere prꝫlio ſtatutum erat. Id vt fieri poſset, tranſeunt ſequenti die in aliud inſulꝫ latus, quod Orientem aſpicit, atq; ad Dragonaras (id ſcopulis eſt nomen contra Maleꝫ promontorium ſitis) prouocabundi aciem inſtruunt, onerarijs ita ſiniſtrum claudentibus cornu, vt à freto, ſi ventus ſuppeteret, vrgerent atque circumuenirent prodeuntem è Maleꝫ promontorio hoſtem, dextero cornu galeatijs firmato. Turcarum claſſis longarum quidem numero nauium longè noſtram anteibat, ceterùm raro remigio ac nautarum inopia, quos nauale abſumpſerat prꝫlium, plerꝫque earum tardꝫ inhabileſque, ac ne milite quidem validꝫ ſatis habebantur. Ea igitur ſumma conſiliorum erat Vluciali, fiduciam virium ſpeciemque oſtentare magis hoſti, quàm experiri: temere ſe pugnæ non offerre, oblatam arte atque conſilio declinare: famam exiſtimationemque tueri, occaſionem nec hoſti præbere, nec ſuæ deeſſe. Id ſatis ad retinendam maris poſſeſſionem, ducendumque bellum rebatur: ex eo victoriam vltro obuenturam. Poſteaquam, ſtare ad Dragonaras Chriſtianam claſſem paratam prꝫlio, audiuit, ne ipſe quidem cunctatus, ne metu ceſſare putaretur, naues educit: egreſſusq.

Vluciali prudētia bellica.

Maleæ

Maleæ promontori o dextrorſum longo agmine terram legens pronehebatur intentus, nec detrectantis certamen, nec prouocantis ſpeciem ferens, vt & fidere viribus ſuis, & non ſpernere hoſtem videretur. Fortè & ventus verterat in Auſtrum, quantus impellere onerarias poſſe videretur: quę conſpicatæ agmen Turcarum in Occidentem iter extendentium, abire eos arbitratæ protinus ſeſe obiecturæ hoſti expanſis velis inuehi cœperant, pugnæq. initium haud dubia cum clade hoſtium feciſſent, niſi medio in impetu deſtitutæ vento immotæ reſtitiſſent. Vlucialis vbi animaduertit, nudatum alterum noſtrorum cornu, illò roſtra atque aciem conuerterat. Sed Columna miſſis properè triremibus retraxerat puppibus iam, locoque idoneo locauerat onerarias. Stetere diu pene ad iactum maioris bombardæ aduerſæ acies, neutris prælium incipientibus. nam neque Chriſtiani ab onerarijs atque galeatijs diſcedere, ne circumuenirentur multitudine hoſtilium nauium, volebant, & gnarus eorum conſilij hoſtis ob id audaciùs ſeſe pugnæ paratum oſtendebat. Sub noctem Turcæ, exploſis vno tempore omnibus tormentis, fumo eorum tecti abiere: Chriſtiani in mari manſere. ac ſequenti die claſſis aquandi cauſa ad Cythera appulit nulla diſciplina. nam plerǽque naues ab neglectu ducum, quà cuique viſum fuit, longè ab alijs non per inſulam modò, ſed etiam continentem diuerſæ petierant: nec reuocantium imperio paruere. Eam contumaciam Deus periculo non clade caſtigauit. Ignaris, quò ſe potiſſimùm Turcæ recepiſſent, repentè, aduentare eos, trepidus attulit nuncius, nec octo inde milliaria abeſſe. Tumultus primò conſcendentium fuit, deinde terror, vt in re ſubita nec opinata, inceſſit animos. Columna, miſſis ex-

templo qui diſperſas palatasque ad claſsem cogerent naues, dato prælij ſigno, ipſe celeriter cum LX. triremibus quas circa ſe habuit in altum euehitur, atque ſingulas inde vt quæque veniebat excipiens inſtruxit aciem. Quæ longiùs abierant naues, nec nuncijs nec ſigno fidem habentes, fingique ea ad colligendum diſperſas opinatæ, ægre ſeròque aduenere. Idque pręfectis earum impune fuit, Columna Gildoque, quia in his nobiles aliquot Hiſpani fuerant, animaduertere in eos non auſis, etſi confeſſione omnium ingentem cladem accepturi fuerint, ſi eò Vlucialim fortuna auertiſſet; quanquam haud parua clades, neglecta ſolutaq. militiæ diſciplina peritis belli videbatur. Sed ille procùl inde prætervectus Occidentem verſus vela faciens à noſtris trepidis adhuc, & ab ingenti metu vix animis receptis, eſt conſpectus, creditusque in Venetæ ditionis inſulas ferri, illatæ vltro finibus noſtris populationis, nihil remorante Chriſtianorum claſſe, gloriam petens. Noſtris haud dubium fuit, quin ad prohibendam eam ignominiam hoſtem ſequerentur. id quia tam impedito agmine ægre facturi videbantur, ſtatuit Columna, vt, minuto longarum nauium numero, atque ex ijs quæ infirmiores viderentur detracto remigio militeque, atque eo ſuppletis affatim inſtructisque alijs nauibus, illæ cum onerarijs & galeatijs in Cretam haud longo inde traiectu mitterentur: atque ipſi claſſe expedita ac ſupplemento firmata tranſgreſſi hoſtem Zacynthum peterent, ibi aut inuenturi Auſtrium aut commodè expectaturi: atque inde auctos illius claſſe ductuque, ſiue perſequi Vlucialim, ſiue aliquam tentare in Peloponneſo vrbem magis placeret, iuſtas ad omnem conatum vires eſſe habituros. Idem Hiſpanus præfectus cenſuit. At Veneti inter ſe collo-

Columnæ conſiliū.

euti adeo id conſilium non probarunt, vt ſummis precibus quando quæ pro ſententia diſſeruerat Foſcarenus parum valuerant, ab Columna contenderint, ne in eo decreto, quod & exequi iam cœperat, perſeueraret. eoque impetrato, haud diſſimulata gratia ampliſſimis verbis de eo Columnam in conſilio ducum Sorantius collaudauit. Cauſæ, cur tantopere tetenderint, id Veneti ferebant, quòd claſſem galeatijs onerarijsque detractis neque prælio neque fugę ſatis aptam, ſi ſe hoſtis in itinere obieciſſet, eſſent habituri. Sed illa magis mouebat cura, ne, Auſtrio Hiſpaniſque qui cum eo erant cupientibus, locus tergiuerſandi fruſtrandique rurſus eius anni ſpes præberetur.

Coromiſſum Columnæ conſiliũ.

NOCTE inſequenti de ſecunda vigilia profecti manè orto ſole hoſtium claſſem proſpexere. Vlucialis, haud aliter quàm ſi conſilio noſtrorum intereſſet, ita cognita omnia explorataque admirabili ſolertia ſtudioque habebat. Vniuerſa dimicatione, ab conſcientia virium, abſtinendum ſibi ſtatuerat: ceterùm variè noſtros captare, modò à fronte modò à tergo illis apparere, nuſquam longè ab hoſte diſcedere, omni occaſioni, ſiquam ſibi aut imperitia aut diſcordia ducum, aut ducibus parum obſequentes minores præfecti, aut mare ipſum ventique ac fors daret, intentus imminere. Ad Tænarum promontorium, quod Metapanum vocant, ſubſtiterat: Chriſtianiſque non auſis tam graui agmine iter medio mari capeſſere, quàm tutum eſſet, longè à terra venientibus, ſe aduerſum oſtendit. Noſtri ex ſuperiori inſtituto, locatis ante vtrumque cornu onerarijs, galeatijs quę primam excepturæ pugnam erant præcedentibus, aciem direxere. Vluciali quoque ſuus in componenda acie ſeruatus ordo. Inter hæc ab vtriſque oneraria

Vlucialis mira ſagacitas.

magna nauis ab alto tendens è longinquo conſpicitur. Ea Venetijs profecta ſignati argenti auriq. magnum pondus in ſtipendia militum claſſisque, commeatum prætereà, ac tormentarij pulueris vim ferens Cretam petebat. Turcarum conſpicata claſſem, Chriſtianos credens, ad eos intenderat curſum. & Turcæ aliquot longas naues ad inuadendum onerariam mittere parabant: ſed noſtri haud dubij, Venetam nauem eam eſſe atque errore ferri in hoſtes, anteuerterant, Quirinumque cum delectis è tota claſſe quinque maximè expeditis celeribusque triremibus ad eam periculo erroreque eripiendam miſerant: qui, ablata omni publica pecunia, receptisque in triremes duobus nobilibus adoleſcentibus Germanico & Mario Sauornianis, qui vt intereſſent bello eam nauem conſcenderant, nauique ipſa abire in Cretam iuſſa, incolumis ſe ad claſſem recepit, Vluciali rem omittente, nequa ſibi neceſſitas pugnandi ex eo oriretur. Claſſes paulatim interea appropinquabant. Turcæ extenderant latè cornua: quod & à noſtris neceſsariò fieri eſt cœptum, vt æquarent ordinem nauium, ne hoſtis aut à latere, aut à tergo inuaderet. Cùm Chriſtiani priſtino innixi conſilio nihil ab onerarijs abſcederent, quæ in læuo Turcarum cornu erant naues, ſua celeritate fretæ noſtrarumque pigro inceſſu, per ſummum contemptum propiùs, quàm conſultum erat, dexterum Chriſtianorum cornu ſubiere. Effuſa confeſtim in eas ingens ab onerarijs galeatijsque ferreorum globorum procella adeo turbauit temere prouectas, vt metu perterritæ terga dare & in haud dubiam conijci fugam cœperint. Sorantius in dextero cornu curabat. is trepidatione fugaque hoſtium atque

Oneraria Venetijs adueniens erepta periculo.

ex

ex eo animis elatus, ſigno ſequendi alijs dato, ſuam ipſe quantum poteſt remis concitat nauim. Sequitur impigrè Angelus Sorianus, mixtusque hoſtium agmini Turcicam adeptus nauem magna ſpe oppugnabat. Nec dubia ab illa parte victoria futura fuit, ſi vno impetu ab noſtrorum dextero cornu in fugientes perturbatosque incubuiſſent. Sorantium quinque admodum naues ſequutæ ſunt; reliquæ nec minis nec exemplo motæ, loco ſe atq; ordine ſuo continuere. In illo hoſtium tumultu Columna ardore militum victoriæ clamorem ante pugnam cientium accenſus mediam promouit aciem;ac vniuerſa claſſis impulſis remis inferre ſe, immemor præſidij, quod maximum ſibi in onerarijs atque galeatijs ponebant, cœpit. Et Foſcarenus prouectus paulum ante alios magna voce, vt omnes audirent, Columnam monuit, ne dubitaret prælium committere: turbatam hoſtium aciem, occaſionem Deumque pro Chriſtianis ſtare. Columna, ſicut ad primum aſpectum tumultuantium Turcarum raptus & ipſe impetu animi impigrè ſe, relictis onerarijs, intulerat; ita eo deinde reſidente impetu haudquaquam pari audacia in vltimi diſcriminis aleam deſcendere videbatur. Sed anceps conſilij modò remorum impulſu prouehi, modò ſuſtinere, interdum etiam inhibere: hinc ſpe hinc metu agitari: horrere aduerſum pugnæ euentum, nec minùs timere proſperum: quippe Auſtrij ductu ſuperiori anno partam victoriam fuiſse, ſe tamen, quia particeps illius fuerit, quia redeunti domum honor ſibi à Pontifice habitus ſit, propè eius rei inuidia apud regem, criminantibus Hiſpanis, deflagraſse. quòd ſi ſuo imperio, aduerſus Auſtrij literas vetantis quid rerum ſe abſente geri, collatis cum hoſte ſignis conflixiſset, parem

Angeli Soriani virtus.

Columna cur prælio abſtinuerit.

profectò ſecundæ aduerſæque rei ſuam inuidiam fore: nec vllum eſſe nunc Pium, cuius auctoritate gratiaque tegeretur. Hæc Columnæ animum verſabat cura, hæc prælio coëgit abſtinere. Palàm, callidi hoſtis vereri inſidias, ferebat, ab eoque ſimulari fugam, ſi Chriſtianos elicere atque abducere longiùs ab onerarijs poſſet. Iam Sorantius iratus inſenſusque ſuis, à quibus turpiter deſertum ſe querebatur, receperat ſe in aciem, quòd Turcæ collectis animis in eum verterant ora. Nam Vlucialis turbato ſiniſtro ſuæ claſſis cornu, Chriſtianisque ſe inuehentibus nihil territus, & fugam reſpicientibus ſuis vltima ſupplicia, niſi proris in hoſtem verſis ſtetiſſent, comminatus, miniſterio ducum tumultum ſedarat, ac tandem cunctatione noſtrorum ordines aciemque reſtituerat: ipſe, cùm in ea trepidatione retrò ſibi cedendum, ne ſuo tempore Chriſtianus pugnam conſereret, ſtatuiſſet, ne quam timoris ſpeciem aut ſuis aut hoſti præberet, verſam ſemper in hoſtem prætoriam ab tergo retrahi remulco ſenſim iubebat: magnamque in eo prouidi ac fortis ducis eſt laudem aſſecutus. Noſtris procùl onerariæ erant: nec Canalis, qui ſiniſtrum cornu ductabat in quo debiles pleræque naues erant, æquare curſum reliquæ claſſis potuerat, trahendoque puppibus onerarias ægre iter explicabat, ſolutique eo metu in reliquis quoque aciebus ordines erant; & hoſtes compoſiti ordinatique cernebantur. Vertit igitur momento in Chriſtianos pauor: ex ſumma alacritate defixerant ſilentio animos, & haud dubia inſtare clades videbatur: multæ naues locum metu deſerebant, ſeque ſubducere ad ſubſidia cœperant, quòd in fronte periculo magis expoſitę patebant; eaque re tota extenuabatur acies. Huic incommodo vt mederetur Columna, actuario exceptus

Vlucialis bellica virtus.

Ex magna ſpe ingẽs pauor in noſtris ortus.

ſingu-

ſingulas à tergo adiens naues quà oratione hortatuque, quà imperio cogebat redire in ſuum quamque locum, nullam timendi cauſam eſſe, diſſerens: eoſdem eſſe hoſtes, de quibus ſuperiore anno nobiliſſimam victoriam reportaſſent, quorum ſupra XXXM. cecidiſſent, parem propè cepiſſent numerum: ac tum egregios in claſſe duces, integras vires, feroces tot ſecundis rebus animos barbarorum fuiſſe; nunc prædonem ducem, viliſſimum tyranni mancipium, tumultuariam claſſem cum tirone milite extimeſcerent? Starent modò aduerſi ſuoſque ſeruarent ordines, aut abiturum hoſtem, aut pugnam nouum decus, nouam gloriam Chriſtianis, ſi viri fuerint, allaturam. His Columna ſuorum pauentia pectora ad ſpem virtutemque reuocare contendebat. Sed Vluciali nec ipſi ſatis animi ad inuadendum Chriſtianos territos diſſipatoſque & ab onerarijs abſtractos fuit. Dum cunctatur ſuamq. victoriam, non vinci, putat, Canalis ſuperuenit onerariæque: & acies & animi reſtituti ſunt noſtris. Ita neuter dux ea die ſuà occaſione eſt vſus. Vbi ſatis diu minabundi ſtetiſſent ſub ictum propè bombardæ, inclinata in veſperum die, primi hoſtes vnde egreſſi manè fuerant Metapanum ſe recepere: Chriſtiani quoque Cythera, alij alios accuſantes, rediere. Sorantius ante omnes queſtus, præfectos nauium in dextero cornu ſibi dicto audientes non fuiſſe, eaque contumacia exploratam ab illa parte de hoſtibus victoriam ſibi è manibus ereptam eſſe, poſtulauit, vt in eius flagitij reos animaduerteretur. Foſcarenus petente Sorantio de Venetis quæſtionem decreuit. ſed ea quoque per ambitionem omiſſa res eſt, maiori ducum flagitio quam militum, qui, non vindicandis delictis, peccandi licentiam impunitate faciebant. militaris certè diſciplina, ſine

Columnæ oratio ad pauidos.

Vtriuſque Ducis animus à pugna alienus.

Militaris diſciplinæ negligẽtia ingens malum.

qua adminiſtrari proſperè bellicæ res non poſſunt, retineri poſtea eo bello nunquam potuit.

CHRISTIANI ab Cytheris nacti idoneam tempeſtatem ſecundo curſu Zacynthum cum tota claſſe tranſmiſere, contendente Columna, vt Auſtrio occurreretur, receptoque imperatore, maiore inde virium mole in hoſtem redirent. Zacynthi Aluarum Bazanum inuenere præmiſſum ab Auſtrio, qui iuberet, Zacynthum adduci claſſem atque ibi aduentum ſuum expectari. Læti igitur, præuertiſſe ſe imperatoris voluntatem, ipſumque mox adfuturum ſperantes redire confeſtim ad eum Bazanum iuſſere, rogareque atque obteſtari, vt maturaret ad claſſem venire. Diſceſſerat ab claſse miſsu Columnæ aliquot antè diebus Petrus Pardus Hiſpanus, iuſsus, vbi & quanta eſset hoſtium claſſis, quæque ad eam diem acta apud noſtros eſsent, imperatorem edocere. Is proxima ab inſula plurium horarum continentem bombardarum fragorem, quem congreſsæ claſses variè exploſis tormentis ediderant, exaudierat, coniecturaque ex noſtrorum paucitate, deprauatoque militiæ more, atque hoſtium viribus quas multo validiores rebatur, facta, commiſsam pugnam profligatosque Chriſtianos, adeo ſibi perſuaſerat, vt rem Bazano primùm, deinde etiam Auſtrio pro certa affirmarit. Auſtrius eo nuncio Corcyræ accepto minuere nauium ſuarum numerum, claſseque expedita proficiſci ad Chriſtianorum naues diſperſas, vt rebatur, è prælio colligendas parabat. Profecturo certiores ſuperuenere nuncij, claſsem ad Zacynthum iam eſse, vanumque Pardum quæ incomperta habebat pro veris nunciaſse. Mutato itaque conſilio Columnæ ſcribit, vt ſibi Cephaleniæ præſtò eſset: ſe armatis reſtitutisque quas exuerat

Falſus rumor de noſtræ claſſis exitio.

rat nauibus Corcyra ſubitò diſceſſurum. Quò maior ei honos haberetur, placuit cum tota claſſe Cephaleniam ire haud dubia ſpe, ipſum iam eò applicuiſſe. Ibi, à conſpectu inſulæ reiectum eum aduerſis ventis Corcyram repetijſſe, cognouere. Et ab ipſis habita temere haud ſatis certo nuncio fides propè, vt exitiabilis rei error admitteretur, fecit. Profecti Zacyntho ibi onerarias ſine vllo triremium præſidio, vt longè inde abſente hoſte, relinquerant. Allatum repentè eſt, Turcicam claſſem haud procul inſula viſam eſſe, ſignumque eius rei Zacynthienſes fumo ex arce dediſſe. Haud ſimile verovidebatur, vbi reliqua Chriſtiana claſſis eſſet, obſeruantem ex proximo nauigantemque illac Vlucialim fugiturum. deploratæ igitur onerariæ ſunt: cùmque ſubueniri eis nulla ratione poſſet, ne illa integra præda hoſtis potiretur, mittunt celeriter qui incendi ſubitò omnes onerarias iubeat. Saluti eis fuit, quòd imperio non eſt obtemperatum. Mox detectus error, nullusque in propinquo hoſtis contumaciam in gratiam vertit.

AVSTRIVS regreſſus Corcyram, totam eò adduci claſſem ducesque venire ad ſe, imperauit, ibi commodiſſimè conſilium de bello capturos, dicens. Non Veneti modò indignabantur, ab Cytheris tantum viæ Zacynthum reductos, inde Cephaleniam, nunc Corcyram quoq. euocari, feſſiſque ac enectis remigibus, quibus ferè trahendæ remulco onerariæ fuerint, ſemperque nouis interponendis moris gerendarum rerum tempus conſumi; ſed ne Columna quidem dolorem continebat, in cuius contumeliam fieri id ab Auſtrio ferebatur, iratumque ac infenſum iuuenem eſſe ſibi, certior à ſuis fiebat, querique, primis ſuis literis, expectari ſe Corcyræ, iubentibus eum imperij honore ina-

Columna Auſtrius iratum ſibi credit.

niter

niter delectatum non paruiſſe: Venetorumque reip. quàm Philippi ſtudioſiorem toto illo bello fuiſſe. His irritatus Columna, cùm apud eum Veneti ſtomachantes tam ſuperbum adoleſcentis imperium execrarentur, &, cuius ne præſentis quidem plus valeret ſententia, quàm reliquorum duorum ducum, eum abſentem quoque, tanquam vni parendum eſſet, abducere à bello, & quò libido ferret euocare duces claſſemque audere, indignarentur, monuiſſe ſecretò eos dicitur, vt rebus ſuis alia via conſulerent, nec ſibi in Hiſpanis præſidij aut ſpei quicquam ponerent, quibus non victore, ſed attrito confectoque Turcicis armis Veneto opus eſſet. Etſi ægre illam deuorare indignitatem poterant, tempori tamen parere eſt viſum. Aduenientem claſſem in honorem eius veluti prælio instructam, & ex nautico more exploſis omnium nauium tormentis ſalutantem imperatorem, per ſuperbiam accepit, nulla obuiàm itione, nullo è nauibus ſuis lætitiæ, nullo, quod aſſolet, honoris reddito ſigno. Duces tamen in ſuam tranſgreſſos nauim comiter accepit, quanquam alienatum à Columna animum adeo non diſſimulauit, vt priuato colloquio purgare ſe cupientem diu ſit aſpernatus: arcano trium ducum conſilio, admiſſo Sorantio, Pompeium Columnam antè adhiberi ſolitum in M. Antonij contumeliam prohibuerit. palàm tamen ſua Columnæ dignitas atque honor manſit. At ne ipſe quidem Columna ſatis temperabat linguæ, non auertens modò abs ſe quod ſibi crimini dari ab Auſtrio ſciebat, ſed pleraque in ipſum retorquens: poſtremò abire inde in Italiam & abeſſe bello tentauit. id verò Auſtrius in ſuam verſutum inuidiam ratus vetuit. manereque & priſtinum amicitiæ locum apud ſe habere iuſſit. Contentio inde orta inter

Ducũ variæ ſimultates.

ter Venetos atque Auſtrium eſt, cùm ille ſupplere militibus ſuis Venetas naues diceret velle, Veneti, ſupplemento indigere ſuam claſſem, aut in eam alienum militem accepturos ſe, negarent, experti, ſeminarium illud altercationum atque rixarum eſſe: contrà Auſtrio ſtare ſententia, niſi bellatorum numerus in eorum nauibus augeretur, vlteriùs ad hoſtem non procedere. Hunc quoque nodum Columna explicuit: traditis in Venetam claſſem militibus ſuis, ipſe nouos ab Auſtrio accepit ac ſuis nauibus impoſuit.

ORANTIBVS inde Venetis, ne affecta belli cladibus inſula, ac ne paucos quidem dies præbendis commeatibus tot in vnum coactis claſſibus ſuffectura penitus ex hauriretur, conſilio habito Non. Sept. Corcyra diſceſſere. Tardiùs, quàm Veneti vellent, nauigantes octauo die Cephaleniam tenuere, inde Zacynthum petentes audiunt ab exploratoribus, Turcicam claſſem ad Nauarinum eſſe, ad propulſandam quàm ad inferendam vim paratiorem. Ea eſt Peloponneſi vrbs in ſinu maris ſita, portu maximè opportuna. Nauarinum petere, in conſilio duces decernunt aut dimicaturi cum hoſte, ſi in æquum ſe dederit, aut in ipſo portu claſſem oppugnaturi, cuius eam eſſe naturam periti locorum referebant, vt ab arce imminente faucibus portus haud magnopere noceri intrantibus ab alto nauibus poſſe videretur. Luſtrata claſſe onerarijsque Zacynthi relictis, ad Strophades paruas inſulas, quæ medio in itinere Nauarinum Zacyntho petentibus occurrunt, appulere, noctemq. ibi expectarunt, ne aduentum eorum hoſtis ſentiret. Conſilium erat, traijcere inde aliam in inſulam, cui Sapientiæ nomen eſt inditum, haud longiùs tribus milliaribus à Methone ſitam, atque ex eo loco hoſtem, ne ſe Methonem

tutum munitumque in portum reciperet, intercludere. Id ſapienter cogitatum, ſi par cura in exequendo adhibita fuiſſet, magnam partem Turcicæ claſſis (ad LXX. enim naues fuiſſe dicuntur quæ in eo portu ſubſtiterant) ſine certamine in manus noſtris dediſſet. Sed & tardius ab ijs iter eſt factum, & deſtinatum antea locum non tenuere: multaque luce Prothenum XM. paſſuum ab Nauarino diſtantem inſulam deferuntur. Ita Turcis, qui multo antè Chriſtianam claſsem conſpexerant, ſpatium fuit Methonem tutò tranſeundi. Eius rei culpam in gubernatorem prætoriæ Auſtrij nauis conferebant, qui timuiſse ſe aciebat tam celeri curſu noctu ad hoſtile littus appellere, atque ideo demiſſis velis nauem ſuſtinuiſse. Sed ſiue gubernatoris error hic fuerit, ſiue infenſum Chriſtianis Numen, egregia, quod omnes fatentur, delendi hoſtis occaſio elapſa è manibus eſt.

Optima occaſio noſtris è manibus elapſa.

Cùm à Protheno Turcicæ naues velis remiſque abeuntes cernerentur, admonuit Columna Auſtrium, poſse, ſi cum parte claſſis aliquis mitteretur, carpi poſtremum agmen, aliquaſque hoſtium intercipi naues: ſuamque in id operam eſt profeſsus. Re probata traditis ſex & viginti nauibus, ipſe in eam expeditionem ire Columna eſt iuſsus. Partem iam viæ progreſsum magna ſpe hoſtem aſſequendi Auſtrius è medio curſu reuocauit, atque ea omiſſa re redire confeſtim ad claſsem iuſſit. Cauſam mutati repentè conſilij ferebat, quòd hoſtium claſſis verti in Chriſtianos videretur: ſi congrediendum eſset, coniunctas ſimul omnes vires haberi oportere. Plerique inſtinctu inimicorum Columnæ, nequa laus ex re proſperè geſta ad eum rediret, factum, crediderunt. Euehitur inde Columna ad explorandum hoſtium motus, vno ſocio aſſumpto M. Quirino cum ſua quin-

queremi,

quèremi,adeptiq. duas Turcicas naues, quæ tardiùs agmen ſequebantur, oppugnare eas inſiſtunt. Subſidio his ſex alias naues Turcæ miſere: Auſtrius item decem è ſuis nauibus auxilio Columnę miſit.quod conſpicatus Vlucialis,ne in oculis ſuis ignominia acciperetur, magna parte claſſis eò conuerſa coëgit noſtros, antequam Auſtrius ſubueniret,omittere pugnam,tum quoque bene gerendæ rei, vt pleriſque videbatur,occaſione amiſſa. Si enim ipſe in tempore Auſtrius ad ferendam ſuis opem ſeſe intuliſſet, deprehenſos in alto hoſtes aut deſerere turpiter immiſſas antea naues, aut fortunam prælij ſubire, minimè ad id animis rebusque præparatis, adigi poſſe non dubitabatur. Ita noſtrorum tarditate factum eſt, vt naues omnes Methonem illi incolumes reciperent. Auſtrius interea regreſſo Columna aciem direxerat, prouectusq. ante fauces portus æquam hoſti pugnæ poteſtatem fecit. Cùm diu expectans atque exprobrans metum ſtetiſſet, præcipiti iam die abire ſeruatis ordinibus cœpit. Tum demum Vlucialis, ne detrectatum ab ſe certamen argui poſſet, claſſem educit; atque ſub vrbis mœnibus conſtitit. Auſtrius conuerſis iterum nauibus in hoſtem redijt, ſigniſque canere iuſſis prouocat ad prælium barbaros. Vlucialis ab oppido non diſcedebat, loco quàm viribus magis fidens: noſtri, ne ſub ictu è mœnibus iaculantium eſſent, ſubire non audebant. Multis vtrinque tormento excuſſis telis, ſole occidente hoſtis in portum naues reduxit: Chriſtiani iactis in alto anchoris manſere. Poſtera die eòdem eſt reditum, inſtructaque ante portum acie, cùm nemo hoſtium prodiret, veluti expreſſa tandem confeſſione conceſſi maris, fractaque arrogantia barbaris, haud longè Corona aquatum inde conceſſere. Vlucialis

Noſtri prouocāt Turcas: illi pugnā detrectant.

terreſtri itinere ad noſtros aquatione prohibendos quatuor armatorum millia miſit. In hos prementes primò iniquitate loci noſtros aquatores immittitur ab Auſtrio cum egregia iuuenum manu Paulus Sfortia, qui impetu in hoſtes dato CC.eorum interfectis reliquos in turpem fugam præcipites egit. Biduo inſequenti eadem ratione & Chriſtiani prouocantes hoſti ſe obtulere, & Vlucialis extenſis propter oppidum nauibus ſuo ſe loco tenuit.

In ipſo portu hoſtem aggrediẽdi noſtrorũ cõſilium.

CVM intra portum recipientibus claſſem Turcis noſtri quoque retrò ad Sapientiam conceſſiſſent, monentibus peritis, quid vitij locus vbi ſe continebat hoſtis haberet, Auſtrius ipſe cum Foſcareno alijsq. Ducibus transgreſſus in Columnæ nauim exploratum Methonis ſitum portusque, ad oppidum nulla comite alia naui ſucceſſit. Omnibus ſatis luſtratis regreſſi ſtatuunt, hoſtium claſſem ſinu quoque incluſam tentare. Ab Zacyntho onerarias accerſunt, quas pro muro aduerſus miſſa è mœnibus tela obijcerent: exarmatisque duabus longis nauibus, tabulis ſuperſtratis turrim inædificari, multaque humo repleri iubent, queis latera ſubeuntium noſtrarum nauium tegerentur, ſatis credentes, barbaros territos metu, & tantùm fuga latebrisque ſe defendentes, vim acriter inferentes Chriſtianos non eſſe laturos, ſed ad primum impetum noſtrorum trepidantes, in tam prompto effugio ſe deſertis nauibus, quod ſuperiori anno feciſsent, in terram eiecturos. Quæ non vana illis ſpes futura fuit, ſi, ſalubriter cogitata æquè impigrè qui exequerentur, extitiſsent. Dum onerariæ adducuntur inſtitutumque opus perficitur, Nauarinum Auſtrius tranſijt aut oppidum ipſum per occaſionem oppugnaturus, quanquam in eo nullum eſse operæ pretium

Veneti dicerent, aut commodè vberique ex fluuio aquam in naues petiturus. Idipſum prohibituri hoſtes cum magna manu equitum peditumque opportunos ad fluuium aditus inſederant. Noſtri tormentis è nauibus petitos iniecta trepidatione ſummouere priùs, deinde expoſitis in terram eodem Sfortia duce VM. militum in fugam auertere barbaros, aquationeque potiti ſunt: Nauarinum fruſtra tentatum. Ei negocio Auſtrius Alexandrum Farneſium Parmenſium principem præfecerat, traditis ſex militum millibus, atq; aliquot maioribus tormentis ad muros aperiendos expoſitis. Sed tantæ ſubitò copiæ Turcarum ad opem ferendam ex omnibus locis concurrère, vt, trepidè ſe recipientibus noſtris ad naues, tantùm muralia tormenta non amiſsa ſint. Claſſis quoq; Turcicæ in Methonis portu oppugnandę conſilium, quanquam & onerariæ aderant & effecta opera erant, Auſtrio rem omittente, ac nihil iam tendentibus Venetis ancipiti periculo deterritis, ſua ſponte effluxerat. Diſputatum & de ipſa vrbe Methone oppugnanda: ſed ne huic quidem conſilio exitus inuentus. Apparebat, omnes in irritum conatus abituros, cùm neque Hiſpani inſtante autumno diu in Græcia manſuri viderentur, neque Turcæ ſui copiam facturi.

Nauarinū fruſtra tentatur.

IAM propè Idus Octob. erant, cùm Auſtrius, inſtantibus Hiſpanis, vt ſe iam in Siciliam reciperet, ac, ſatis datum ſocijs, dicentibus, nunciari Venetis iubet, ſe conſumptis omnibus commeatibus, quorum vix in iter copia ſupereſſet, ſtatuiſſe in Italiam redire: anno inſequenti maturiùs maiorique rerum omnium apparatu bellum eſſe aggreſſurum: tum ſatis profectum ad opinionem hominum eſſe, quòd hoſtes cedere mari, portuque incluſos iu-

Auſtrius in Siciliā cogitat.

ſtam propè pati obſidionem compuliſſent. Id verò Venetis longè grauiſſimum, quanquam haud planè inopinatum accidit: ſcilicet totam expectatum æſtatem, ex fertiliſſima Europæ inſula profectum vix quindecim dierum cibaria ſecum attuliſſe. orant omnibus precibus Auſtrium, ne ſeſe in tanta ac tam propinqua ſpe delendæ Turcicæ claſſis, marisque imperij Chriſtiano nomini ſtabiliendi, deſerere, ac nulla digna re geſta abire à ſocijs communique bello vellet. demonſtrant, breui hoſtem aut ingruentibus auſtris, queis maximè infeſtus expoſitusque ſit ſinus quo ſe abdiderant, colliſa inter ſe confractaque claſse periturum, aut fame ipſa impellente, conſumptis ab tot naualibus ac terreſtribus copijs, quæ in ea loca confluxerant, omnibus circà frumentis, imparem decernere armis, non dubia Chriſtianorum victoria, coactum iri, aut fuga conantem elabi adeptos ipſos ſine vulnere eſse deleturos. Commeatum & ipſos præbituros, & multas ſcire Siculas naues in itinere eſſe expectarique in dies neceſsarijs rebus onuſtas; multas item ſibi Venetijs aduenturas: ſuſtineret modò paulum moram, ingens decus domum parta victoria relaturum, æternoque beneficio ſibi Venetum nomen deuincturum.

Veneti Auſtrium retinere conãtur.

His ita cum Auſtrio actis, apud primores exercitus vehementer Veneti queruntur, victoriam è manibus mitti, ſtudioque prodi rem Chriſtianam, ne Venetorum ciuitas proſperis belli ſucceſſibus ab acceptis incommodis erigatur: debellari ſedendo expectandoque, nullo aut à mari aut ab hoſte periculo, cùm poſſit, per fictam conſumpti commeatus cauſam abſcedi ab hoſte, quem incluſum ac propè captum teneant, nec audentem congredi, nec in ijs locis diu manſurum, vbi nihil prouiſi ad tantam claſsem euocatosque vndique è

Conqueſtiones Venetorũ apud Exercitus primores

medi-

mediterraneis præſidijs milites alendos eſſet. Hæc apud Auſtrium in id modò valuere, ne è veſtigio abiret: cupiebat enim lenire commotos animos Venetorum eosque in ſocietate retinere. Biduum ob id immoratus, tertia die aſſumpto Columna in Foſcareni nauem tranſcendit, omniq. humanitatis officio demulſum, ipſo quoque in gratiam Auſtrij adiuuante & contendente Columna, neceſſitati iam parendum eſſe cernentem perpulit, vt diſceſſum approbaret ſuum, pollicitus, ſi ſibi è Sicilia commeatus occurriſſent, Venetis ſe eo autumno, ſiquid in Adriatici maris ora aggredi vellent, auxilio futurum. Nec mora ſoluendi fuit: ſecundaque nauigatione Gomenizas è regione Corcyræ portum tenuere. Hic Auſtrio obuiàm fuere Sueſſanorum princeps & Io. Andreas Auria, qui cum XIV. longis nauibus ad eum iter habebant. His auctoribus immorandum ſibi in ijs locis nihil ſtatuit, veritus, ne contendente Pontifice hyemare cum tota claſſe in Græcia iuberetur: id enim clàm moliri Venetos apud Gregorium, haud aliter vllum belli fore emolumentum docentes, illi ſenſerant. & egerat ea de re cum Philippo Antonius Theupulus, quem Veneti ad eum poſt victoriam miſerant, nihil ad res vtiliter gerendas tanto impedimento fuiſſe, oſtendens, quàm ſeram & nunquam tempeſtiuam claſſium coniunctionem. Sed id conſilium conſtanter reſpuerat rex, claſſem, qua ſalus tot regnorum ſuorum contineretur, per hyemem mille expoſitam caſibus tam procùl à rebus ſuis habiturum, negans. Auſtrius igitur, ad res in ſinu Adriatico gerendas, ne fallere promiſſum videretur, quatuor Hiſpanorum millibus Veneto oblatis, ipſe in Siciliam iter intendit. Eam Veneti copiam non accepere, ne plus inde ſibi odiorum conten-

Auſtrius ſoluit à Græcia.

Claſſem hyemare in Græcia cur Veneti cupiebant.

tionumque, quàm opis, in Hiſpano milite eſset. Statuerat Auſtrius è Sicilia protinus in Hiſpaniam ad Philippum nauigare; ſed Veneti, quo longiùs abeſset, eo ſeriùs rediturum inſequenti anno ad bellum rati, Gregorium orarunt, vt eum in Italia retineret. & Auſtrius quidem in Pontificis auctoritate fuit, qui, ea de re Claudium Gonzagam magnæ nobilitatis atque induſtriæ iuuenem ad eum miſerat. Columna, Pontifice Venetiſque libentibus, ad Philippum eſt profectus communibus cum mandatis incitandi ad bellum regem: cui conſilio multi amicorum Philippi aduerſabantur, tædio alij diuturni longinquique belli: alij Auſtrij opes tractandis armis æquo plus creſcere nolebant. Philippus inuidioſum ratus, obſiſtere bello quod ex Pontificis Max. auctoritate pro dignitate Chriſtiani nominis gereretur, liberaliter Columnæ reſpondit. Ita ad diſceptandum de his, quæ inſequenti anno agenda eſſent, Romam eſt reditum.

Columna in Hiſpaniam proficiſcitur

VLVCIALIS, qui adeo res ſuas deplorauerat, vt ad ſummam neceſſariarum rerum inopiam redactus conſeruandæ claſſis rationem ac viam nullam inueniret, cui parem cladem atque exitium & manſio & fuga & pugna oſtendebant, qui de ſeſe clàm cum paucis ab imminente aut ab hoſte aut à rege pernicie in Africam proripiendo conſilium agitabat, repentè præter omnem ſpem ſuam Chriſtianorum diſceſſu liberum nactus mare, lætus atque ouans Byzántium redierat. Et, quem ad Methonem obſeſſum euocati abusquè Macedonia ad præſidium eius oræ Turcæ probris minisque inſectati fuerant, quòd ijs ſe locis includi paſſus eſſet, regiasque naues in extremum ac non euitabile diſcrimen adduxiſſet, atque adeo aſperè acerbèq.

increpitum terruerant, vt de deſerenda claſſe turpique conſciſcenda fuga cogitarit; ei mox vecordia noſtra non in ſalutem modo, ſed in tantam gloriam vertit, vt, euentu rei facilè accuſantium atq; obtrectantium voces refellente, & hilari à rege vultu ſit acceptus & magnificè collaudatus, quòd defenſa Turcici nominis maieſtate claſſem inualidam viribus, & ab ſuperiori clade trepidam animi egregiè conſeruaſſet, neque temere ſe periculo obijciens, & nuſquam dimittens hoſtem, nulla geſta re abire Græcia ingloriam coëgiſſet. Id magnæ victoriæ inſtar barbari prædicabant; adeo enim perculerat animos aduerſa ad Echinadas naualis pugna, vt, cùm victores Chriſtianos ſuſtineri iam à ſuis poſſe non ſperarent, non acceptam ignominiam, pro gloria ducerent, & non victi pro victoribus ſe haberent. Quæ res ab ſucceſſu ſuperioris victoriæ accenſis expectatione Chriſtianorum animis eo acerbior accidit, quòd paucis antè diebus Romam magna celeritate miles quidam ab claſſe redierat nuncians, depugnatum nauali prælio ad Nauarinum eſſe; victoreſque Chriſtianos toto potitos mari omnia tumultu in Peloponneſo miſcuiſſe, erectis in ſpem nouarum rerum omnibus Græciæ populis. Huic nuncio, qui, ſe pugnæ interfuiſſe, aſseueratione ingenti prædicabat, cupide creditum; famaq. rei in omnes Chriſtianas prouincias dilata acceptaque, vt fœdior ille exitus rerum videretur, fecit: paulo enim pòſt nec ille vſquam inuentus eſt, qui ea commentus atque ementitus erat vt nummorum aliquid à Pontifice auferret, & Auſtrium in Siciliam redijſſe eſt nunciatum.

Falſus rumor diſſeminatus Romæ.

AT Veneti, qui conceptas antè animo de Hiſpanis ſocijs ſuſpiciones & reliqua belli incommoda, quæ

magna publicè priuatimq. patiebantur, illius maximè anni ſpe ſuſtentarant, quo, victo ſemel hoſte deiectoque fiducia maritimarum virium, magnas in Græcia res geſturam Chriſtianam claſſem, penitus perſuaſum animis habebant, vbi nihil actum ſibi tanto impendio conatuque, ac nullum victoriæ emolumentum eſſe ſenſere, mœſti diffidentesque inter infenſum & in perniciem eorum incumbentem barbarum regem, atque infideles & haud dubiè vrbibus, quas in continente reſp. poſſideret, inhiantes Hiſpanos ancipiti cura torquebantur. Et ſeniores, qui inde ab initio aduerſati bello fœderique fuerant, nihil vltrà ſpei in armis ponendum eſſe, talibus ſocijs, diſſerebant: cui enim dubium iam eſſe, Hiſpanos non ſolùm vincere aut retundere vim opesque validiſſimi hoſtis nolle, ſed ipſam Venetis inuidere victoriam, quam, ijs inuitis & retrectantibus, Deus dediſſet Chriſtianis? quippe eos non ſponte ſua, ſed impulſu cæleſtis Numinis in pugnandi neceſſitatem imprudentes tum eſſe delapſos; nunc id agere, nequem fructum ex ea victoria Veneti capiant. Hinc illæ de ſingulis rebus contentiones, hinc dilati in extremam æſtatem claſſis & belli apparatus, hinc ab certis negandi auxilia falſæ oblatæ ſpes, quibus ducti ne ſuo quidem marte Veneti vaſtanti maritima inſularum hoſti ſe opponerent: hinc denique, cùm diu per varias artes fruſtrati ſocios locum iam vltrà tergiuerſandi non haberent, primùm Gallicos metus commentos eſſe, deinde, per ſimulationem gerendi pariter res, nulla ſatis iuſta cauſa Corcyram vſque ab vltima propè Græcia euocaſſe claſſes, plusque inde in itinere temporis quàm in bello triuiſſe: poſtremò vix paucos dies per inanem prælij oſtentationem moratos, imparem defugien-

Venetorum de pace cogitantium ſermones.

temque

temque pugnam hoſtem, cùm opprimi ſola perſeuerantia poſſet, intactum dimiſiſſe: oppreſſam Cyprum, direptas vexatasque omnes inſulas, amiſſa in Epiro oppida, in Dalmatia vix agri, quantum telis à muris tueri poſſent, relictum, atque hæc omnia fraude perfidiaque Hiſpanorum accepta incommoda eſſe, qui ſingulorum annorum conatus apparatusque belli per varias artes eluſerint. Ecquando enim fœderis leges adimpleſſe, ecquando claſſem in tempore edùxiſſe? Multas in Hiſpania naues ocioſas habuiſſe, ſuas Venetos naues commodare ijs coactos eſſe. Quin ea ipſa æſtate Auriam cum XIV. longis nauibus in Sicilia relictum vix redeunti domum Auſtrio occurriſſe. Atque vnus primorum, Ecquid ſentitis, inquit, noſtram claſſem, noſtros duces, imperium Venetæ reip. Hiſpanorum arbitrij poteſtatisque totum fieri, Auſtriumque paulatim ſibi cuncta vnum arrogare? Nunc Columna multis modis Philippo obnoxius metu reſpectuque ſuarum rerum trahitur in ſententiam, nunc Venetus præfectus, vt aliquid dare dignitati regij iuuenis videatur, de ſuo iure decedit, nunc alia ipſa pugnando aduerſandoque peruincit. Ita vnus omnia poteſt, & tanquam ſolutus legibus fœderis omnia agit, omnia audet. Iam ne conſultis quidem collegis imperia edit, edicta proponit, publica munera quibus vult tribuit, &, qui Venerium vindicantem trium hominum pœna præfecturæ ſuæ maieſtatem non tulerit, ipſe, ne appellatis quidem ſocijs ducibus, in quos libitum fuerit, in aliena etiam claſſe pro imperio animaduertit. Hunc fructum habemus ablati clariſſimo viro in illius gratiam honoris, vt eius territi exemplo omnes vni aut aſſentiantur, aut certè aduerſari voluntati eius non audeant. Duces claſſesque deprecantes, ne fruſtra

Alterius oratio, atq; ſententia.

tempus

tempus eundo redeundoque inaniter conſumeretur, ad ſe Corcyram venire iuſſit: aduenientibus nihil honoris ex nautico more tribuit, vt vnum in locum coacta tot hominum millia ex omnibus orbis terrarum populis, illum vnum agnoſci, vnum obſeruari, ad vnum omnia referri, vni obtemperari, exiſtimarent.

Decemuirum de ſumma reip. conſultatio.

ATQVE hæc in ſeniorum cœtibus concilijsque cum execratione infauſtæ ſocietatis agitata conuertere ad conſultationem de ſumma reip. decemuirùm animos (cui magiſtratui legibus Venetorum omne pacis bellique arbitrium eſt permiſſum) arcanoque conſilio inter ſe habito, primò, Pium aduerſo tempore ſublatum, queruntur, cuius auctoritatem ac vim ingentis animi Hiſpani reuerebantur: Gregorio nouo Pontifici nequaquam tantum roboris eſſe, vt eo niti poſſe reſp. videretur. Sua deinde vulnera recenſent: exhauſtam ciuitatem ſumptibus belli, quos tolerare diutius non poſſit: feſſos tributis conferendis continentis populos, querelisq. eorum quotidie obſtrepi Patrum auribus: &, quò hæc grauiora ſint, ſublatis rerum commercijs portoria, vectigalia, publicam priuatamque rem anguſtiorem tenuioremque in dies fieri: tantum his tribus annis remigum eſſe abſumptùm, vt deſerti multis locis agri aratorum inopia non colantur: in Dalmatia obſideri propè ſingulas vrbes hoſtium excurſionibus, incluſosque tot populos in ſingulos propè dies viuere ſubuectis ab vrbe commeatibus: in eadem annonæ difficultate omnes inſulas vaſtatas direptasque verſari, atque ægre, nec niſi in ſingulos modios magnis ſolutis portorijs, ex fœderatorum terris frumenta in hos vſus aſportari: ad id, quod vrbana multitudo, tot præterea claſſes copiæque quotidie abſumerent. His tot ma-

lis, quibus propè circumuenta reſp. ſit, remedia exquiri magis quotidianis conſultationibus, quàm inueniri. Vt enim omnes difficultates conſtantia animi ac virtute ſuperarent, pecuniæ, quantum res poſcat, rem frumentariam, ceteros belli apparatus expedirent, ecquem inde fructum, ecquam ſpem oſtendi, ſi Hiſpani nunc tempus in autumnum extrahant, nunc puerilibus commentis metum à Gallis prætendant, nunc hoſtem per varias cauſas omittant? Nimirum parcere eos Turcis, Venetos nouo genere inſidiarum circumuenire, ac ducendo bello eneruare atque euertere, propoſitum habere. An ſponte eorum factum eſſe, quòd ſemel res fortunæ commiſſa proſperè geſta ſit? An, vt reliqua prætermittantur, obliuiſci poſſent, quod tum ſenatui legatus reip. ex Hiſpania arcanis notis perſcripſit? in conſilio amicorum regis quod primum, poſt victoriæ nuntium, habuere, adeo incuſatum Auſtrium, quòd contrà quàm præceptum ei à rege fuerat prælio decertaſſet, regiamque claſſem in caſum tam dubij euentus dediſſet, vt eorum vnus ferens laudibus veterem illum Manlium, qui filium victorem, quia aduerſus edictum patris imperatoris cum hoſte pugnaſſet, ſecuri percuti iuſſit; reuocandam exempli illius ſeueritatem, dicere ſit auſus. Ne illud quidem ignorare aut ad ſe non pertinere exiſtimandum, Auriam, quòd minimè diſſimulanter aduerſarium ſe omnibus Venetorum conſilijs præſtiterit, in ſummo honore gratiaque haberi, Columnam, quia aliquid Venetis pro ſua fide indulſiſset, in nullo precio apud eos eſse? Sed quid ſingula interpretando argumentandoq. quaſi de re dubia fatigamur, inquit Nicolaus Pontius vnus decemuirûm: & quid hæc noſtra tam frequens accuſatio alienæ fidei aliud, quàm ſimplicitatis & ſtultitiæ noſtræ confeſſio-

Venetorũ legati ad ſuos ex Hiſpania literæ.

Nicolai Pontij oratio.

feſſionem habet, qui toties falſi deceptiq. fallendos iterum ludificandosq. ijſdem nos præbuimus, & nunc maximè præbemus? Sed quid tandem eſt, quamobrem eis tantopere ſuccenſeamus? An, quia illi rem ſuam præclarè norunt ſapienterque rationibus ſuis conſulunt, ac noſtram inſcitiam ad ſuam vtilitatem vertunt, illis iraſcimur? Dimicationem & periculum in neutram partem vtilè ſibi eſſe, Hiſpani exiſtimant: & qui Venetos haud aliter quàm præualidos affectantibus res Italiæ aduerſarios reputant, eos diuturno atteri bello, non victoria augeri cupiunt. Nam, ſiue Turcæ vincantur, confirmari ac fulciri noſtras opes, Philippo nihil acquiri: ſiue victoribus barbaris Chriſtiani profligentur, magnam partem cladis Hiſpanos ipſos fore. Hæc illi intelligentes, ſi nunc hoc nunc illo obtentu rem trahunt, alunt bellum non gerunt; nos inani ſpe ludunt, ipſi ſuas interea ſpes ſtruunt ac muniunt, reprehendendi vobis videntur an imitandi? Hanc à nobis perfidiam vocari facilè patiuntur, dum ipſi ſibi fideles & ſapientes ſint. Nam religio, pietas, fides, ſtudium Chriſtiani nominis, hæc quidem pulchra dictu vocabula, ſed haudquaquam perinde ac res ſunt æſtimantur ab occupatis cupidine dominandi animis. Certamen cum Turcis non eſſe noſtrarum virium, non ſemel experti ſumus: ſociorum auxilijs fidere quàm inane ſit, nunc quoque experimur. & Turcarum eas facultates eſſe videmus, vt tanta accepta clade, omni propè exuti claſſe, recenti adhuc vulnere, non auſi modò ſint occurrere Chriſtianis, ſed, quia victi iterum non ſint, haud ineptè ſe pro victoribus gerentes cum lætitia & gratulatione Byzantium redierint. Quid inſequenti anno futurum putemus, dato ſpatio vires animosque reparandi? Nos interea exinanimur &

con-

conterimur ex Hiſpanorum voto, opportunique eorum cupiditati inuadendi regnum Italiæ efficimur. Verùm id aut non ſentimus, aut per ſocordiam & vanitatem ab vtilibus ad ſpecioſa & inania flecti, & ab callidis & inſidioſis hominibus imponi nobis atque illudi diutius patimur? Quouſque tandem ſaluti noſtræ indormiemus? An tot acceptis incommodis, tot aduerſis imminuti rebus, tot malis propè circumuenti non expergiſcimur? Vim Turcarum, ſi tempore, ſi arte aggrediamur, declinare atq; auertere, quàm Hiſpanorum alijs ſuper alijs fraudibus explicari atque elabi, facilius fuerit. His habitis ſermonibus, de totius collegij ſententia ſtatuunt ſpem pacis tentare, quando victoriæ ipſius, nedum dubij belli, nullus prouentus oſtenderetur: &, ne res pluribus credita efferri poſſet, ne ſenatum quidem participem conſilij habent. M. Antonio Barbaro, qui Byzantij, vt dictum initio eſt, aſſeruabatur, rem permittunt: Mahometis tentare animum, ac, ſi tolerabiles conditiones impetret, exitum rei imponere iubent. ipſi interim cum ſenatu de bello conſultant.

M. Ant. Barbarū de pace agere Decemuiri iubent.

IN Dalmatia vrbium quidem mœnia Veneti præſidijs tutabantur: agro hoſtis potiebatur, clauſoſque inopia vrgebat. Turrim ad oſtium Salonæ fluminis Turcæ inuaſerant: tradentibusque quos Aſtor Vicecomes in eius loci cuſtodia locauerat, recepere: paruam inde arcem, ſed magnæ opportunitatis, Saxum, ab ſcopulo cui eſt impoſita nomen habentem, pari cuſtodum timore perfidiaque occuparunt: inde Spalatum maximè premebant. Quorum culpa ea amiſſa ſunt loca, in eos animaduerſum ſeuerè eſt à Venetis: auctores altero pede, proditorum ſupplicio, ſuſpenderunt, reliqui vincti catenis ad remos in naues dati.

Turri potiuntur Turcæ.

Itē arce magnę opportunitatis.

Supplicia auctorū.

Ceterùm, quod morte in ſuis vindicarant, ad id Turcam vltro pollicentem operam ſpe præmijsque ſolicitabant. Is religionis ſtudium præferens, initiari abluique Chriſtiano ritu velle profeſſus, de tradenda Cliſſa cum Venetis in colloquium venerat. nec abfuit barbari dicto fides. Ea eſt vrbs longè munitiſſima regionis eius, frequens cultoribus validaque; qua ſi Venetus eſſet potitus, circumiecta quoque loca in poteſtate videbatur habiturus. Illam Turcæ multis antè annis de Vngaris ceperant; diligentique cuſtodia habebant. tum peſtilentia vaſtabatur: eoque metu dilabentibus qui in præſidio erant, opportuna proditori fuit. Agendæ rei negocium Hectori Trono eſt datum: qui cum mille quingentis peditibus diei medio ad oppidum cùm acceſſiſſet, per apertam, vt conuenerat, à Turca portam ingreſſus, paucis trucidatis qui ad primum tumultum armati ſe obtulerunt, vrbem cepit. Nec parum ad ſummam rei in illa parte belli profectum erat, ſi data fortuna vti Tronus ſciuiſſet. ſed ille tanquam ad rapinam faciendam, non ad redigendam in poteſtatem vrbem miſſus eſſet, direptam exhauſtamque atque ingenti ablata præda deſeruit, cauſatus, non tantum ſe militum adduxiſſe, vt, ſi hoſtes ad recipiendam vrbem, quod facturos apparebat, cum magnis copijs concurriſſent, defendi ab ſe mœnia eo præſidio poſſe ſperaret. Ægre id paſſi Veneti Tronum Venetias euocatum in vincula coniecere: quanquam haud ita multo pòſt iram ſuperante ambitione, quod ferè fit in patritij generis reis, eſt dimiſſus. Turcæ, recuperata Cliſſa irriſaque ſtultitia Venetorum, gentis mercaturæ foroque atque ambitioni, non armis belliſque gerendis aptæ; deuaſtatis paſſim agris, in multasque manus diuiſis copijs, equitatu in omnes par-

Cliſſa per proditionẽ Veneti potiuntur.

Eandem ſtultè deſerunt.

tes per ſummum hoſtis contemptum excurrebant, terrorem ad portas ſingularum propè vrbium quotidie inferentes, Cataro præcipuè inſidiati ſunt. illo oppido expulſis Venetis, totam pacaturi Epirum erant: ſæpe vi, ſæpius dolo tentatum, neutro ſuccedente, arte atque opere aggrediuntur. Id oppidum in intimo ſinu maris, quem veteres Rizonicum appellarunt, eſt ſitum: adiri à Venetis niſi mari non ſolet, ac ne poteſt quidem, omnia circà tenentibus Turcis: ad ſiniſtram intrantibus ſitum eſt Caſtellonouum Turcarum oppidum. Haud longè ab eo, quà maximè in arctum fauces illius ſinus coëunt, Turcæ munitionem excitant, aggere valloque firmatam duodeuiginti maioribus tormentis inſtruunt. Horum verberatione (totum enim ſpatium ad aduerſum vſque littus ſub ictu habebant) Venetas naues intrare ſinum conantes aditu arcebant. Eò Catarenſes in magnum metum rerum ſuarum coniecti inopiam primò ſentire, deinde, cùm haud longè fame abeſſent, legatos de ſuo periculo ad Venetos mittunt. haud neglecta res eſt à Venetis, quibus omnia intra maris Adriatici fretum cordi erant. quia Venerius Venetias redierat, Iacobum Sorantium cum XX. nauibus longis Corcyram ad Catarum obſidione eximendum tranſire iubent. Illum impigrè iuſſa facientem etiam fortuna iuuit. Qui à Turcis, Epiroticis rebus præpoſitus erat, tum fortè, quòd nullus in propinquo hoſtis eſſet, in vltimos prouinciæ fines, CC. militum præſidio ad nouam munitionem relicto, cum omnibus copijs profectus erat. Sorantius, expoſitis quatuor armatorum millibus, haud ſine acri tamen certamine deiectis cæſisque propugnatoribus, locum tenuit, tormentisque ablatis totum deſtruxit ac diſiecit opus, liberumque Catarenſibus red-

Catarum oppugnatur.

Iacobus Sorātius Catarum mittitur.

didit mare. Atque hæc anno CIↃ. IↃ. LXXII. geſta ſunt.

Venetorum ad Pontificem verba.

POST reditum in Siciliam Auſtrij reductasque è Græcia claſſes, Romæ Veneti multa apud Pontificem de Hiſpanis conqueſti petebant, vt tandem aliquando bellum ex communi vſu nauiter ac ſtrenuè & pro dignitate Chriſtiani nominis gereretur. Quid enim attinere fœdus feriri, fœderis leges ſcribi ac iureiurando ſanciri; ſi eas eludere, immutare, ad arbitrium commodumque vnius detorquere liceat? Eſſe in fœdere, vt claſſes inſtructæ vere ineunte in Græciam tranſmittant: vix exacta æſtate ventum ad hoſtem eſſe, &, tanquam oſtentari tantùm arma non inferri placeret, reditum continuò domum. deleri Turcicam claſſem potuiſſe, expellique maris poſſeſſione barbaros, ſi diutiùs in bello perſeueratum eo anno fuiſſet: militare imperium, quod ex fœderis pacto æquè ad tres fœderatorum duces pertineret, omne ſibi Auſtrium vſurpare; & non præſentem modò ex ſua vnius libidine cuncta adminiſtrare, ſed abſentem quoque eadem impotentia nutum obſeruari ſuum velle. Id verò nec pati Venetos poſſe, nec eſſe ex vſu communium rerum. Atque hæc ſeorſum apud Pontificem liberiùs. In concilio legatorum Cardinaliumque, quod primum Gregorius habuit, eadem de maturanda profectione in Græciam Paulus Theupulus Venetorum legatus diſſeruit, ac præterea, vt centum longæ naues ad eas quas ſuperiori anno habuiſſent adderentur, poſtulauit. nam, & hoſtem, credibile eſſe, maiorem claſſem comparaturum, dicique, intenſiſſimè rem naualem Byzantij adminiſtrari: & Chriſtianis adauctis ita viribus cuncta procliuia ad conandum fore (famam magnorum apparatuum quotannis captarat Venetus, quòd ea, ſeu bellandum foret ſeu de pace agen-

Callidum Venetorũ conſilium.

dum,

dum, ad vtrumque ſibi apta conſilium videbatur). Addebat, vt ex ijs claſſibus, quas quiſque fœderatorum paratas iam haberet, cùm primùm nauigabile mare tempus præbuiſſet, centum naues ad prædas, maximè hominum ex Turcarum terra agendas, tutandasque ab ſimili hoſtium conſilio Venetorum inſulas præmitterentur: vt Maximilianus Cæſar nouis ſtimulis promiſſisque ad capeſſendum bellum incitaretur: reges quoque Galliæ ac Luſitaniæ ſolicitarentur: ad Moſcum, ad Perſas legati mitterentur, quando Poloni mortuo, vt ſuprà tradidimus, Sigiſmundo Auguſto de nouo deligendo rege tum maximè ſtudijs inter ſe decertabant; omnes denique gentes regesque aduerſus immanem illam peſtem literis legationibusq. concirentur. Hæc omnia vt ita fierent, quemadmodum Veneti poſtulabant, conuenit: Interea ſcribi ad fœderatos placuit ac dare operam, vt quàm ampliſſimam illi legatis ſuis poteſtatem de omnibus rebus permitterent, nequa mora decretis inde exequendis fieret. Relatum quoque eſt à Cardinalibus de addendo fœderi, vt eoſdem hoſtes atque amicos fœderati haberent. Accipiebatur id à regijs, qui eo ſe capite permuniri ſentiebant. Sed Theupulus mentionem huius rei penitus reſpuit negans, tempi nouo fœdere velle illigari, idque multos à ſocietate Turcici belli auerſurum, edisserens. Secundum hæc Veneti impenſarum rationes duci cupiebant, eaque de re iam diu fatigantes Pontificem magna contentione agebant. Eam ipſe diſceptationem inter captioſos & cauillatores Hiſpanos, & moroſe nimis atque minutè omnia expendentes atque exigentes Venetos fugiebat, qui, ad quingenta millia nummûm aureorum ferri ſibi accepta ęquum cenſebant, quę inſumpta à ſe ſupra id quod ex fœdere deberent, aiebant. Con-

Lis inter fœderatos compoſita.

trà contendebant regij, neque Pontifici, ab initio initi fœderis ſumptus ſingularum rerum, rerumque ipſarum pretia ſtatuere (de vtroque enim ambigebatur) ac omnino totam hanc decernere ac dijudicare controuerſiam, facile erat: conſtabat tamen, Venetos maiores, quàm pro ſua portione, ſumptus feciſſe. Itaque Gregorius præfatus, ſibi de reliquis dum ſatis non liquere, decreuit, vt, quæ frumenta Veneti de Neapolitanis mercatoribus cepiſſent, pro his Philippus mercatoribus ipſis duo & ſexaginta nummûm aureorum millia (tanti enim æſtimata ſunt) perſolueret. ita ea tum lis paulum conquieuit. Actum inde de bello, & tentata ab regijs expeditio in Africam, & vt claſſes Hydruntum congregarentur. Sed, refutante Veneto, neceſſitatemque oſtendente obijciendi ſe primo quoque tempore Turcicæ claſſi, quæ non ſolùm reliquarum inſularum fœdæ populationi immineret, ſed Cretam ipſam aggreſſura eſſet, niſi iuſtis viribus ei occurreretur; ceſſere. Ita ſtatutum, vt numerus nauium longarum ad CCC. augeretur, totaque Corcyram claſſis conueniret. Sed, petentibus Hiſpanis, vt Veneti, quibus maior promptiorque facultas eſſet, naues claſſi augendæ præſtarent, regem milites, frumenta, pecuniam pro ijs daturum, negauit Theupulus, æquum eſſe, Venetis exhauſtis confectiſque perpetuis belli ſumptibus alienum quoque onus imponi: nec regi, in tantis opibus ac tam lato maritimarum vrbium imperio, aut nauium ipſarum aut rerum ad naues ornandas copiam eſſe defuturam: nondum redditos Venetis, quos ſuperiori anno feciſſent pro rege, ſumptus, & poſtulari, vt nouis ſe rationibus implicent nouiſque impendijs conſumant. Et, nequis locus querendi prætermitteretur, non debere regem, Veneti aiebant, nu-

Claſſis educendæ robur, & ratio.

merare

merare cum ſuis quatuor Genuenſium, totidem Meliten-ſium naues, ſed eas pati extra ſortem fœderis eſſe, atque ſponte ſua reliquis addi Chriſtianorum claſſibus. Ac ne Pontifici quidem Hetruſcas & Sabaudienſes militare naues æquo animo ferre videbantur, quas, verum eſſe, eadem ratione adiungi ceteris, dictitabant. Et longum moleſtumque nec neceſſarium mihi ſit, concertationes de ſingulis rebus regiorum Venetorumque recenſendo exequi: quorum illi ſuperbia, atque arrogantia cuncta indulgeri ſibi æquum cenſebant, identidem, pro Venetis ſuſceptum id bellum iiſque vnis geri, ad regem nihil magnopere pertinere, niſi quòd ab eo patrocinium eorum reip. ſuſceptum eſſet, iactantes. Venetorum hæ plerumque deliciæ erant, vt querendo de minimis quoque rebus ſæpe ſui faſtidium Pontifici Cardinalibuſque atque adeo omnibus hominibus facerent. Longior inde difficiliorque diſceptatio excepit: cùm enim Venetis datum eſſet, vt numerus nauium augeretur, quia Turcas quoque conatu maximo inſtruere bellum fama erat, de tempore quo claſſes in Græciam adducendæ eſſent non conueniebat. Tendebant Veneti, vt maturaretur, ac vere primo parati in hoſtem ducerent, ſummam in eo rem verti, docentes: Hiſpani totum Iunium menſem in apparatu tot nauium rerumque poſcebant. Quod cùm Venetiis ex Theupuli literis cognitum eſſet, indignantibus ceteris gaudere decemuiri, locum ſibi extrahendi per has contentiones temporis datum: interim à M. Antonio Barbaro, quid ſpe, ad pacem afferretur, ſcituros, conſiliumque fortunæ accommodaturos, Theupulo edocto, quid ageretur, dare eum operam iubent, nequid interea Romæ decernatur: ac non ſolùm de tempore co-

gendi claſſes nihil remittat, ſed, Venetos plures naues, quàm quot ex fœdere deberent, dare poſſe eo anno, neget. Id verò vbi à Theupulo in conſilio dictum eſt, qui antea de claſſe augenda tanto ſtudio laborarat, ſciretque, ſi Veneti dare ijs conditionibus naues recuſarent, quibus anno ſuperiori dediſſent, pares Chriſtianos Turcis eſſe non poſſe, ſuſpicio eſt ingens incuſſa, nequid illi occulti conſilij pacificandi cum hoſte coquerent. Itaque vtriſque iam de contentione remittentibus, ſua ſponte res frigidè lenteq. agi ſunt cœptæ. Nunciatur decemuiris, ex ſententia eorum nihil Romæ approperari: collaudantibus alijs Theupulum &, nihil tempori cogitatiſque eorum aptius potuiſſe accidere, exiſtimantibus, exurgens vnus ſenatorum magiſtratum gerens, cui ius eſt ſanctiori conſilio intereſſe, Etiam atque etiam, inquit, decemuiri, aduertite animum, ne ante ſocios alienetis, fœduſque diſſoluatis, quàm, de pace vobis quæ ſpes, quæ leges ſint, exploratum habeatis. Hæc vox, vt de integro tota res ad collegium referretur, fecit; metuq. perculſi, ne eodem tempore & ſpe pacis & ſocietate Pontificis Hiſpanorumque deciderent, in medioque deſtituti prædæ omnibus eſſent, Theupulo ſcribunt, vt de conditionibus eius anni tranſigeret.

Suſpicio Romæ orta.

Sapiens conſiliũ.

CONSVMPTA per hunc maximè modum hieme, tandem ex auctoritate Gregorij ita decretum: Pontificia regiaque claſſis ante Cal. Apr. Meſſanam conueniret, atque inde nulla ſibi facta mora Corcyram traijceret: ibi adiunctis Venetis Græciam inuaderent, atque cum hoſte, ſi ſe obuiàm dediſſet, confligerent; facerentque, quod ex publica Chriſtianorum fœderatorumque re præfectis claſſium videretur. Naues longæ haud pauciores

Decretũ de claſſe augenda.

CCC. educerentur: onerariæ XL. galeatiæ, quot armare Veneti poſsent. Peditum LXM. ſcriberentur, quorum ſingulæ naues longæ haud minus centum & quinquaginta tollerent: quatuor millia & quingentos equites præparatos haberent, ſiquem ſociorum hoſtis terreſtri bello inuaderet. Tempus ducibus ad conueniendum Corcyram indictum nullo modo proferretur, ſed cum quot quiſque paratas haberet naues diem ſeruaret; reliquis, vt quæque expedirentur, ſequi claſsem iuſſis: cetera, vt anno ſuperiori ſtatuta erant, ita fierent. Additum ex Venetorum ſententia, vt nulli fœderatorum ſuas vires à Turcico bello auertere aliò fas eſset, ne ſi proprio quidem bello ab quouis hoſte, etiam nouo nec opinato, occuparetur. His ita conuentis pactisque, inſtare Theupulus, vt naues centum ad tuendas à populatione inſulas, prædasque ex hoſtico agendas præmitterentur. nec regij, quia rem probabat Pontifex, abnuere, ſed reijcere ad Auſtrium: ipſi de eo à rege imperatum.

INTEREA Veneti egere cum Pontifice de captiuis commutandis. Nobiles aliquot Turcæ nauali prælio capti Romæ in cuſtodia detinebantur. Eos initio Veneti in carcere necandos cenſuerant: quod cùm Pius vt crudele aſpernatus conſilium eſset, redimi permutatione eorum notos Chriſtianorum centuriones, qui varijs caſibus in poteſtatem venerant, cupiebant: nam, ſi pax conueniſset, facturum id Pontificem nulla cum eorum gratia, præuidebant. Inter captiuos Turcas vnus erat adoleſcens Halyj filius, ſorore genitus regis: nam alter vnà captus, morbo interierat. Huius mater, muneribus literisque & muliebribus precibus Auſtrium fatigans, delinierat iuuenis animum,

Halyj filius captiuus redditur ſuis.

qui regiæ ſtirpis adoleſcentem matri ſororique, cuius eximiam eſſe formam fama erat, pæne amatorijs literis ſalutem libertatemque puero orantibus reſtituere, nomini ſuo amplum nec alienum ætate ratus, id extraordinarium munus dari ſibi à Pontifice magno ſtudio petierat: impetratoq. adoleſcentem propè regio cultu habitum donatumque Byzantium remiſit. Reliquos retineri in eadem cuſtodia, differrique permutationem eorum in aliud tempus placuit.

Mehemetes Eubœæ præfectus captiuus Romæ.

In his præcipuæ dignitatis fuit Mehemetes quidam Eubœæ præfectus, vir nequaquam, vt viſus eſt, ingenij rudis, ac ne noſtrarum quidem ignarus rerum morumque. Hunc, quia non inconditè Italicè loquebatur, ab ſtudio ſerendi cum homine Turca ſermones, viſebant interdum aliqui è noſtris, qui bello rebusq. in Græcia interfuerant. De nauali prælio narrare ſolebat, duas maximè res victoriæ cauſam Christianis fuiſſe, ſclopetariorum multitudinem, quos longè præſtare Turcis ſagittarijs, ea pugna compertum eſſet: & munimentum tabulationemque illam, qua Chriſtiani latera ſuarum nauium conſtruxerant; quòd ea milites noſtri & ab hoſtili ictu tegebantur, & certiùs ipſi ſclopetis telum in hoſtem mittebant. Vtramque rem hoc doctos experimento correcturos in ſua claſſe Turcas, aiebat, ac ne ijs quidem poſthac ſuperiores Chriſtianos fore. Et cùm noſtri magnitudinem victoriæ verbis extollentes, Turcarum vires ea clade obtritas, nec, Cyprum ademiſſe nobis, tanti eſſe, dicerent; ſubridens ille, Barbam, inquit, abraſiſtis nobis, quæ citiùs opinione veſtra renaſcetur: at Cyprum, quam Turcæ veluti membrum à corpore præcidimus, quando Chriſtiani recuperabunt? Poſt naualem pugnam, cùm Columna captiuos reuiſens curam cuſtodiamque eorum

Eius de nauali noſtrorũ victoria ſententia.

Eiuſdem pulcherrimũ dictum.

ſuis mandaret, liberaliterque haberi præciperet, ad hunc ipſum Mehemetem verſus, Diſcite, inquit, à nobis humanitatem, qui tam acerbè ac tam crudeliter ſæuire, atque habere Chriſtianos captiuos ſoletis. Cui non barbarè barbarus, Ignoſcere, inquit, nobis, imperator, debes: neque enim, capi & in hoſtium poteſtatem venire, hactenus noſtrorum fuit: & tantùm facere captiuos, non etiam eſſe, Turcæ didicimus. Non ceſſarat interea Pontifex Chriſtianos reges ad iungenda in barbaros arma ſolicitare: Et Carolus Lotharingius Cardinalis, qui mortuo Pio Romam paulo antè ad comitia venerat, ſpem mouerat, regem quoque Galliæ poſſe ab amicitia Turcarum auerti. Et quia is erat Carolus vir inter Galliæ principes ſummæ auctoritatis, cognitosque habere & regis ipſius ſenſus, & gentis Gallorum putabatur, haud vano auctore rem incepturus Gregorius videbatur. Rex appellatus à Pontifice ita reſpondit vt opinionem faceret, fœdus eum non aſpernaturum. Eo tempore atrox in Gallia res ac digna memoratu accidit; quam percurrere breui, quando in hunc locum incidimus, & paulo altiùs ab origine repetere, operæ pretium eſt viſum. Regnum Galliæ multæ lataq; prouinciæ ſitu, armis, viris, rebus omnibus opulentæ, non mari, non terris diſcretæ, in vnum veluti coniunctæ corpus: & gens ipſa armis & maximè equitatui ſtudens, & ſuper hæc omnia ſumma in regem & fides & pietas, ac propè vt in Deum cultus; prævalidum atque formidabile, & inexhauſtæ potentiæ planeque inuictum ac longè ceteris Chriſtianis regnis clarius & nobilius effecerant. Has tantas opes naturæ ac diſciplinæ, quas nullæ antè ciuiles diſcordiæ, nulla externa bella, non multarum ſimul nationum conſpirationes infregerant,

Aliud acutiſſimis

Pontifex Galliæ regem fœderatis ſe iungere

Galliæ potentia vnde nata ſit.

Eiuſdem calamitas quam cauſa habuerit.

rant, per turbata religio prauæque de diuinis rebus opiniones paucorum inuectæ ſcelere funditus memoria noſtra euertere. Tanta enim rabie ex diſſidio ſacrorum omnes inter ſe ordines debacchati cædibus ſunt, vt nulla ferme domus tota Gallia, nedum ciuitas ulla expers cladium fuerit: quæque gens terrori vicinis populis erat, ea inteſtinis obtrita bellis miſeratione ſui, quàm metu, finitimos magis moueat. Germanus ignobilis, nomine Martinus, patrum memoria primus auſus eſt Chriſtianorum ſacra ritusque non religione magis, quàm vetuſtate ſanctos arbitrio ſubijcere, polluere damnareq. Et nactus nouitatis fautores magnæ viros potentiæ breui totam opinionibus oppleuit Germaniam. Iit, vbi res etiam quæſtui atque honori eſſe cœpit, vt quiſque ingenio pollens, præcipuam inde famam affectare, addere, immutare, totam conturbare ſacrorum rationem. Licentia inde creſcere malum, ac velut incendium in proxima quæque adhæreſcere. Maximè Heluetios corruperat Zuinglius quidam ipſo ſceleſtior Martino, cuius peſtiferis inuentis maius adiecerat nefas, diuinæ hoſtiæ ſacrati panis vinique, quam, accepta à Deo religione rituque, immolamus, negans vllum ineſſe Numen. Ab hoc deinde Iohannes Caluinus manauit, callidæ vir doctrinæ, &, quò faciliùs & plures illiceret, ad ſenſus cupiditatesque hominum diuina adaptans. atque hic maximus ſacerdos, magiſterque nouorum ſacrorum apud Gallos poſtea fuit. Bellis, quæ Franciſcus I. rex Galliæ cum Carolo V. geſſit, magna ſæpe Heluetiorum Germanorumque auxilia mercede conducta in Galliam transiere: horum commercijs & conſuetudine, animis Gallorum ſuperſtitio adhæſit. Primò pauci atque ſecretò nec mentem prodentes, deinde aucta au-

Martinus Lutherus hereticorum ſuperioris ætatis caput.

Zuinglius Heluetiorum corruptor.

Ioannes Caluinus in Galliã hereſim inuexit.

dacia

dacia plures nec diſſimulanter antiquas contemnere cerēmonias, atque etiam ſacrificare peregrino ritu domi quiſque ſuæ non veriti. Repreſſit gliſcentem magnopere illam peſtem Franciſcus ſeueritate ſuppliciorum, multoſque mortales ea prauitate imbutos damnatos palàm combuſſit. oppida etiam quædam, quia aliter reuocari à nefaria ſuperſtitione nequibant, excidit: capitibuſque rerum morte mulctatis reliquam multitudinem per regnum, ne coire vſquam poſſet, diſſipauit, profeſſus, dexteram ſe ſuam, ſi ſciret eius affinem noxæ eſſe, igne abſumpturum. Mortuo Franciſco reuixit ea labes, aſſumpſitque iterum vires: & Margarita Franciſci ſoror, Nauarrę regina, quam antè fratris metus continuerat, tum licentiùs in erroris eius prauitate verſabatur, totaque in eo erat, vt in quamplurimos id venenum in Gallia funderetur. Hęc mulier literarum ſtudijs magis, quàm neceſſe eſt fœminę, dedita dum eius rei non tam fructum quàm inanem laudem muliebriter affectat, à Caluino talia ingenia, & maximè fœminarum captante facilè eſt in fraudem inducta, ex nouitate rei, doctrinę & ſapientię opinionem magnam ſibi facturam ſperans. Et Gallorum vxores etiam virorum muneribus regendiſque rebus miſcere ſe (quod gentis fert conſuetudo) ſolent, ac plerumq. ſumma eſt earum in rep. auctoritas. Harum imbecillitatem quà ſimulatione pietatis, quà legibus, quibus ex Chriſtiana diſciplina frenum voluptatibus inijcitur, diſſoluendis abolendiſque, maximè aucupati ſunt, quibus ea cura fuit externam nouamque propagare doctrinam: atque hoc fonte latiſſimè hoc malum dimanauit, Henrico Franciſci filio bellorum occupationibus diſtento non, vt oportuit, initio eam licentiam coërcente; adeo vt ſingulas regni ſui partes

Franciſci regis in hæreticos pia ſeueritas.

Eius religioſum dictum.

Margarita Nauarrę regina hæreticos fautrix.

Fœminarũ auctoritas apud Gallus.

Hæreticorũ coniurationes in regem Henricum.

corruptas, coniurationes paſſim factas, ingentem multitudinem, capita quoque multitudinis haud ſpernenda, ſibique inde periculum vel maximum imminere, pæne ſeriùs quàm tutum erat ſenſerit. Iam enim cum Britannis Germaniſque communicata ab ijs conſilia comperit, proditionem regni paciſcentibus, ſi ius nouorum ſacrorum lege ijs ſanciretur, ſingulisque ex aduerſariorum bonis duplicarentur fortunæ. Is terror Henrici animum ab externi belli cura ad vindictam inteſtinæ coniurationis auertit, pacemque cum Philippo, quibus ille voluit conditionibus, facere ſubegit. Cui paci cùm affinitas quoque addita eſſet, Henrici filia in matrimonium Philippo tradita, nuptiæque apud Pariſios regia opulentia celebrarentur, feſtis ludorum diebus dum ſe rex cum iuuenibus more Gallorum princeps in armis exercet, à Mongomerio, nobili ex Scotia viro & fortiſſimo bellatore, infelici ac luctuoſo Galliæ caſu interficitur, in concurſu equorum fragmine haſtæ per galeam in frontem adacto.

Pax, & affinitas iũcta inter Henricũ, & Philippũ reges.

Infelix Henrici mors.

MORTE Henrici euerſæ Gallorum opes. non ſolùm ſpes purgandi prauis religionibus regnum eſt interrupta, ſed ſuſtulere adeo animos hæretici, vt nulla legum reuerentia, nullo regis metu & palàm nouis ſacris operarentur, & per omnes paſſim vrbes conciones haberent, venenatosq. libellos ad deprauandos illiciendosq. imperitorum animos toto regno diſpergerent. Succeſſit Henrico Franciſcus quindecim annorum puer, vixdum ſui nedum imperij potens: penes Catharinam matrem & Carolum Lotharingium Cardinalem; de quo ſuprà mentionem fecimus (cuius neptem Scotiæ reginam Franciſcus in matrimonio habebat) rerum regimen erat; ne ipſos quidem ſatis inter ſe

con-

concordes, cùm Carolus ab elato ingenio ſpretis fœminæ conſilijs vnus ſibi cuncta arrogaret. Catharinæ animum maior, quàm pro ſuo ſexu, regnandi libido ſolicitaret; adeò vt ad Caroli infringendas opes, religionis poſthabita cura, aduerſæ factionis principes, à quibus poſtea ipſa filijque eius oppugnati ſunt, fouerit, ignemque eum aluerit, cuius incendio vniuerſam deflagraſſe videmus Galliam. Contemptu ætatis regis, creſcere in dies ſeditioſorum audacia, quos Hugonotos ſiue ab Hugone quodam primo nouarum religionum in Gallia diſſeminatore; ſeu qua alia re appellant: quibus ſe coniunxerant facinoroſiſſimus quiſque; & quibus aut malæ in regia ſpes, aut inopia domi, aut inuidia potentiæ Caroli, regis quoque odium fecerat. Erat in Carolo magna nobilitas: maióreſque eius Hieroſolimis in Iudæa, Neapoli in Italia regnum tenuerant, ac tum quoque Lotharingiæ, multiſque in Gallia oppidis latè imperitabant: vetuſtum genus clarumque, ſed nouum in Gallia, nec dum ſatis altè radicibus actis. Eo indignantiùs Galliæ proceres & propinqui regis, gratiam, honores, diuitias, dominationem in peregrina domo cernebant. Cardinali ipſi magnæ animi ingenijq. virtutes, promptum conſilium, plurimum vſus, haud minus eloquentiæ induſtriæque inerat: graues atque in ſpeciem integri mores, ac multæ vt in viro principe literæ: alijs tamen minùs ſincerum videri, auaritiam ambitionemque exagitare, imo ne induſtriæ quidem bona aliter, quàm inſtrumenta potentiæ ac diuitiarum haberi: ad hæc inuidioſæ opes, & elatio animi, quantam tot congeſtæ in vnum fortunæ naturæque dona efficere poterant; vt illius odio plures ab rege alienati tranſuerſique acti, quàm cupiditate nouarum rerum aut ſtu-

Catharinæ & Caroli Cardin. diſſidia.

Caroli Card. Lotharingij mores.

dio malarum partium abducti fuiſſe dicantur.

Coniuratio in Frãciſcũ Regẽ,& Carolũ Cardin.

IN huius igitur regisque caput coniuratur Amboſiæ anno CIↃ.IↃ.LX.atque ægre rex detectis in tempore conſilijs periculum euaſit. Captis aliquot, ac per tormenta fateri conſcios coactis, vbi validiores duces comperit, quàm quos comprehendi ſtatim iuberet, occultat in præſentia indicium, ſed eo edoctus diſcrimine cùm ſe validis præſidijs circummuniſſet, vocatos ad ſe Antonium regem Nauarræ & fratrem eius Condæi regulum, auctores nouarum rerum, cuſtodia circumdedit, haud dubiè Condęi morte ſuam vlturus maieſtatem. Verùm,dum peragitur de coniuratis quæſtio, territique omnes, qui ſibi conſcij facinoris eſſent, veniam vitamque à rege impetrare laborant; rex ipſe repentino morbo extinguitur. Regnum Carolo fratri; qui aliquot annis minor, nequaquam maturus imperio erat, defertur, ac, legibus regni Cardinale fratribusque eius ſummis viris amotis, tutor ei Antonius ipſe,qui ſanguine proximior erat, datur. Ita ex reo capitis potens rerum factus augendis partium opibus intendit: quanquam idipſum parum conſtanter, quòd ſpes iniecta erat ei à Guiſijs fratribus, per Pont. Max. recuperandi auitum regnum Nauarræ, quod Hiſpaniæ adiunctum Philippus tenet. Et ab hac cogitatione legatos Romam miſerat, qui Pontifici ac Romanæ Eccleſię de more obedientiam deferrent, in eiusque fide & auctoritate perpetuò ſe Iohannamque vxorem futuros pollicerentur. Iohanna (Margaritę filia erat) Antonio Borbonio regij ſanguinis iuueni dotale regnum ſecum ferens nupſerat, à matre ità inſtituta, vt contaminatus animus nouę ſuperſtitionis ſtudio, & gloria delati ad eam ab his, qui ſectam illam ſequebantur, ſummi omnium rerum arbitrij, omnes

Frãciſcus Rex moritur: Carolus frater regnũ accipit cui Antonius Nauarrę rex tutor datur.

Regis Nauarræ ad Pont. Legati.

regni

regni facultates huc impenderet, vt aſciti ius ſacri conſtitueretur, atque in omnes quàm latiſſimè vulgaretur. Sed Antonium fortunę prouentu elatum cupido inceſſerat nuptijs potiundi reginę Scotię, viduæ nuper Franciſci morte: nec aberat ſpes, annuente Pontifice ſeſe Iohannæ coniugio exoluendi. Hinc graue inter eum Iohannamque, nec præſentibus rebus inutile diſſidium. Ceterùm Catharina regis mater impotens ſui, quò rerum potentiam ac ius potiretur, regniq. procurationem ex auctoritate Ordinum vna obtineret, reiecto Caroli Cardinalis fratrumque conſilio Condæum parricidij manifeſtum extemplo occidendi, amplecti aduerſæ factionis proceres, in quos inclinare tum multitudinis fauor videbatur: & Condæo è cuſtodia educto, per eum reliquosque factionis eiuſdem, gubernatricis nomen aſſequitur: &, Antonio amoribus & voluptatibus, qui primus imbecillis ingenijs magnæ fortunæ fructus quæritur, indulgente; paulatim omnem ad ſe vim regni attrahere: Hugonoti quoque, dum fœminę cupiditati ſuffragantur eiq. ſpeciem imperij conciliant, ſuas ipſi muniunt opes.

Catharina Gallię gubernatrix.

ATQVE his fractum labefactatumq. diſcordijs Galliæ regnum in partes ac diuerſa ſtudia abijt, & mox Germanis ac finitimis prædæ fuit. Guiſij fratres, & optimus quiſque, vt, cuncta impotentibus agi conſilijs & aut fœminæ imperio parendum, aut Antonio ſeruiendum & ipſi muliebrem animum gerenti, & vaſtas atque vanas ſpes affectanti, ad quas ſuorum aſſentatione efferebatur, animaduertere, in domus ſuas ab aula atque à rep. ſeceſſerunt: Verùm non multo pòſt ijdem, reconciliata cum Anneo Momorantio magiſtro equitum gratia conſociatisque conſilijs, & ipſo Antonio noua ſpe cum Philippo de regno

Guiſij Cōdæo, ſocijsq. aduerſarij.

Nauarræ commoda aliqua pactione tranſigendi in partes tradacto, ſimul vt Catharinæ præcipiti ambitioni obuiàm irent, ſimul vt Condæi potentiam periculoſam rei publicæ, & exitio ipſorum maximè imminentem reprimerent, frequenti clientum comitatu Lutetiam intrant, atque aduerſarios occupare regiam conantes ſummouent. Tum verò Condæus atque Hugonoti, cùm ſibi ſatis validi ad vim quoque faciendam iam viderentur; non vt antè dolis inſidijsque, ſed aperta defectione, adiuti Anglorum ac Germanorum ope, arma in regem capiunt. Sic bellum funeſtum Galliæ accenditur, quo non in caſtris acieque plus cędis quàm in ſingulis oppidis eſt editum. Sacrorum diſſidia nuſquam verbis ne inter propinquos quidem ac priuatis in domibus, vbique ferro ac ſanguine tranſacta ſunt. Ipſe rex ſępe paruis momentis vim fraudesque hoſtium euitauit: ſerò ſentiente matre, quàm peccatum ab ſe medijs muliebribusque conſilijs eſſet. Primo pręlio, quo iuſtis viribus concurſum eſt apud Aurelianum, ducibus ab Hugonotis Condęo & Ammiralio, à regijs Anneo & Franciſco Guiſię regulo Cardinalis fratre, pari propè clade inde Condęus, hinc Anneus capiuntur. Is Anneus, quemadmodum initio, ad Guiſiorum frangendas opes, Caſtiliones ſororis ſuę filios omni ſtudio produxerat foueratque; ita ſe Regi bonisque iunxit, poſtquam, ſuos coniuraſſe contra remp. & pollui euertique auctoribus ijs auitam religionem, ſatis perſpexit. Verùm Guiſius obſidione cinctos premebat hoſtes, victoriamq. in manibus habere videbatur, cùm ſpecie transfugę ab Ammiralio ſummiſſus percuſſor Guiſium cum tribus equitibus ab explorando in caſtra ſub noctem redeuntem ex occulto collineans ſclopeti glande traiecit. Ne Henrici

Cõdæus, & Hugonoti arma in regem capiunt.

Primi prę lij euentus.

Guiſius interficitur.

quidem

quidem regis caſu tantum cladis regia Galliç accepit. Nam Guiſij, prçter militares virtutes quibus omnes ferè çtatis ſuæ Gallorum duces anteiſſe exiſtimabatur, magna erat in vulgus ab inſigni liberalitate, apertoque ac ſimplici ingenio & fides & gratia: magnæ & ſuæ & familiæ opes, quæ pæne cum ipſo conciderunt. Hoc mortuo, omnis inde fortuna in Hugonotos vertit. Pax, vt ſpatium vtriſque parandi belli eſſet, componitur. Dimiſſus Condæus excitis Germanorum magnis auxilijs exercitum parat. De repentè ad fanum Dionyſij adortus regem, prope fuit, vt incautum interciperet. Heluetiæ legionis virtute eſt repulſus.

Condæus prope Regẽ intercipit.

Paulo pòſt collectis vtrinque viribus, Anneus ira in ſuos ac dolore incenſus, quod quos ipſe aluiſſet & ad illam extuliſſet fortunam, eorum ſcelere rex regnumque in vltimum coniectum diſcrimen eſſet, ad idem Dionyſij fanum, vnde Hugonoti incluſum Lutetiæ mœnibus regem obſidebant, impetu in eos dato, acri prælio victos fudit. Ceterùm adeo enixè geſta res eſt, vt Anneus ipſe tanti nominis dux, atque exacta ætate ſenex illo tumultuario prælio ceciderit.

Anneus Hugonotos fudit.

Ipſe cadit in acie.

Victi Hugonoti tamen legis pacis dedere; quas regina, externis exercitibus & ſuis & hoſtium plenum regnum cernens, accipere coacta eſt. Pacis opus extitit, vt antè, noui & maioris belli inſtructio. Collatis iterum ſignis, iterum Hugonoti vincuntur ab Henrico regis fratre, admodum adoleſcente: atq; ipſe Condæus in acie circumuentus occiditur. Sublato eo regij ſanguinis duce, inciſi ſeditioni nerui videbantur. ſed breui apparuit, ciuiles diſcordias in ipſis modò initijs auctore egere: vbi inualuerunt, capita ipſæ efficiunt.

Iterũ Hugonoti vincitur: Condæus occiditur.

GASPAR erat Colignius, qui Guiſium per emiſſarium ſuum occiderat, mediæ vir nobilitatis, ſed

Gaſpar Colignius.

ſorore

ſorore Annei ortus, qui, cùm apud Henricum ob egregiam virtutem principem gratiæ & auctoritatis locum haberet, Gaſparem ad maris præfecturam, quæ niſi principibus Galliæ mandari non conſueuit, prouexit: Galli Ammiralium vocant. Is omnibus ferme bellis, quæ reges Galliæ Franciſcus & Henricus geſſerant, ſub Anneo meruerat, &, cùm pacis quoque conſilijs inter primores adhiberetur, magnum ſibi vſum comparauerat: & callidus ipſe vir tectusq. & oratione & induſtria promptus, æquè bonus belli pacisq. artibus habebatur: quanquam haud dubiè cautior quàm pugnacior fuiſſe dicatur. In magna vi animi atque conſilij malum ingenium prauumque inerat, & ingens famę atq; opum cupiditas: ad quas per fanda nefandaque, quibuſcunque poterat modis, ſubdolus & vaſtus animus nitebatur. Et cui nullus Dei metus eſſet, ad noua ſacra nouamq. de diuinis rebus doctrinam applicare ſe ſtatim, nihil penſi habuit, occaſionem eam ſibi iuuadendę potentię ac res nouandi futuram, ratus: quo nomine, ſi Henricus vixiſſet, ipſe in primis fratresque eius pœnę deſtinabantur, quorum Landelotius etiam in cuſtodiam traditus fuerat. Cùm enim regem ad ſacra deducens, ad fores templi progreſſus inde ferè abſcederet, veluti ſi introire religioſum haberet, admonitus de eo Henricus reuocauit abeuntem, quid ita limine templi abſiſteret, ab eo quęrens. Qui cùm bonitate fretus regis, prohiberi ſe religione, reſpondere non eſſet veritus, adeo ira commotus eſt Henricus, vt, conuicio increpitum, gladij capulum tenens, confoſſurum ſe eum manibus ſuis fuiſſe, diceret, niſi maieſtati ſuę indecorum exiſtimaret, probroſi hęretici ſanguine fœderi. In vincula raptus fuiſſet capite eam temeritatem, niſi & Annei auunculi gratia atque

Eius mores.

Landelotius in cuſtodiam traditus ob religionem.

aucto-

auctoritate, quæ apud Henricum ſumma erat, tectus fuiſſet, & in cœtu principum, rege coram, omni eiurata hæreſi ſanctiſſimo ſe iureiurando, tactis ſacratis libris, obſtrinxiſſet, à Catholicæ pietatis fide, in qua & ipſe educatus & maiores ſui fuiſſent, nunquam diſceſſurum. Sed Gaſparem, opinio erat, omnium ipſum auctorem inſidiarum coniurationumque, quibus ſæpe appetitus rex fuerat, atque omnium Galliæ motuum vnum architectum fuiſſe: nec dubium, Condæum regi eius conſilijs ſolitum. Ad hunc igitur ſummum rerum ius arbitriumque Hugonoti deferunt: nec vllius alterius ductu plus negocij regiæ domui eſt factum. Sæpe regem in eas compulit neceſſitates, vt ad arbitrium eius & depoſuerit arma & ſumpſerit: nec ipſe vnquam infeſtior hoſtis, quàm cùm pacem agitaret. ſæpe acie victus cuncta ingenio atque aſtu ſarſit. Condæus Hugonotorũ Dux

ANNO CIƆ. IƆ. LXXII. feſſa malis Gallia, ac rege propè inopia circumuento, iterum conciliata concordia eſt; & regis ſoror Henrico Antonij filio regi Nauarræ, Ammiralianæ factionis adoleſcenti, auctore Ammiralio, nupſit. (Antonius ipſe aliquot antè annis ad Rhotomagum accepto vulnere interierat). Ad quas celebrandas nuptias ipſe Lutetiam cum partium principibus ac magna clientum manu, maiori propè, quàm rex ipſe traheret, comitatu venit, adeo comiter à rege acceptus, vt cum nemine familiariùs verſaretur, neminem frequentiùs conſilijs adhiberet: in quibus de bello Belgico aduerſum Hiſpanos agitaſſe eum, non ignorabatur; quæ cauſa Philippo fuit, vt traditum à nobis eſt, retinendæ cum fratre in Italia claſſis, nequid Galli impulſore Ammiralio aduerſum ſe molirentur. Prodijt inde rumor (ſiue indicium eius rei ali-

quod

quod extiterit, ſiue reginæ commentum id fuerit, quò minus inuidiæ haberet dolus, quem ipſa Ammiralio ſtruebat) tam frequentes Hugonotos Pariſios conueniſſe, non inuitatu regis, ſed clàm inita coniuratione, regis ipſius regiæque domus, nullo tum ſatis firmo præſidio ſeptæ, per nuptiarum occaſionem opprimendæ. Et regina, ſeu vero metu ſiue quò ipſa ad omnes caſus paratior eſſet, regiam opportunis militarium hominum ſtationibus diſſimulanter, nequam ſuſpicionem præberet, muniebat. Id dum fieret, euenit vt rediens à regia domum Ammiralius à latente inſidiatore, qui in prætereuntem ſclopetum excuſſit, graue in dextera manu vulnus acciperet. Duplex exinde fama eſt: alij id totum Guiſio facinus aſſignant, ipſiusque inſidijs appetitum Ammiralium eſſe, contendunt, ex cuius clientis domo, quæ tum vacua de induſtria habebatur, adactum telum fuiſſe conſtat: &, cùm inexpiabiles inter ipſos inimicitiæ atque hoſtile odium intercederet, quanquam regi vterque receperat, donec Lutetiæ eſſent nihil pro priſtina ſimultate acturos; tamen paternæ cædis ſtimulis agitatum adoleſcentem temperare ſibi nequiuiſſe, quin ijſdem Ammiralium peteret dolis, quibus parentem ſuum ab eo meminerat interfectum. Alij, Catharinæ regis matris inſtinctu conſilioq. eas compoſitas inſidias fuiſſe, pro non dubio affirmant: eam infenſam iam tantis Ammiralij opibus, quas ipſa initio aluerat, eſſe cœpiſſe, nimiamque potentiam eius formidare, nec eo viuo quietum vnquam habituram regnum, credere: & ſuper tot clades, quibus conuulſa Gallia eſt, tot pericula, quibus ipſa rexque & filij ægre euaſerant, priuatim quoque iratam illi fuiſſe, quòd, de ſe contumelioſè & parum pudicè locutum, acceperat. His accenſam, tollere tam infeſtum

Ammiralius ſclopeto vulneratur.

domui

domui ſuæ hoſtem, ſtatuiſſe, &, quem armis atque vi palàm abſumere nequiuerat, dolo atque inſidijs opprimere: neque enim non antea eam talium facinorum conſciam participemque fuiſſe, aut audacia aſtuque & artificio ſtruendæ fraudis ipſo minùs vafram ſolertemque Ammiralio. Ab ea igitur per nuptiarum occaſionem falſum, ac ſpe Hiſpanienſis belli, cuius cupidine ille flagrabat, captatum, cum factionis principibus in Pariſios perductum eſſe, &, quò incautiorem exciperet, omni genere comitatis honorisque permulſum. Ab eadem appellatum Guiſium, indignaque patris eius nece commemorata adoleſcentem ad vltionem incitatum compulſumque, cupidum quidem & nihil non auſurum, quò paterni ſanguinis pœnas ab inteſtabili inimico expeteret: ſed, datam regi fidem, obijcientem, negantemque fallere promiſſum velle, quòd vereretur, ne inde & regem ipſum ab ſe, & omnem Galliæ nobilitatem alienaret, ſi deceptæ fidei crimine argueretur. Sed, cùm regina, ſtatus Galliæ regiſque intereſſe, ferens, id ab eo pro iure imperij ac pro fide, quam regi reique publicæ deberet, exigeret, paruiſſe iuuenem; acceptis tamen antea literis reginæ manu ſcriptis ſignoque impreſſis, quibus voluntas eius auctoritasque continebatur: ac tum demum ab eo percuſſorem ſummiſſum. Sed, ſiue reginæ iuſſum id ſiue Guiſij auſum fuerit, ad Ammiralium inter ſuorum manus domum ſublatum fit ſubitò vndique ab Hugonotis concurſus: ita, indignatione, clamore omnia miſcent, non Guiſium magis quàm regem ipſum increpant: niſi ipſe facinori annuiſſet, neminem id auſurum fuiſſe, fremunt. Renunciantur ea regi, vt multorum opinio fert, ignaro adhuc matris conſilij, qui ſtatim matre ipſa aſſumpta ad viſendum Ammi-

ralium in eius domum venit, vltionem quæſtionemque ea de re acerrimam habiturum ſe, pollicitus: ac ſtipatores corporis ſui, qui Ammiralij domum à vi cuſtodirent, in honorem eius reliquit. ſed Hugonotorum minacibus dictis ipſum quoque ſuſpicione aſpergentibus vehementer offenſus cùm diſceſſiſſet, inſtigante iramque eius accendente matre, à qua ille regi ſe regnumque patiebatur, nec poſthàc tantam habiturum occaſionem omnes vno tempore inimicos opprimendi, oſtendente; tollere vexatorem illum regni ſui, nec infenſum immitemque hoſtem viuum relinquere, capitaque ſeditionum velut vno ictu omnia præcidere, conſtituit. Neque enim dubitabatur, ſi inde miſſi forent; quin bellum renouaturi atrocius, quàm vnquam antea, atque infeſtiùs cæde, direptionibus, odijs internecinis graſſaturi, iterumque regnum ferociſſimis nationibus aperturi eſſent. Nam ne Ammiralius quidem ipſe aculeis minisque temperauerat: qui conſolanti ſe regi, & (vt aſſolet) ſpem facienti leue & curatu facile vulnus fore, Non magni, inquit, refert, ſi ſauciam ac debilitatam manum habeam: caput enim menſque vigent, ad reliquaque vigebunt. Conſilio habito, matre ac fidiſſimis amicorum adhibitis, agendæ rei negocium maximè Guiſio datur. Is, quò ſecuriores Hugonotos atq; eò incautos aggrederetur, ſimulata regis in ſe ira Lutetia cum omnibus ſuis diſcedit. Idem noctu, quæ X. Cal. Sept. anteceſſit, in vrbem regreſſus, vt conſtitutum erat, ſocio ſibi aſſumpto regis fratre ex concubina nato, lætus, in vindicanda regis maieſtate capiendæ de patris nece vindictæ præclaram ſibi datam eſſe facultatem, Ammiralij domum inuadit.

Rex Ammiralium & ſocios tollere cōſtituit.

Agendæ rei negocium Guiſio datur.

HAVD ſaniora apud Ammiralium conſilia agitata interea fuiſſe dicuntur, ipſo ad vltionem ſui reli-

quos oratione accendente: & Tilinium generum eius, non conſulto ſed facto opus eſſe in tali re, clamantem: eundum in regiam,& proditionem ac perfidiam,regis atque inimicorum ſanguine expiandam, contendentem; vt quiſque vehemens animo, aut manu promptus erat, ſequebantur, cuncta vi atque armis agenda,cenſentes. Cùm vna omnium ſententia fuiſſet, cædem fieri, regem fratresque & quicunque officere conatibus poſſent, tolli: modum agendæ rei Admiralij artibus regendum permittunt. Eum ita orſum rem eſſe ferunt. medio diei (quo tempore infrequentia in regia eſſe conſueuit, & cibo atque æſtu graues plerique omnes aut inermes ſomnum quietemque agitant, aut domum quique ſuam dilabuntur)ipſi diuerſi alius alio itinere tecta palijs arma gerentes, & maximè paruis inſtructi ſclopetis certo tempore regiam intrarent, acceptoque ſigno ſuum quiſque negocium exequeretur. Diuiſerat autem ita partes:Rocaſocorius regem tanquam de magnis rebus acturus adiret, atque interficeret: Tilinius adoleſcentulam reginam, & Mongomerius regis matrem necarent: Briomorus Henricum, & Vidamius Alenconium regis fratres opprimerent: Piles Guiſium & Niuerſium aggrederetur, & Baſciauanes Nauarræ regem occideret. Hunc tollere adoleſcentem, quanquam factionis eiuſdem, decreuiſſe dicuntur, ſiue elato ac minimè obnoxio eius ingenio non fideret Admiralius, ſiue quia Condæo regnum deſtinantes veriti ſunt, nequo diſſidio inter eos aduerſariorum partes ſuſcitarentur. Condæi enim opportunius Admiralii conſilijs ingenium erat: nam regium nomen penes adoleſcentem, imperium penes ſe eſſe ille volebat. Dum in alium diem dubitando circumſpiciendoque omnia Admiralius rem

Regis, & aliorum interimẽdorũ traditus ab Admiralio ordo,

differt, ſuum cum occupat fatum. Hæc enim ipſa indicata regi, vt maturaretur res, effecere. Quanquam, hæc quoque ſic vulgata confictaque ab regina, ſunt qui exiſtimant; vt inuidia occiſi Admiralij, atrocitate ſceleris eius, aliorumque qui cum ipſo interfecti ſunt, leniretur. Sed Guiſius paulo ante lucem aggreſſus vi atq; ferro Admiralij domum expugnat, atque eum immiſſo milite obtruncat. Deprecantem mortem, & ætati ſuæ parci orantem adoleſcens Germanus, qui Franciſco Guiſij patri inter nobiles pueros domeſtica miniſteria præſtare principibus ſolitos deſeruierat, idque ſibi munus depopoſcerat, cum exprobratione perfidiæ atque impietatis, multis vulneribus confecit, & ad Guiſium aditum in ædes obſeruantem, è feneſtra in viam præcipitauit. Ferunt, Admiralium primis vulneribus prolapſum vt mortuum iacuiſſe: vbi Guiſium clamantem de via, & ad ſe deuolui præcipitem de feneſtra iubentem audiuit, tollentibus ſe obnixum manibus, nouisque precibus, ne in extremam iam agentem animam vltrà ſæuirent, per fidem eorum obteſtatum iuuenes eſſe: tum ab eodem Germano repetitis vulneribus confoſſum proiectumque. Guiſius, cùm mortuo perfidioſam patris necem, ac tot ſcelera, tot patriæ clades, tot ciuium cædes obiectaſſet, feram ſed debitam tandem Deo hominibusq. penam parricidam ſoluiſſe, ferens, corpus vrbanæ plebi ad arma vocatæ tradidit. Illi abreptum pedibus trahere, vexare, vti in ſentientem probra contumeliasq. iacere ſæuireq. Multitudinis ipſam ſe concurſu impedientis, lacerare, contingere, ac participem fieri certantis partem Pariſienſis iuuenis ab ſciſſo capite, & conto infixo abiens in ſe auertit. Ita bifariam cadaueri per vias, per fora, per totam raptato vrbem eſt illuſum: poſtremò ad carnificinam extractum altero pede ſu-

Admiralij nex.

Cadauer præcipitatur e feneſtra.

Atrociter vexatur, laniaturq.

ſpen-

ſpenderunt, proditoris patriæ & parricidæ pœnam eam eſſe, clamantes. Hunc demum vitæ finem eſt nactus Admiralius, poſtquam ſe ex equeſtri loco in eam fortunam opesque extulerat, vt propè alteram in Gallia regiam habuerit, duobusque maximis regibus Galliæ, atque Hiſpaniæ formidini ac terrori fuerit. Nam Philippo quidem etſi arma ipſe nondum intulerat, tamen & Belgas ab eo alienauit, compulitque ad defectionem, & confirmando inde Auran-gio, concitandisque Germanis magno ac difficili bello implicuit: regem Galliæ ſæpe in regni ac vitæ diſcrimen adductum, quoties armorum piguit, accipere ab ſe, non dare leges pacis coëgit. Id omnino mirandum in eo viro fuiſſe videtur, quòd & externis bellis, quæ Galli cum Hiſpanis geſſere, bis captus, & hoc ipſo inteſtino Galliæ diſſidio, cuius caput concitatorque fuerit, ter acie victus profligatusque, nuſquam ipſe victor; tamen ita voluntates ſuorum ſtudiaq; non amiſit, vt ex cladibus ſuis validior ſemper ac maior emerſerit. tanta vni auctoritas, tanta in reparandis rebus induſtria fuit. Et ſatis conſtat, callidiorem quàm fortiorem ducem eum fuiſſe: in conferenda pugna adeo timidum ac diffidentem, vt neque dimicationis vltimæ diſcrimen ſubierit vnquam niſi coactus: &, in magna peritia deligendi locum, collocandique aciem, qua euaderet victus quàm quò vinceret hoſtem, ſolertiùs ſolitum prouidere, atq; exquirere, tradant. Trucidati eodem impetu ſunt Rocafocorius, Tilinius, Pardilionus, Amboſius, Piles & alij factionis principes. Mongomerium adeo concupiuit Guiſius, vt fugientem aliquot paſſuum millia ſit inſecutus. ſed ille cognita in tempore Admiralij morte ſe periculo proripuerat, continentique inde fuga in Angliam traiecerat. Atque hæc

Admiralij elogium.

Trucidatorum cũ Admiralio Principũ nomina.

Mõgomerius fuga sibi conſuluit.

in vnum Admiralium paucoſque principes. Quæ inde paſſim cædes editæ ab irato populo ſint, haud facilè quiſquam pro rei magnitudine enarrarit.

Mirum, cur Pariſij Hugonotorum peſte nūquā contaminati ſunt.

PARISIORVM ciuitas præter ceteras Galliæ ciuitates Hugonotorum odio flagrabat, nunquam ſectæ illius contagione contaminari ſe paſſa. Quæ res nobis cauſam non cernentibus miraculo eſſe ſolet. ibi enim regia Galliæ atque caput rerum eſt: quanta hæc ex concurſu tot hominum ianua ad nouas res importandas? In eandem vrbem ex omnibus gentibus nationibuſque literarum cauſa ingens multitudo, altera propè ciuitas, confluit. Vrbis ipſius magnitudo tanta, vt quingenta millia hominum capita cenſeri in ea dicantur. Cui monſtri ſimile non videatur, in tanta omnis generis colluuione, in tanta licentia atq; impunitate, quò tot quotidie viri principes ea inquinati labe, tanto veneni fundendi in alios ſtudio, conueniunt, incorruptam ab illo morbo ciuitatem conſeruari potuiſſe? Adde, quòd ei mater regis Momorantium Annei filium præfecerat, magna ambitione id ab ipſa petentem non ob aliud, quàm vt ciuitatis iram in Hugonotos leniret, populique partem aliquam ad ſtudium nouorum ſacrorum attraheret. Captans omnibus inde blanditijs plebis animos, grauiùs, quia ſuſpecta indulgentia erat, offendit: coactuſque eſt periculo vitæ, cui ſæpe comperit vim parari, excedere vrbe. Ab ijs enim & placitis & hominibus vt à peſte ciuitas abhorrebat: vſqueadeo vt, niſi rex edictis pœniſque odium compeſcuiſſet, nunquam manus ab auctoribus abſtinuiſſet: ac ne ſic quidem contineri potuerunt, quin multos eorum ſæpe occiderent. Tum verò eam nacti licentiam, atque inſuper à Guiſio incitati, vt rabidæ feræ arreptis armis irruunt, primorum domos expugnant,

cædunt,

cædunt, laniant, cruore, cadaueribus luctu omnia complent: omnia captæ vrbis ſimilia faciunt: quicunque obuiam datur noxæ eius ſuſpectus, ſine vllo iuris, amicitiæ, hoſpitij diſcrimine pro hoſte trucidant. Fugientes nulli receſſus, nullæ tegunt latebræ: vbique peſtis, vbique interfectores adſunt: omnia infeſti ſcrutantes turpibus quoque atque obſcœnis abditos locis eruunt, tractoſque in apertum iugulant. Briomorum vnum è coniuratis capillo barbaque abraſa, ſeruili veſte indutum in Anglorum legati ſtabulo ſtrigili tergentem equos inuenere, abreptumque in forum ſupplicio affecere: non generi, non ętati, non formę, non ſexui parcunt. Multę fœminę iuxtà illuſtres humileſque aut ferro necatę, aut pręcipitatę in flumen periere. Haud ferè accidit, vt ab hoſte infenſo, irato, internecino in vrbe diu obſeſſa, magno labore atque vi capta auidiùs atrociùſque in victos ſęuitum ſit, quàm tum illi non ſolùm hominum eiuſdem gentis, moris, ſermonis, cultus, ſed neceſſariòrum, contubernalium, hoſpitum, amicorum ſanguinem hauſerunt. adeo in hominum animis omni affectui religio prępollet: & multitudo, vbi concita fuerit, modum tenere vllum neſcit. Regem Nauarrę, & Condęum adoleſcentes propinquos ſuos rex initio tumultus ſomno excitatos penes ſe habuit, ſeruauitque: eorum domus captę à plebe, occiſiſque omnibus direptę ſunt. Ægre quarto pòſt die, magis quia non ſupererant in quos ſæuirent quàm auctoritate regis, à fœda trucidatione reuocari potuerunt. Nam poſtquam ſatiati cædibus ſunt, vna diſcurrentis ac laſciuientis plebis vox audiebatur, Aut templum adi, aut mergêris flumine. Hac moniti voce, quos formido imminens vrgebat, ruere ad ſacra, & rei diuinæ magna

Hugonotorũ cædes maxima.

Plebis ad Hugonotos verba.

cum ſimulatione religionis intereſſe: eaque res ſaluti permultis fuit. Sed non hìc mactandi atque occidendi finis. Peruaſit celeriter vniuerſum regnum non fama magis, quàm exemplum Lutetianæ cædis: atque, interfecto Admiralio principibusque alijs, acciſas perditasque partium illarum res, rati, ſingulis oppidis vrbibusque veluti ad extinguendas reliquias coniuratorum exurgunt, arreptisque armis ſanguine ac cæde graſſantur. Hugonotos territos principum ſuorum caſu, nec vſquam valida manu coëuntes cædunt, fugant, ſpoliant, diripiunt. Haud vllo vnquam bello tot millia hominum vno tempore Gallia amiſit, quot tum vno propè impetu à ciuibus toto regno interfecta dicuntur. In his octingenti milites fuere, quos Admiralius in Belgas Aurangio aduerſus Philippum auxilio miſerat, à bello tum fortè redeuntes, qui ad vnum in Picardia trucidati ſunt.

Toto regno Hugonoti trucidātur.

REX, conuocatis in maiorem curiam ſenatu Pariſienſi proceribusque, populo item admiſſo, à matre ita inſtructus, quò rei infamiam in ipſos qui perierant auerteret, literas atque indicia protulit, quibus, coniuratum in ſe ſtirpemque ſuam ab nefarijs hominibus, compertum eſſe ſibi, aiebat. Commemorauit inde ſuperiorum annorum bella, quibus regnum toties in vltimum adductum diſcrimen vna Dei benignitate ſtetiſſet: item dolos atque inſidias vitæ ſuæ factas. Quid ſe tam crudeliter de ijs meritum, vt, viuere & communi ſpiritu frui, pati non poſſe viderentur, quibus ipſe tam ſæpe, tam clementer ignouiſſet, & dignitatibus ac honoribus ſuis reſtitutos auctosque placare beneficijs conatus eſſet? Et vt dignus ipſe, in quem tam ſceleratam coniurationem conciperent; quid matrem,

Regis ad Senatū, & populū oratio.

quid

quid fratres ſuos commeruiſſe, quid verò nouam nuptam prægnantem & partui proximam: quos omnes pariter occidere & contrucidare ſtatuerant? Cùm ſub hanc orationem obortæ lacrymæ fletusque miſerantium regis pericula, regnique mala eſſent; rex, illos quique ſectam eorum ſequerentur omnes, tam qui Lutetiæ quàm qui alibi cæſi eſſent, iure cæſos: qui aufugiſſent, parricidij damnatos, eorumque pecunias, res, bona, publica eſſe, pronunciauit. Id verò facinus & liberauerat ſuſpicione Hiſpanos aut ſuſpicionis obtentu, & motam à Lotharingio Cardinale ſpem de Turcici belli ſocietate auxerat. Nam & Cardinalis fratris filius Humenæ Dux eo anno cum egregia Gallicæ iuuentutis manu voluntarius miles in Veneta claſſe bello interfuerat: & Guiſium ipſum vel priuato conſilio cum haud ſpernendis Gallorum copijs militaturum Pontifici, idem Cardinalis pollicebatur. Qua excitatus oratione Gregorius, ſimul vt regi Admiralij interitum, quo tum demum potens regni ſui factus videbatur, gratularetur, ſimul ad explorandum eius de Turcico bello animum, legatum in Galliam miſit Flauium Vrſinum Cardinalem, magnaque celeritate proficiſci ab Vrbe iuſſit. Sed breui apparuit, & Gallos longè ab ea cogitatione abeſſe, & Lotharingium ea locutum ad permulcendum alliciendumque Gregorij animum, à quo ipſe Galliæ legatus creari impenſiſſimè cupiebat. Nam Iohannes Michaëlius, quem Veneti poſt cædem Admiralij in Galliam miſerant, à rege poſtulauerat, vt pacificatorem ſe arbitrumque componendæ cum Turca concordiæ interponeret, eamque rem auidè ſuſceperat rex, cuius conducere rebus videbatur, non opprimi Venetos, ab Hiſpaniſque diſiungi. Qua de re, occulta conſilia Michaë-

Flauius Vrſinus Card. in Galliam legatur.

lium cum Gallis habere ſenſerat Saluiatus, quem ſuprà miſſum in Galliam à Pontifice docuimus, vir ingenij magni, magnæque induſtriæ, & regi, matrique, quam propinqua affinitate contingebat, ab ijſdem laudibus percharus perque familiaris: deque eo Gregorium per literas monuerat. Sed tùm, vrgentibus maximè Venetis ſocios ad armorum atque belli apparatus, intentiſſimèque ipſis in eam curam incumbentibus, creditum parum eſt Saluiati literis; quibus non multo pòſt rei exitus fidem affirmauit.

Maximilianus alienus à fœdere.

A MAXIMILIANO Cæſare nouæ ſpes oſtentabantur. Is, vt ſuprà tradidimus, abhorrens ab armis, certusq. pacem quanquam ex barbarorum fluxa nec vnquam ſancta fide pendentem non abrumpere, ſpem tamen ducere Pontificis Venetorumque vehementer optabat. ac tum alienior à conſilijs belli erat, quòd, mortuo rege Poloniæ nemine ſuperſtite regiæ ſtirpis, Maximilianus Erneſto filio ſummis ſtudijs regnum petebat, quod adeptus, ingenti incremento communiturum ſe res ſuas, ſperabat. Ea res magnam pecuniæ vim conciliandis principum gentis animis poſtulabat: & Poloni pace Turcarum gaudebant. ſed regis comitia, vt antea diximus, eum euentum habuere, vt filio Cæſaris graui repulſa poſthabito Henricum regis Galliæ fratrem Poloni prætulerint. Ceterùm Maximilianus de fœdere ac ſocietate cum Pontifice eo ſtudioſiùs agitabat, quo certior abſtinendi armis erat. Ad id, quod à Commendono Cardinale petierat, quinque peditum millia addi ſibi impetrauerat à fœderatis nihil ei negaturis, vt ipſum Germanosque in partem traherent belli. Conuenerat igitur inter ipſum & Iohannem Delphinum Epiſcopum Torcellanum legatum apud eum Gregorij, vt ei XXVM. peditum, quatuor

Henricus Galliæ regis frater, Poloniæ rex creatur, repulſo Erneſto Cæſaris filio.

millia

mille & quingenti equites darentur; quorum pars tertia ex Italis reliquæ duæ partes æquè ex Hiſpanis Germaniſque ſcriberentur: Maximilianus ipſe haud minores, quàm quantas à ſocijs acciperet, copias haberet. Hunc exercitum menſes continuos ſex fœderati præſtarent: ac per hiemem quoque parem, ac ipſe Maximilianus haberet, militum numerum in præſidia, vt belli vſus poſceret, diſtribuerent. atque id fœdus perpetuum eſſet. Optarat Cæſar, addi in fœdere, vt qui eorum à ſocietate deſciuiſſet, is ab alijs pro hoſte haberetur, eique Pontifex dira nunciaret ac ſolenni carmine exeratione que, communione piorum interdiceret. Hac abſtinere tum pœna eſt viſum; conceſſum, vt tertio quoque menſe pecunia in ſtipendium militum Auguſtam Vindelicorum mitteretur: inuentique in ea vrbe locupletes & pecunioſi mercatores, qui ſe ſponſores darent. His conditionibus Cæſar, quò bellum ſpe ſui foueret, arma in Turcas ab Vngaria eo anno moturum, Pontifici profitebatur. quippe defuturæ illi cauſæ, tempus conſiliaque prolatandi, nunquam erant, dum Germanorum conuentus agit, dum milites, dum pecuniam ab ijs auferre contendit. Eius rei nuntio ad Gregorium perlato acciri extemplo ad ſe Theupulum Venetorum legatum iubet, lætusque ei, perductum in ſocietatem belli Maximilianum, ait: iubetque de eo ſenatum facere certiorem. Rex quoque Luſitaniæ, claſſem ſuam eo anno in Græciam miſſurum ſe, pollicebatur: & ipſe Pontifex, quò adderet Venetis ac reliquis animos, augere ſuarum nauium numerum parabat. Hæ ſpes, quanquam in vanum euaſuræ, &, quod Venetos non latebat, tantùm nutriendo bello à Cæſare oſtentatæ, vt grauiùs pax ab ijs cum Turcis facta acciperetur, fecere.

Cōditiones fœderis cum Maximiliano.

IAM appetebat æſtas, & Veneti pacta exigentes, vt claſſes Corcyram tranſirent inſtando orandoque, Pontificem atque Hiſpanos fatigabant, cùm ad pr. Non. Apr. literæ è ſenatu Theupulo redduntur, pacem cum Turcis compoſitam eſſe. M. Ant. Barbarus Byzantij literis decemuirum acceptis, quibus finem graui bello imponendi arbitrium ſibi permittebatur, præterquam quòd & parere decemuiris oportebat, & ipſe ità conducere tempori reip. arbitrabatur, ſuam quoque in eo libertatem & ſalutem verti cernens, in eam cogitationem curamque omni ſtudio intendit. Regis Galliæ legatus, qui Byzantij erat, feruenter ſe ex regis ſui literis in eam rem interpoſuerat, cùm Mahometem ſæpe vrgendo ſolicitans, tum percupidum ſe nauandæ Veneto operæ oſtendens. Eo Mahometes difficiliorem ſe magisque auerſum à pacis conſilijs præferebat. illum enim pacificatorem aſpernabatur, ſociumque eius rei, quam totam deberi ſibi, ſuumque vnius opus efficere velle videbatur, neminem admittebat. Senſit M. Antonius, Gallum minimè idoneum ad eam rem miniſtrum eſſe. Itaque, cùm ipse domi clauſus teneretur, appoſitis poſt nauale prælium cuſtodibus, nequis adire egrediue ab eo niſi de voluntate Turcarum poſſet, ſimulato morbo impetrat, vt idem Salomon Iudæus medicus, cuius opera in eadem re antea vſum, quemque Mahometi ab eadem arte perfamiliarem fuiſſe, ſuprà tradidimus, ad ſe viſendum veniret. Huic donis ac promiſſis accenſo cùm oſtendiſſet, & patriæ quieti ſe, & ſaluti ſuæ conſultum cupere, neque in illa tabeſcere cuſtodia velle, profitentem vltro ad omnia ſtudium fidemque ſuam orat, vt perficiendæ pacis inter Turcas Venetosque, quod ei & in præſentia fructui, & gloriæ ad poſteros futurum eſſet,

Literę de pace cũ Turcis cõposita Romam perferũtur.

Salomon Iudæus medicus paci componendæ adhibitus.

negocium

negocium ſuſcipiat. Haud cunctanter Iudæus digreſſus à M. Antonio, opportunè adiens ad Mahometem rem defert, & ipſum in idem conſilium propenſum, & magnas tum in paranda claſſe belloque difficultates experientem. Ceterùm vbi de conditionibus eſt agi cœptum, Mahometes, Corcyram, Catarum, Buduam tradi regi, magnamque auri vim in belli ſumptum pendi, poſtulabat. M. Antonius, quæ reſp. ante bellum poſſediſſet, eorum nihil daturos Venetos, præciſè conſtanterque reſpondit. LXM. nummùm aureorum honoris atque muneris loco regi offerebat, & præterea Sopotum, quod de Turcis Veneti cepiſſent, dabat: ſed ita, vt pro eo Turcæ agros Dalmatiæ vrbibus ademptos reſtituerent. Mahometes de Corcyra remiſit: Catarum vtique ac Budua niſi traderentur, negat, mentionem pacis auribus admiſſurum: &, pro inſito tumore ac ſuperbia barbaris, iratus ſupplicium minatur Iudæo, ſi ad ſe his non extortis oppidis rediſſet. An igitur, inquit, anno CIↃ. IↃ. XXXIX. vt pacem à Solimano impetrarent, Nauplia Epidauroque munitiſſimis vrbibus, ac omni inde Peloponneſo abiere Veneti; Selimo non magnam alteram, ac peſtilentia cladibusque belli vaſtatam vrbem, alteram ſemirutam ac pæne deſertam cultoribus dedere grauarentur? Simul, vt magis terreret Venetum legatum, rumores ſpargit, tercentas longas naues, parem minorum nauigiorum numerum, quantam nullus ante eum rex Turcarum habuiſſet claſſem, effecturum, regemque ipſum ingentibus non Europæ ſolùm, ſed totius Orientis ſubnixum viribus bello interfuturum, terras exercitibus, maria claſſibus impleturum. Sed Venetum haud ignarum barbarorum vanitatis magis ſuæ reip. anguſtiæ neceſſitatesque, quàm hæc terricula, mouebant.

Cōditiones pacis, de quibus agi cœptum.

RES

RES diu actitata, poſtremò, cùm ad Mahometem de ijs, quæ decreta Romæ in eum annum, fama perueniſſet, ne obſtinatiùs tendendo rem cœptam interrumperet, grauiorique quàm antea bello implicaretur, iuſſo venire ad ſe M. Antonio, ita pax inter eos conuenit: Veneti Sopotum in Epiro reſtituant Turcis cum omnibus tormentis bellicis, quæ in eo ceperant: oppidanis, qui manere nollent, poteſtas fiat abeundi cum rebus, quas ſecum ferre poſſent. Oppida, quæ quiſque poſſideat, ea habeat ſibi, ſingulisque ager finesque ijdem, qui ante bellum fuiſſent, remaneant, atque eo quod quiſque occupaſſet agri decedat. Pro inſula Zacynthi nummos mille quingentos tributi nomine ſingulis annis Veneti regi pendant: cùm ante bellum quingentos pendere ijdem conſueſſent. Nummùm item aureorum tercenta & quinquaginta millia præſentia perſoluant regi: Mahometi pacis conciliatori LM. data. Additum, vt mercatoribus vtrinque libertas resque redderentur. quæ non comparerent, pro his æſtimatione facta pecunia reponeretur: in ceteris antiquum fœdus cum Solimano ictum ſeruaretur. Hæ pacis leges fuere. Quas M. Antonius cùm ſcriptas regi obtuliſſet, vt præſens ab eo iuſiurandum exigeret, ferunt, barbarum, minaci obtutu accepto legato ac ne verbo quidem compellato, iuraſſe, ita ſe eas leges ſanctas eſſe habiturum, ſi nihil Veneti commiſiſſent, quo maieſtas imperij Turcici violaretur, hoſtesque ſuos non re, non conſilio iuuiſſent. Hæc qui Venetias perferret, Franciſcum filium M. Antonius miſit. Is iuuenis haud ignarus, quanta de re nuncius iret, quanta nemo ante eum celeritate, vigeſimo die, poſtquam Byzantio diſceſſit, Venetias venit: &, vt erat ornatu Turcico indutus,

Leges, quibus firmata pax eſt.

Frãciſcus Barbarus M. Antonij filius Pacis nũcius Venetias aduolat.

ad

ad principem perrexit, ad quem forte tum decemuiri de ſumma reip. conſultantes conuenerant. Lectis M. Antonij literis placuit, iuuenem retineri in curia, occultarique in ſequentem diem eius aduentum, quò non antè efferretur res, quàm de ea relatum ad ſenatum eſſet: prouidebant enim, magnum motum animorum ad inexpectatum nuncium futurum. ſed in ſenatu, decemuiris cauſas ſui conſilij difficultatesque, quibus reſp. premeretur, exponentibus, relata acceptaque pax eſt. Eadem edita vulgataque per ciuitatem intentam, tum maximè in armorum cogitationem, quanquam graui onere collationum ac tributorum, & cura metuque ancipitis belli leuaretur, multisque priuatim ex mercaturę commercio priſtini redituri quęſtus eſſent; tamen ita defixit ſtupore ac ſilentio animos hominum, vt, tanquam detectis tùm demum reip. plagis, ac veluti ſi clades, non pax publica, nunciata eſſet, mœſti ſilentesque homines, nec damnantes quod neceſſitate expreſſum putabant, nec probantes, inter ſe plures per dies egerint: & ciuitas à primordio ſui pacis ſtudioſa, quęque pacis artibus in eam amplitudinem peruenerat (adeo ignara ſui eſt omnis multitudo) lætata antè belli nuncio, triſtis tum pacis nomen acceperit. At ceteris in ciuitatibus regnisq., vbi nec ſenſus idem, nec ſcientia præſentis rerum ſtatus erat, tanta indignatione accepta res eſt, vt nuſquam Veneti ciues, ac ne legati quidem iure gentium inter barbaras quoque atque immanes nationes tuti, periculo caruerint. Nam Viennæ Cæſar, tanquam non maximam ipſe cauſam ei paci cunctatione ac fruſtratione ſua præbuiſſet, cùm, cogitaturum, quid ſibi aduerſus fidei publicæ ruptores ſtatuendum eſſet, Iohanni Corario Veneto legato reſpondiſſet; nulla res legatum ipſum ab hominum

Venetijs quo motu animorũ pax accepta.

In reliquis vrbibus quãta cum indignatione audita ſit.

Quid egerit Cæſar ea cognita.

iniuria magis protexit, quàm quòd incluſus domi opportunum ſe iratis, & Venetum nomen per ſummam contumeliam paſſim vſurpantibus non præbuit. Quanquam Maximilianus haud multo pòſt, denunciante Veneto, ſe è Germania abiturum renunciaturumque ei amicitiam eſſe; cùm, Hiſpanos ipſos nihil ea pace moueri ac ne indignari quidem magnopere, accepiſſet, Venetum benignè appellatum in priſtino honore & ipſe habuit, & haberi à ſuis iuſſit. Nam Philippus legato Veneto, ciuitatem ſuam, cùm diutius grauis & dubij belli onus ferre non poſſet, coactam neceſſitatibus pacem cum hoſte compoſuiſſe, nuncianti, nihil commotus, & in armorum ſocietatem veniſſe ſe auctoritate Pontificis, ac religionis ſtudio, reſpondit, &, Veneti ſenatus eam ſcire prudentiam eſſe, vt nihil temere factum ab ijs credere poſſit: ſat habere ſe, quòd intelligant homines, neque in ſuſcipiendo bello animum ſibi, neque in gerendo conſtantiam defuiſſe: deponendi autem eius arbitrium, pati, penes eos eſſe, quorum cauſa cœptum fuiſset.

Philippus rex moderate nuncium pacis accipit.

AT Romæ Paulus Theupulus acceptis circiter meridiem ſenatus literis, quia tum Gregorius animi cauſa ſeceſserat Vrbe in Altaempſianam villam Tuſculani agri duodecimo ab Vrbe lapide; eò celeriter contendit, admiſsusq. ad Pontificem, ecquid læti nuncij eo diei afferret, quærenti mandata ſenatus exponit. Ad primam pacis mentionem ictus interpellat loquentem Pontifex, atque fari plura prohibitum è conſpectu ſuo abire confeſtim iubet. Humilibus precibus dictiſque conantem lenire iram, exurgens ipſe atq; inde aliud in cubiculum tranſiens deſeruit, denunciariq. illi iuſſit, vt properè inde abſcederet. Regreſsus Romam Theupulus domi ſe, nequa vis aut à plebe, aut à militibus (quorũ ma-

Gregorius Pontifex Venetũ legatum de pace nunciantem ſeuere cõſpectu prohibet.

gnus

gnus in Vrbe numerus erat Neapolim, vt ibi naues conſcenderent, euntium, fieret, præſidio amicorum communit. Militum pleroſque in Vrbem rediens obuiàm habuerat, ingenti periculo ſiquid illi de pace perſenſiſſent; cuius etiam emanaſſe Romæ rumorem inuenit. Patauinus enim quidam familiaris eius, cùm redditas ſibi à ſenatu literas perlegeret, ſtans poſt tergum illius animaduerterat in epiſtola factæ pacis mentionem, profectoque Theupulo, rem Cardinali Cornelio indicauerat. At Pontifex vehementer eo nuntio conturbatus eadem nocte in Vrbem rediit, indiciq. in ſequentem diem ſenatum iuſſit. Nouitas rei, vt cauſa quoque ſtatim vulgaretur, effecit: adeoque mouit hominum iras vt, ſi animis concitatis qui ſe præberet ducem inuentus eſſet, impetum in legati domum facturi viderentur: quin pleríque ne interdiu feneſtras ædium foreſque lapidibus inceſſerent, contineri non potuere. Venetos certè tota Vrbe, haud aliter quàm publicæ rei proditores, omnibus contumelijs inſectantes appellabant: multis etiam priuatim iniuriæ factæ. nec quicquam per plures inde dies inuiſius aut execrabilius apud mortales Veneto nomine fuit. Philippi legati cæteris moderatiùs rem accipere viſi ſunt. Poſtera die, cùm in curia Cardinales omnes conueniſſent, Gregorius, quò inuidia maiori factum oneraret, expoſuit ijs, ſolicitante atque agente ſe, paulo antè Maximilianum Cæſarem pertractum in ſocietatem Turcici belli fuiſſe, & regem Luſitaniæ nunciari ſibi per legatos ſuos iuſſiſſe, velle ſe fœderi adſcribi: nec deſperare, regem quoque Galliæ certis conditionibus abduci ab amicitia Turcarum potuiſſe: &(quod felicitatis Chriſtianorum fuerat) haud vanis auctoribus perlatum ad ſe eſſe, Tammaſo regi Perſarum mortuo ſucceſſiſſe

Romæ vulgata pax magno cum Venetorum periculo.

Gregorij ad Cardinales verba.

filium, bellicoſiſſimum virum acerrimumque Turcarum hoſtem, & ſtatim inito regno bellum aduerſus eos ingenti conatu apparare; vt, validiſſimorum regum populorumq. ac totius penè orbis terrarum conſpiratione, euertendi barbarorum opes, tollendique ceruicibus noſtris imminentem tyrannidem, haud dubia lux affulſiſſe videretur. Verùm has tantas ſpes, tantos conſiliorum apparatus, Venetos ignauia atque perfidia corrupiſſe, pacemq. fœdam illis, deteſtabilem omnibus clàm cum Turcis feciſſe. Inuectusq. multis inde in eos verbis, fractores fœderum, deſertores Christianæ reip. appellans, quæcunque ijs belli huius cauſa publicè aut ipſe aut Pius conceſſerat, antiquauit: quæque eo anno exacta pecunia eſſet ex certis ſacerdotum bonis, quæ permiſſu eius in belli vſum Veneti vendebant, reſtitui dominis iuſſit. quod eſt ab eis obedienter factum. Militare quenquam imperio ſuo ſubiectum alteri principi, aut reip. iniuſſu ſuo, vetuit: quique conducti abeſſent, edicto domum reuocauit: frumenta ex agro Piceno, aut omnino vlla parte Romanæ ditionis aliò exportari, prohibuit. Item alia aduerſa Venetis ſanxit. Quæ omnia, quanquam grauia, opinione tamen Theupuli cæterorumque leuiora fuere, qui ab ira Pontificis publicaque omnium inſectatione, vt Veneti hoſtes iudicarentur ſacriſque arcerentur, expectarant.

Gregorius iratus Venetis multa contra illos decernit.

THEVPVLVS, vbi non vltra verba proceſſum, &, quod verebatur, nihil à recenti ira atrocius aut præcipitanter conſultum in Venetos eſſe audiuit, haud ignarus ingenij Pontificis, amplectentis magis ſeueritatis laudem quàm in ea perſeuerantis; primò per Cardinales ciuitatis Venetorum amicos nunc deprecari, nunc mitigare ac fle-

ſtere animum eius, nunc etiam monere, ne pergeret ei reip. iraſci, quæ, niſi Italiæ exitio ruere non poſſet: cuius caſu motuue Pontificium maximè Imperium concuti ac labefactari, neceſſe eſſet: Romanæ rei æquè intereſſe, & non minui Venetorum vires, & non creſcere ſupra modum externorum in Italia opes, quæ opprimendæ communi libertati eſſent futuræ. Motum his Pontificis animum Theupulus ſenſit: & quanquam orantem, vt ad purgandam remp. exponendasque, quibus de cauſis ad pacis conſilium deſcendiſſet admitteretur, reijceret Pontifex negans, alibi quàm in ſenatu coram Patribus auditurum; vt, vbi iuncta ſanctiſſimo iureiurando ſocietas eſſet, ibi rationem falſæ fidei Veneti redderent; tamen, reſidere quotidie ac deferueſcere indignationem eius, & vacui animi quietisque amicum non diu eam curam toleraturum, cernebat. Igitur ſatis ſperans, placatum iri, ſi ignoſcendi & animum ad priſtinam lenitatem reuocandi aditum Veneti ipſi cupienti aperuiſſent; ſenatui auctor fuit, vt nouum ad id oratorem Romam mitterent, quò Pontifex nonniſi magnis precibus expugnatus veniam illis dediſſe videri poſſet: id ſatis ei ad opinionem ſeueritatis retinendam futurum. Mittitur continuò è principibus ciuitatis Nicolaus Pontius. Qui tertium & octuageſimum agens annum, feſtinantius quàm pro ſua ætate itinere facto, Romam cùm veniſſet, etſi, Pontificem ſermonibus quorundam incitari vt niſi præſentibus Patribus Venetos non audiret, comperit; tamen Theupulus priuatim conuentis aliquot Cardinalibus, quorum magna apud Pontificem erat auctoritas, per eos rem confecit, vt nihil de priſtino more immutaretur. Ita legati ad Gregorium introducti, cùm Pontius multa dicendi

Theupuli ad placandum Pontificē artes.

Nicolaus Pontius Romam Venetijs mittitur ad Pont.

arte accuratè cauſam reip. egiſſet, &, qua ſpe, quibus neceſſitatibus adducta pacem cum hoſte facere coacta eſset, aptè dilucidèque explicaſset, ipſa quoque ætate, qua Pontificem decem annis anteibat; fouenti inde ſenectutis ſuæ ſpem, magnopere illi conciliatus, non auditi modò benignè & ipſe & collega eius ſunt, ſed rationibus eorum non magnopere aduerſatus Gregorius, tantùm queſtus, quòd non ea ſecum antè communicata eſsent, haud dubijs reconciliatæ gratiæ datis argumentis dimiſit. Pontius non multo pòſt, ſingulis domi conuentis Patribus vbi diſertè eadem apud omnes diſſeruiſset, Theupulo Romæ manente ad muneris ſui functionem, ipſe rep. bene adminiſtrata Venetias redijt.

Idem Pontificem & Card. Venetis reconcilias.

FINIS LIBRI QVINTI.

INDEX
RERVM NOBILIVM, QVAE TOTO IN OPERE CONTINENTVR.

A

ABRAHIMVS è Straſſorum familia. pag. 40. *Legatus à Turcis Venetias mittitur.* ibid. *Venetias ingreditur.* 44

Acangij ſunt voluntarij milites apud Turcas. 173

Acomates ad tutandum Epirum à Turcis mittitur. 162 *Pertaò deditionem Olchinij inuidet.* 163. *eius vinolentia.* 12

Actiacæ pugnæ cum noſtra comparatio. 222

Aegypti reges Cypri domini. 4. *Aegypti regibus vectigalis Cyprus.* 7

Aito Armeniæ rex. 5

Albertus Scottus. 82, *interficitur.* 84

Alexander Farneſius Parmæ Ducis filius. Chriſtianam conſcendit claſſem. 144

Alexandri Donati leuitate Scutara non capitur à Venetis. 160. *Antibaris deditur hoſtibus.* 163. *ipſe voluntario exilio damnationi ſe eximit.* ibid.

Alexandrinus Card. in Hiſpaniam, & Luſitaniam legatur. 137. *eius ad Philippum regem oratio.* ibid. *ad Sebaſtianum Luſitaniæ regem adhortatio.* 139. *Galliæ regem adit.* 141. *Romam redit.* 142

Aloyſii Martinenghi in bello Famaguſtano virtus. 181. *trucidatur.* 188

Aloy-

Aloyſius Bonricius. 41
Aloyſius Mocenicus Dux Venetiarum. 48
Aloyſius Requeſentius Mediolanenſium præfectus Pio percharus. 244
Aluarus Bazanus triremium Neapolitanarum præfectus. pag. 58
Amboſius Ammiralij comes occiditur. 315
Ammiralius. vide, Gaſpar Colineus.
Amurates Selimi filius. 15
Amutus Turcarũ legatus Venetijs comprehenſus. 117
Andima Cypri regio. 2
Andreas Auria. 55. *eius de non adeunda tum Cypro ſententia.* 59. *ſuſpectus Venetis.* 60. 97. *Columnæ æmulus.* 61. *cum eodem altercatur.* 99. *claſſem in Siciliam refert, ipſe Hiſpaniam petit. ibid. maritimæ rei peritia.* 219. *Conſilijs Vlucialis in pugna nauali occurrens immeritò Venetis ſuſpicionem facit. ibid.*
Angelus Sorianus. 102. *eius virtus.* 269
Annæus Memorantius magiſter equitum. 305. *veræ religionis amantiſſimus.* 306 *Hugonotos prælio fundit.* 307. *ipſe cadit in acie. ibid.*
Annonæ ingens in Italia caritas. 31. *eius ſubleuandæ ratio Venetorum.* 32
Antibaris vrbs Turcis deditur. 163
Antonij Roſonei ſacerdotis in defendenda Curzola inuentum. 165
Antonius Borbonius Nauarræ rex in cuſtodia habetur à Franciſco Galliæ rege. 304. *tutor Carolo Franciſci ſucceſſori datur. ibid. eius ad Pontificem legati. ibidem. mors.* 309
Antonius Canalis. 56. *eius de Cypro adeunda ſeutentia.* 57
Antonius Maria Saluiatus Ep. in Gallias proficiſcitur legatus à Pontifice. 260. *magni ingenij vir.* 320
Antonius Perenotus. vide, Granuellanus Card.
Arabum à Turcis defectio. 37

Aſcanius Corneus Auſtrij conſiliarius. 192
Aſtor Balionus militum dux. 63. *Famaguſtam defendere iuſſus.* 66. *Turcis aduenientibus occurrendum fortiter cenſet.* 67. *Nicoſiam ab obſeſſis poſtulatur.* 86. *Famaguſta diſcedere prohibetur.* 87. *tria millia Turcarum ad internecionem delet.* 174. *eoſdem in hiberna abeuntes mire vexat. ibid. incenſo cuniculo Famaguſtæ ingentem hoſtium cladem edit.* 180. *eruptione facta hoſtem fugat; vexillum rapit.* 181. *trucidatur.* 188
Audacia quàm perſeuerantia Turcarum magis propria. pag. 217
Auguſtus Barbaricus Venerio legatus additur. 105. *interimitur in pugna nauali.* 223. *morientis præclara vox. ibid. primus pugnam cæpit & exegit. ibid.*
Auria. vide, Andreas.

B

Baiazetus Solimani filius proditus à rege Perſarum necatur. à patre. 12
Balionus. vide, Aſtor.
Baptiſta Scolumbanus. 86
Barbaricus. vide, Auguſtus.
Barbarus. vide, M. Antonius, & Franciſcus.
Bernardi Theupuli de amouendo Venerio ſuaſio. 237. *reſponſio. ibid.*
Bombardarum tempeſtas quanta vno die in oppugnatione Famaguſtæ. 179. *bellicum inuentum in nauali certamine.* 215
Boncompagnus. vide, Gregorius XIII.
Bragadenus. vide, M. Antonius.
Budua diruitur à Pertao. 164

C

Cæſar Aualos onerariarum in claſſe ductor. pag. 195

Cæſar Piouenus. 82. in Turcas erumpit. 83. interficitur. 84
Caluinus. vide, Ioannes.
Canalis. vide, Antonius.
Candia inſulæ caput. 60
Caracoſſa archipirata. 155. noctu claſſem noſtram explorat. 207
Caramanus Baſſa. 89
Carolus Galliæ rex. 304. Ammiralium & ſocios de medio tollere conſtituit. 312. eius occiſis hoſtibus ad ſenatum, & populum oratio. 318
Carpaſſea Cypri regio. 2
Catarenſium animi per legatum fruſtra tentantur à Pertao. 164. Catari præſidiaria triremes capiuntur à Turcis. 101. oppidum vehementer vexatur ab iiſdem. ibid. proditione penè capitur. 161. pœna proditoris. ibid. obſidetur. 291. liberatur à Iacobo Soranzio. ibid.
Catharina Cornelia Veneta Cypri regina. 8. regnum Venetis relinquit. ibid. obit. ibidem.
Catharina Franciſci Galliæ regis mater. 302. Galliæ gubernatrix. 305. Ammiralio infenſa. 310. ad eum perdendum artes. ibid.
Celſus. vide, Iacobus.
Cerigum veteribus Cythera dicebatur. 158
Cerinea Cypri regio. 2
Cerines oppidum. 66. ſe Turcis dedit. 95
Claſſes noſtræ luſtrantur, & ſupplentur. 193. ſoluunt in Græciam. ibid. illuſtres viri qui Chriſtiana claſſe vehebantur. 194. Corcyram perueniunt. 195
Claſſis Chriſtianæ numerus, robur, & apparatus. 194. inſtructa ad prælium forma. 208. in nauibus collocandis in acie prudentia. 209. minora nauigia ad ſpem fugæ tollendam amota. ibid. bellatorum ante prælium pietas. 210
Claſſis noua apparatus. 249. ſumma. 263. noſtri prouocant Turcas; illi detrectant pugnam. 277. in ipſo por-

tu hoſtem aggredi ſtatuunt. pag. 278
Claſſis nouæ educendæ robur, & ratio. 294. *de claſſe cogenda decretum.* 296
Claſſis Turcarum ad Cyprum accedit. 72. *milites in terram exponit. ibid. eius magnitudo.* 73
Claſſis Venetæ apparatus. 43. *lues.* 51
Claſſium mutuus error, & opinio de hoſtibus. 208
Claudius Gonzaga. 282
Cliſſam vrbem Veneti per proditionem accipiunt. 290. *eandem ſtultè deſerunt. ibid.*
Colineus. vide, Gaſpar.
Columna. vide, Marcus Antonius, Pompeius, & Proſper.
Commendonus Card. *Granuellano pro Venetis reſpondet.* 53. *Pio auctor, vt Columnam Venetias mittat.* 118. *ipſe in Germaniam & Poloniam legatur.* 137. *eius ad Maximilianum Cæſarem oratio.* 146. *Cæſaris reſponſioni ſubiectio.* 149
Condæi regulus habetur in cuſtodia. 304. *dimittitur.* 305. *Guiſij eius aduerſarij. ibid. arma in regem capit.* 306. *euentus prælij. ibid. capitur. ibid. dimiſſus exercitum parat.* 307. *regem propè intercipit. ibid. occiditur. ibid.*
Conſtantinopolis trepidatio poſt naualis cladis nuncium, & vulgi conſternatio. 240
Conſtantinopolitani Imperatores Cypri domini. 4
Contarenus. vide, Franciſcus.
Corneliorum fratrum pium & egregium facinus in pugna nauali. 223
Coſmi Medicis fortuna & magna indoles. 143. *Senas vrbem capit.* 144. *Magni Ducis appellationem qua ratione à Pio impetrarit. ibidem. Cæſarem ea appellatione offendit. ibid. milites in Turcicum bellum qua conditione pollicitus ſit.* 250. *inter eum & Alphonſum Ferrariæ Ducem de dignitate contentio. ibidem.*
Cretenſium agreſtium ſeditio, ſecutumq. ſupplicium. 157

Cru-

Cruſocum Cypri regio. 2
Curzola inſula miro caſu, & mulierum virtute ſeruata. pag. 265
Cypri inſulæ ſitus. 1. *A continente abſciſſam creditum eſt.* ibid. *eius regna, vrbes, magnitudo:* ibid. *incolarum frequentia* 2. *antiquitus maior,* ibid. *affluentia, habitus corporis, deliciæ.* ibid. *mulierũ laſciuia.* 3. *terræ ſiccitas & ſeracitas:* ibid. *decẽ & ſeptem annos aliquando nunquam pluit.* 3. *Cyprus quarum rerum ferax.* 3. *cœlum graue, ac peſtilens.* ibid. *eius domini.* 4. *ad Venetos tranſit.* 8. *defectionem ſæpe à Venetis meditatur.* 62. *tota in Turcarum poteſtatem peruenit.* pag. 289
Cypriæ fœminæ ad coniurandum impellentis facinus. 6
Cypriæ fœminæ memorabili facinore omnis Nicoſienſis præda incenditur. 95.96
Cypriæ matronæ atrox factum in expugnatione Nicoſiæ. 93
Cyprij equites erumpere in Turcas cupientes, prohibentur à Dandulo. 82. *egredi tentant occultè.* 83
Cythera inſula, hodie Cerigum. pag. 263

D

D*Andulus Cypri prætor.* 63. *imperitiâ militaris.* 72. *Nicoſienſi excidio natus.* 83. *iræ impotens.* ibid. *trucidatur capta Nicoſia.* 94. *eius caput à Muſtapha ad terrendos Famaguſtanos duces mittitur.* 96
Decemuirũm Venetorum de ſumma reipub. conſultatio. 186. *M. Antonium Barbarum de pace agere Byzantij iubent.* 289. *ſapiens conſilium.* 296
Decretum de claſſe cogenda. 296
Didaſcalus Cyprijs proditionis ſe caput præbet. 62
Diſciplina in claſſe neglecta haud parua eſt clades. 265 *militaris item neglecta, ingens malum.* 271
Diſcordiæ Chriſtianorum Tur-

cis

cis opportunæ. 27
Donatus. vide, Alexander, & Nicolaus.
Dragonaræ, ſcopuli contra Maleæ promontorium. 249
Ducum oratio ad milites ante naualem pugnam. 211. *in ipſa pugna vis & animus.* 217. *variæ ſimultates.* 274
Dyrrhachium à Venerio fruſtra tentatur. 136

E

EMericus Luſignanus primus Cypri rex à Pontifice appellatus. 4
Epirotæ equites Siroccum fugant. 71. *Nicoſia erumpere ſoli permittuntur.* 82. *iidem tamen ab irato Dandulo retinentur.* 83
Eugenius Synditicus Rocaſij Comes. 64. *malè pro patria legatione fungitur. ibid. nudata ab eo ſtatione Turcæ Nicoſiam capiunt.* 91. *ferò pugnans interficitur.* 92. *Turcæ eius cadaueri illudunt. ibid.*
Euſcochi. 27

F

FAbius Gratianus nauali prælio interficitur. 223
Famaguſtæ mercatus. 5. *à Genuenſibus capitur.* 7. *eiſdem eripitur. ibid. diſſidium cum Nicoſia.* 65. *ſitus.* 175. *obſidetur à Muſtapha.* 175. *& ſeq. audax, ſed incōſulta Venetorum, & Græcorum eruptio.* 176. *operum & munitionū hoſtis ratio. ibid. & ſeq. foſſa potiuntur Turcæ.* 177. *commēto igniū à noſtris pelluntur. ibid. cuniculos in vrbē agunt. ibid. per ruinas in mœnia ſexies euadunt.* 177. 178. *pellūtur à noſtris.* 178. 180. *vrbem noſtri interiori muro muniūt. ibid. fœminarū in propugnatione virtus.* 178. 179. 182. *Imiſſēſium Epiſcopus prælata Cruce propugnatores accendit.* 179. *tētatur denuo oppugnatio. ibid. &* 181. *quæ tormentorū tēpeſtas.* 179. *Balionus Turcis magnā cladem infert.* 180. 181. *Muſtapha de euentu anxius ſuos ad acriter oppu-*

gnãdũ hortatur. ibid. ducũ oppidanorũq; in propugnatione ſolertia & uigiliæ. 181. 182. *miſſo Venetijs ſubſidio deſtituuntur.* 184. 185. *extrema miſeria.* 186. *de vrbe dedenda oratio. ibid. cum hoſte colloquiũ.* 187. *dedendæ vrbis conditiones. ibid. deditio.* 189. *captæ fama noſtros ad pugnã accendit.* 204

Farneſius. vide, Alexander.

Ferrarienſium Dux Hetruriæ Ducis æmulus. 250. *in Germaniam proficiſcitur. ibid.*

Finicæ vrbis portum reficit Selimus. 23.

Flauius Card. *Vrſinus legatur in Galliam.* 319.

Fœderis ab Hiſpanis ineundi cum Venetis diſſuaſio. 108. *ſuaſio. ibid. eius conficiendi negocium ſex* Cardinalibus *datur.* 110. *leges à Pio latæ.* 131. *lis inter fœderatos compoſita.* 293. *cum Maximiliano* Cæſare *fœderis conditiones.* 152. & 321.

Fœminarum in Gallia auctoritas. 301.

Franciſcus Barbarus *pacis nuncius Venetias aduolat.* 324

Franciſcus Commendonus. *vide,* Commendonus Card.

Franciſcus Contarenus *Paphi Epiſcopus.* 92

Franciſcus Galliæ rex poſt Henricũ. 302. *in eũ coniuratur* 304. *moritur. ibid.*

Franciſcus Guiſiæ regulus interficitur. 306. *laus.* 307

Franciſcus Maria Rouereus Vrbini Ducis filius in claſſe Chriſtiana *militat.* 194

Franciſcus Priolus. 8. 102 *eius virtus, & mors. ibid.*

Franciſcus Tronus Abrahimum Venetias deuehit. 44

Francomati Cyprij, *qui.* 2

G

GAleatiæ, *quid ſint.* 43. *nauali prælio primæ hoſtem affligunt.* 214

Galliæ potentia vndènam oriatur. 299. *calamitas quem ortum habuerit. ibid. fœminarum auctoritas.* 301

Galliæ regis ad Alexandri-

num Card. in bellum impellentem reſponſio. 142. de Henrico Nauarræ rege iudicium. ibid. regis legatus Hiſpanum maiori in honore haberi ægre fert. 244
Galliæ regis Franciſci in hæreticos pia ſeueritas. 301. religioſum dictum. ibid.
Gaſpar Colineus Admiralius Hugonotorum caput. 141. nobilem Sabaudam vxorem ducit. 250. Sabaudiæ inſidiari putatur. ibid. eius conſilium ferendis inter reges diſſidijs. 259. Guiſium per emiſſariū interficit. 306. eius mores. 308. vulneratur ſclopeto. 310. eius interimendi cum ſocijs, negocium Guiſio datur. 312. regis, & aliorum interficiendorum ordinem tradit ſuis. 313. ipſe obtruncatur. 314. cadauer præcipitatur è feneſtra. ibid. atrociter dilaniatur. ibid. eius elogium. 315. cum eo trucidatorum nomina. ibid.
Geneuræ Saluiatæ vxoris Baglioni ardor & animus. 183. Peruſiam ad ſcribendos milites mittit, vt viro opem ferat. 184
Ghenghirus Solimani filius ſe interficit. 12
Genuēſes à Petrino rege Cypri venetis poſthabētur. 6. cū Venetis de dignitate contendūt. ibid. coniurant in regem ac detecti trucidantur. ibid. bellum Cypro mouent. 7. Famaguſta potiti vectigalem regem faciunt ibid. triremes quatuor bello nauali Hiſpanis accommodant. 256.
Georgius Panteo. 82.
Glabrio Sorbellonus Auſtrij conſiliarius. 192.
Græci transfugæ duo ad Nicoſiam prius oppugnandam Muſtapham impellunt. 74.
Granuellani Card. genus, & mores. 52. Venetos iuuari debere negat. ibid. reſpondetur ei à Card. Commendono. 53. fœdus iamiam feriendum impedit. 115. 116. eam ob cauſam Pium vehementer offendit. 116. Nea-

politani regni prorex. 192.

Gratiæ Deo acta, & decreta Venetijs ſancita pro nauali victoria. 229

Gregorius XIII. Pont. creatus. 257. *genus, & anteacta vita.ibid. Galliæ regem fœderatis tentat adiũgere.* 299 *tum Cæſarem.* 321. *iraſcitur Venetis ob pacem cũ Turcis initam.* 326. *inuehitur in eoſdẽ in ſenatu.* 327. *& ſeq. quæ contra eoſdẽ decreuerit.* 328. *placatur à Venetorũ legatis.* ibid.

Grimanus, vide, Hieronymus.

Guido Luſignanus Hieroſoly*ma rex pulſus à Saracenis Cyprum emit,* 4.

Guiſij Condæo aduerſarij. 305

Guiſio Franciſci *filio interimendi Admiralij cum ſocijs negocium dadatur à rege.* 312

Guiſius, vide, franciſcus.

H

HAlyus Turcicæ claſſis præfectus. 73. *inſulas Venetorũ vaſtat.* 154. *eiuſde pugna cõmittẽda oratio.* 205 *mors.* 218. *filiorũ captorũ alter Romæ moritur, alter ab Auſtria matri redditur.* 298

Hector Martinengus interficitur, dedita Famagusta. 188

Hector Podocaterus à Muſtapha legatus Famaguſtam mittitur. 174. *eius miſerabilis ſpecies, ibid. re infecta rediens interficitur.* 175

Hector Tronus ob Cliſſam deſertam coniectus in vincula abſoluitur. 290

Henrici Galliæ regis cum Philippo Hiſpaniæ rege pax, & affinitas. 302. *miſerabilis mors.* ibid.

Henricus Galliæ regis frater, Poloniæ rex creatur. 320

Henricus Nauarræ rex Hugonotus. 141. *miti ingenio pag.* 142

Hermolaus Theupulus. 42. 101. *Scardonem vrbem incendit.* 160. *naues aliquot capit. ibid.*

Hieronymi Grimani morientis oratio de fœdere. 107

Hieronymus Magius artifex machinarum egregius variè Turcas affligit. 188

Hieronymus Martinengus cũ præſidio in Cyprum mittitur 41. Sauormano æmulus. 42 moritur. 69.
Hieronymus Ragazonius Famaguſtæ Epiſcopus Venetias petitum auxilium mittitur. pag. 183
Hieronymus Venerius Olchinij præfectus oppido capto armis à Turcis exuitur. 163
Hieronymus Zanius claſſi mariq. præficitur. 42
Hiſpani Romæ Columnæ redeuntis à pugna nauali honoribus aduerſantur. 231. bellum transferre in Africam conantur 246. eorum in gerēdo bello conſilia. 245. cunctatio ſuſpicionem facit initæ parum ſincerè ſocietatis. 191. ſententia de ratione belli. 196. cum Venetis inteſtina diſſidia. 243. Hiſpanum nomen in ſumma inuidia apud omnes. 261.
Honoratus Caietanus inter illuſtres viros, qui Chriſtiana claſſe vehebantur. 194.
Hugo Apuliæ regis filius rex Cypri. 5. Luſingnani cognoman aſciſcit. ibid.
Hugonoti Galliæ hæretici Luſitaniam infeſtant. 149. in Galliæ regem Henricum cōiurant. 302. ſemel atq. iterum prælio fuſi. 307. Pariſijs eorum cædes maxima. 317. plebis ad Hugonotos verba. ibid. toto regno Galliæ trucidantur. 318

I

Iacobus Celſus. 56.
Iacobus Foſcarenus Venerio in maris præfectura ſuffectus. 238
Iacobus Malateſta audaciùs Turcas inſecutus capitur. 161. biennio pòſt dimittitur pag. 162.
Iacobus Nores. Comes Tripolis Rocaſio æmulus. 65
Iacobus Ragazonius Byzantiũ mittitur ad agendum de pace. 117
Iacobus Sorantius Venetorum legatus ad Cæſarem. 145. Barbarico ſucceſſor Leuca-

dem non tentandam eſſe cenſet contra Veneriū. 233. Venerium crimnoſe inſectatur. 236. Catarum obſidione eximit. 291
Iacobus Sorianus pro Venerio reſpondet aduerſario 237
Iannizari in bello Cyprio. 73
Imiſſa Cypri regio. 2
Ioannes Auſtrius 113. totius belli imperator à Pio creatur. 114. Genuam ex Hiſpania applicat. 191. Neapoli imperatorium vexillum accipit. 192. eius conſiliarij ibid. naualis prælij ſignum extollit. 210. milites adhortatur. ibid. Venerio iraſcitur. 225. in Sicilia commoratio. 258. exemplar literarum ad Columnam. 262. in Siciliam redire ſtatuit. 279. fruſtrà à Venetis oratur, ne diſcedat. 280. ſoluit è Græcia. 281. incuſatur apud regem, quòd contra præceptum regis cum Turcis depugnaſſet. pag. 287
Ioannes Brunus Antibarenſium Archiepiſcopus interficitur. 163
Ioannes Caluinus in Galliam hæreſim inuehit. 300
Ioannes Falerius. 83. captus à Turcis, ſe pretio redimit. 92
Ioannes Legius Dalmatiæ legatus in vincula conijcitur Venetijs. 105
Ioannes Sorantius diſturbando fœderi Venetijs Romam mittitur. 112. Pio Pont. ingratus. ibid.
Ioannes Suſominus vir induſtrius. 66
Iſabacius Cypro Ricardum Britanniæ regem prohibet. 4. bello ſuperatur ab eodem. ibidem
Iſmaël Perſarum rex ab Selimo Solimani patre ſuperatur. 25
Iſmaël Tammaſi Perſarum regis filius cur à patre in cuſtodia habitus. 140
Italorum principum in bellum ſtudia. 249
Iudæi vagi. 19 eorum ſedes. ibid. Hiſpania expelluntur. 20. in Luſitanam pergunt

ibid. libertatem amittunt. ibid. eijciuntur Luſitania. 21. Chriſtianos ſe ſimulant. ibidem.

Iulius Sauornianus Nicoſiam munire aggreditur minimo cum ſumptu Venetorum. 9. 10. *Dalmatiam curat.* 41. *Venetijs muniendis præfectus.* 171

Iuſtinianus. vide, Petrus, & Onfredus.

L

LAndelotius ab Henrico Galliæ rege penè interficitur. 308

Landrianus Siciliæ præſes Auſtrij conſiliarius. 192

Latinus Vrſinus inter illuſtres viros, qui Chriſtiana claſſe vehebantur. 194

Lauredani Ducis Venetiarum obitus. 47

Laurentius Theupulus Famaguſtæ cum Bragadino præpoſitus. 163

Legati Veneti apud Hiſpanos literæ ad ſenatum. 287

Leiparum pagus Turcis ſe dedit: à Nicoſienſibus incenditur. 77

Leſina inſula à Turcis incenditur. 165

Leucadis ſitus. 234. *irrito conatu tentatur à Venerio. pag.* 235

Literæ de pace cum Turcis compoſita Romam perferuntur. pag. 322

Literæ noſtrorum interceptæ ab hoſtibus. 86

Lotharingiæ Card. Carolus. 302. *eius & Catharinæ reginæ diſsidia.* 303. *mores. ibid. in eum coniuratio.* 304

Lucas Michaëlius Caneæ magiſtratus Turcarum impetum reprimit. 156

Lucenſium reſp. pecuniam in bellum Turcicum offert. 250

Luſignana familia. 4

M

MAhometes Seghetũ, mortuo ibi Solimano, capit. 14. *Solimani mortem mirè occultat.* 15. *Selimi gener, & Baſſa Viſsirius. ibid. eius calliditas, & potentia. ibid. Pialeium, et Muſtaphã euertere conatur.* 18.

bellum à Venetis ſtudet auertere . 29. Hiſpanicum bellum ſuadet . 30. acriter à rege accipitur. 36. eius artes ad Venetos fallendos. 37 *Cyprum à legato tradi regi poſtulat . 39. literæ de eadem re .* 45

Malateſta . vide, Iacobus.

Maluagia vrbs, antiquis Epi*daurum Laconiæ .* 263

Mamaluci Ianum Cypri regem bello captum in Aegyptum abducunt . 7

Manolius Marmorius. 48. *à Turcis captus in expugnatione Sopoti .* 159

Mantuæ Dux Gulielmus Gonzaga milites in Turcicum bellum offert . 249

M. Antonius Barbarus *Venetorum legatus apud Turcam.* 38. *de* Cypro *muniendo admonet Venetos . ibid. Literæ eius multæ intercipiuntur à Turcis.* 39. *inſtanti ſeruituti filium eripit.* 41. *eius vxor Abrahimum muneratur .* 46. *de captiuis commutandis cum Mahomete agit .* 117. *de pace agere iubetur à Decemuiris .* 289. *pacem cum Turcis componit .* 322

M. Antonius Bragadinus Famaguſtæ præfectus 63. *egregiè Famaguſtam defendit .* 182. *eius literæ ad ſenatum & filios .* 183. *infanda in eum cruciatuũ genera.* 188. *eius maximè barbarum necis genus .* 189. *pellis infarta paleis Venetijs aſſeruatur .* *ibid.*

M. Antonius Columna Pontificiæ claſſis præfectus. 54. *Pio percharus . ibid. init gratiam apud Venetos.ibid. Auſtrio, ſi à bello abeſſet, pari cum imperio ſufficitur .* 114. *Venetias à Pio mittitur .* 118. *eius ad Venetos qualis oratio.* 119. *virtus .* 122. *Romam re bene geſta reuertitur .* 131. *cum Pontificia claſſe ſoluit è centum cellis.* 135. *eius de bello gerendo ſententia , & oratio .* 197. *ſecreta ad Auſtrium Hiſpanoſq. monita .* 198.

per-

perniciosam rixam inter duces maturè sedat. 201. eius oratio ad Austrium placandum. 202. facta in pugna nauali. 221. honor redeunti Romam à Pio, & Pop. Rom. habitus. 231. liberaliter & munificè ipse & filius à Pio tractatur. ibid. Pio mortuo Neapolim nauigat. 256. eius consilium ad prohibendas populatione Venetorum insulas. 266. cur omissum. 267. prælia cur abstinuerit. 269. oratio ad pauidos. 271. Austrium sibi iratum opinatur. 273. in Hispaniam proficiscitur. 282

M. Cato in Cyprum missus ad prouinciam ordinandam. 4. Romã Cypriorum regum thesauros asportat. ibid.

Marcus Quirinus. 49. eius ignauia. 171

Marcus Quirinus cognomento Stenta Famagustam cum classe penetrat. 172. Turcicas triremes duas demergit, alias capit. ibid. Veneto senatui iratus Famagustæ subsidium impedit. 185. ipse Siciliam adit. ibid.

Margarita Galliæ regis soror Henrico Nauarræ regi desponsa. 142

Margarita Nauarræ regina hæreseos fautrix. 301

Margaritium oppidum Epiri. 50. desertum à Turcis nostri excindunt. 235

Marrani, qui sint. 21

Martinengus: vide, Hieronymus, Sciarra, Aloysius, & Hector.

Martinus Lutherus hæreticorum superioris ætatis caput. pag. 300

Massota Cypri regio. 2

Maurorum in Hispania vires & copia. 30

Maximilianus Cæsar Cosmo Medici, Magni Ducis honorem abrogat. 144. redarguitur ac leuitur à Commendono Card. 145. à fœdere iungendo alienus. ibid. & 320. arte quàm armis melior. ibid. ad Commendonum responsio. 149. ad

eun-

eundem epiſtola. ibid. deliberatio de bello Turcis inferendo. 152. diſceptatio altera cũ Comendono, & poſtulata. ibid. conditiones fœderis cum ipſo. ibid. & 321 eius in Venetos indignatio ob pacem cũ Turcis factã. 325. 326
Mehemetes Eubœæ præfectus nauali prælio captus Romæ aſſeruatur. 298. eius de victoria noſtrorum ſententia. ibid. pulcrum dictum. ibid. & 299
Memorantius. vide, Annæus.
Mercatores Veneti Byzantij, Turcæ Venetijs belli tempore in cuſtodia habiti. 316
Meſarea Cypri regio. 2
Methonis portus. 275.
Micheſius Iudæus Muſtaphæ familiaris. 19. inuadendæ Cypri Selimo ſuaſor. 22. deſtinatus, vt creditum eſt, Cypri rex. 23. incendij Venetijs excitati auctor. 33
Mocenicus. vide, Aloyſius.
Mongomerius occiſo Admiralio fuga ſibi conſulit. 315
Mulas nutrire Cyprij vetantur. 3
Muphthius Turcarum Sacerdos. 29
Muſaferus. 86
Muſtapha nutritius Selimi. 14. eius virtute Selimus Baiazetem ſuperat. ibid. infenſus Mahometi. 18. Mahometis artibus necari iubetur à rege. ibid. ipſe ſibi conſulit. 19. Cypriam expeditionem regi ſuadet. 25. 35. terreſtrium copiarum dux. 73. Nicoſiam primò aggredi ſtatuit. 76. eius literæ ad Cyprios. ibid. Nicoſiam obſidet. 78. puteis veneno infectis, nouos fieri iubet. ibid. Nicoſiam totis viribus, etiã claſſiariorum, oppugnare decernit. 88. eius ad oppugnandum acriter ſuaſio. ibid. vrbem expugnat. 92. eius crudelitas in ciues. 95. ad oppugnandam Famaguſtã proficiſcitur. 96. de vrbis oppugnatione cura. 173. ciues ad deditionem ſolicitat. 174. dubitatio de rei exitu. 180. artes ad milites incitandos.

ibid. doli ac perfidia. 187. *impudentiſſima ad noſtros interficiendos contra fidem calumnia*. 188

N

Naualis prælij initium. 213. *certaminis horror*. 214. *varia ſpecies, & fortuna*. 216. *victoriæ principium*. 218. *conſummatio*. 221. *cæſorum, & captiuorum Turcarum numerus*. 222. *naues captæ, & fractæ, Chriſtiani ſeruituti exempti, præda militi conceſſa. ibid. deſiderati ex noſtris & ſaucij*. 223. *poſt victoriam quid geſtum ſit*. 235

Nauarinum vrbs. 275. *fruſtra tẽtatur à Farneſio*. 279

Nicolai Pontij pacem fœderi præferentis ad ſenatum oratio. 129. *de pace componenda oratio*. 287. *Romam miſſus Gregorium Venetis iratum placat*. 329. 330

Nicolaus Dandulus. *vide, Dandulus*.

Nicolaus Donatus *cũ ſubſidio Famaguſtam mittitur* 185 *eius pernicioſa cũctatio*. 184

Nicolaus Gradenicus. 82

Nicoſia vrbs. 9. *eius cum Famaguſta diſſidium de frumento*. 65. *præſidiariorum numerus*. 77. *obſidetur*. 78. & *ſeq. oppugnatur acerrimè*, 90. *expugnatur* 92. *captæ miſerabilis facies*. 93. *cæſorum numerus*. 95. *captiuorum miſeria. ibid. prædæ fama infinitam vim Turcarum ad Cyprium bellum trahit*. 173

O

Occaſio maxima delendi hoſtis neglecta à noſtris. 276

Olchinienſium virtus. 162. *acriter oppugnati à Turcis ſe dedunt*. 163

Onerariæ naues, anceps auxilij genus. 264 *oneraria Venetijs aduenienſ erepta periculo. pag.* 268

Onfredus Iuſtinianus Venetias

naua-

naualis victoriæ nuncius à Venerio mittitur. 225. eius in vrbem ingreſſus, & relatio victoriæ. 227
Ottomanicæ menſæ parcitas. 12

P

Pacis conditiones, de quibus inter Venetos Turcaſque agi cœptum. 323. *leges, quibus firmata eſt.* 324. *eius nuncius quomodo acceptus Venetijs.* 325. *Viennæ. ibid. & ſeq. in Hiſpania.* 326. *quomodo Romæ diuulgatus,* 327. *quo legati Veneti odio, & periculo.* 326. *& ſeq. quàm moleſtè à Pontifice acceptus. ibid. à ciuitate Veneta.* 325. *moderatè acceptus à Philippo, & Hiſpanis. ibid. & ſeq.*
Palatius Fanenſis *tribunus.* 7 *interficitur.* 92
Pallauicinus. vide, Sfortia.
Paphia Cypri regio. 2
Pardilonus Admiralij comes occiditur. 215
Pariſiorum ciuitas nunquam Hugonotorum peſte contaminari ſe paſſa. 316
Parmæ Dux Octauius Farneſius milites in Turcicum bellum offert. 250
Paræci in Cypro, qui ſint. 2
Paulus Iordanus Vrſinus in Chriſtiana claſſe militat. 194. *eius virtus in pugna nauali.* 221
Paulus Sfortia *vnus ex viris principibus in claſſe.* 194
Paulus Theupulus decemuiris auctor referendi ad ſenatum conſilia de pace, & ea de re diſceptatio. 123. *eius pacem diſſuadentis ad ſenatum oratio.* 124. *præfecturam claſſis ambit.* 237. *legatus ad Pium vnà cum Sorantio.* 244. *eius de bello in Græcia gerendo oratio.* 247. *ob nuncium pacis Venetorum cum Turcis priuatim factæ Gregorio inuiſus.* 326. *& ſeq. in eum & Venetos plebis Rom. periculoſum odium.* 327. *eius ad placandum Pont. artes. pag.* 328. 329

Paulus Urſinus inter illuſtres viros, qui Chriſtiana claſſe vehebantur. 194. *Margaritium caſtellum capit, & diruit.* 235
Pecuniæ neceſſitas qua ratione ſuppleta in bello Famaguſtano. 182
Pendagia Cypri regio. 2
Pertaus Pialeio ſuffectus. 155. *eius in deditione Olchinienſi perfidia.* 163. *Catarenſium animos fruſtra per legatum tentat.* 164. *Olchinio oriundus. ibid. Corcyram vexat.* 166. *eius de vitanda pugna ſententia.* 205. *ante pugnæ naualis initium ſibi timet.* 213. *vincentibus Chriſtianis actuario elabitur.* 221. *ab Selimo pellitur in exilium.* 241
Peſtis claſſem Venetam populatur. 51
Petri Iuſtiniani, & Melitenſium equitum in nauali prælio virtus. 220. *in eo primùm captiuo, deinde victore fortunæ vices.* ibid.
Petrus Cypri rex. 5. *Alexandria potitur. ibid.. Romam ad Pontificem proficiſcitur. ibid. in Cyprios ſæuit.* 6. *à coniuratis fœminæ hortatu interficitur.* ibid.
Petrus Fulgoſius Genuenſium dux. 7. *Cyprum vectigalem Genuenſibus reddit.* ibid.
Petrus Pardus falſum rumorem de noſtræ claſſis exitio ſpargit. 272
Petrus Strotius à Coſmo Medice fuſus. 143
Philippi II. de fœdere ineundo reſponſio ad legatum Pontificis. 109. *altera ad Card. Alexandrinum.* 139. *literæ ad Greg. XIII.* 257. *Venetorum cum Turca pacis nuncium moderatè accipit*, pag. 326
Philippus Bragadinus Turcas nauali clade perterritos inſequi cupiens non adiuuatur à Venerio. 232
Pialeius infans in ſulco repertus 14. *Selimi gener. ibid. infenſus Mahometi.* 18. *dignitate exutus, & in eam reſtitutus. ibid. claſſi mariq.*

præfectus. 73. Famaguſtam primò oppugnandam cenſet. 75. increpatur à rege Turcarum. 100. ei ſufficitur Pertaus. 155

Piles Admiralij comes occiditur. 315

Pius V. Pont. Venetis è Piceno frumenta exportandi poteſtatē facit. 43. initio Pontificatus alienus à Venetis. 51. Venetis in bello auxiliatur. 54. Hiſpaniæ regem ad bellū hortatur. 55. fœderi Chriſtianorum iugendo ſtudet. 107. ea de cauſa Card. & legatos alloquitur. 110. magna conſtantia rem proſequitur. 112. dat ſuper hoc acres ad Philippum regem literas. 113. M. Ant. Columnam Venetias mittit. 118. leges fœderis iubet. 131 à Coſmo Medice longas naues conducit. 134. Margaritam Galliæ regis ſororem Sebaſtiano Luſitaniæ regi coniugem tradere, cur optarit 141. religioſè gratiàs pro nauali uictoria Deo agit. 230. redeuntem Columnam ſingulari honore excipi iubet. 231. eius munificentia erga eundem, & Aſcanium filiū. ibid. vt Venerium amouerent, Venetos monet. 238. rationem belli gerendi præſcribit. 249. in morbum incidit. 251. quam medicinam optimam duxerit. ibid. ſanctiſſima mors, & elogiū. ibid. eius familia, & res geſtæ. 252. Hiſpaniarum regi poteſtatem facit exigendi aliquot aureorum millia ab ſacerdotibus Hiſpanis. pag. 261

Pizanum caſtellum excinditur à Turcis. 164

Podocateri propugnaculum. 78

Podocaterus. vide Hector.

Poloniæ rex Auguſtus diuortio ſtudet. 153. corripitur à Commendono. ibid. reginæ obitus. ibid. regis miſera mors. 154. ſufficitur Henricus regis Galliæ frater. pag. ibid.

Pompeius Columna. 58. in Hiſpaniā mittitur à Pont. 115

Pontificiæ claſſis itineris ratio. pag. 135
Pontificis in Venetos ira, & in Senatu inſectatio. 327. 328 329. *decreta.* 328. *placatur à Theupulo, & Nicolao Pontio Venetis legatis.* 329. *& ſeq.*
Pontius. vide, Nicolaus.
Prædam partiendi ratio poſt naualem victoriam.. 226
Priolus. vide, Franciſcus.
Prodentium Turcis arces in Dalmatia *ſupplicia.* 289
Proſper Columna. 226
Prothenus inſula. 276
Ptolemæus Aegypti rex, Cypri dominus ſe interficit. 4
Pub.Clodius *captus à piratis.*4. *dimiſſus gratuitò. ibid. Cyprum in prouinciam populi Rom. redigit. ibid.*
Putei *à Cypriis veneno infecti. pag.* 78

R

R*agazonius. vide, Iacobus, & Hieronymus.*
Ramagaſij Sequani. Melitenſis Equitis maritimæ rei ſcientia & virtus. 221
Remigibus damnatis ad triremes promiſſa libertas, ſi nauali prælio noſtri victores euaſiſſent. 215
Remigum Chriſtianorũ in Turcarum nauibus nauali pugna facinora. 216
Requeſentij de bello ſententia. pag. 192
Rhetimatũ inſignis pauor. 156
Ricardus Britanniæ rex vi Cypro potitur. 4
Rocaſocorius occiditur. 315
Rocasij Comes pro rege Petro abſente Cyprum curat. 5. *regiam potentiam inuadit. ibid. accuſatur, abſoluitur. ibid. de alio vide, Eugenius* Syncliticus.
Rocasij culpa Turcæ *in muros Nicoſiæ euadunt.* 91. *eius cædes.*92. *cadaueri illudunt Turcæ. ibid.*
Romanæ Vrbis gratulatio, & gratiarum actio, accepto victoriæ naualis nuncio. 230
Rouereus. vide, Franciſcus Maria.

S

Sabaudiæ Ducis filius Ludouicus, Cypri rex. 7. expellitur à Mamalucis. ibid.
Sabaudiæ Dux Filibertus ad Turcicum bellum auxilia offert. 250. cur ei imperium belli demandatum non ſit. pag. 114
Salinæ, Cypri regio. 2
Salis Cyprij ingens vectigal. pag. 3
Salomonus Iudæus medicus paci inter Venetos, & Turcas componendæ adhibitus. 322
Saluiata, vide, Geneura.
Saluiatus, vide, Antonius Maria.
Sapientia inſula. 275
Sauornianus. vide, Iulius.
Sciarra Martinenghus Catari procurator. 162. capto Olchinio exutus armis abire permittitur. 163
Siroccus cum XXV. nauibus in Cyprum à Turcis præmittitur. 70.
Scotiæ regina, Franciſci Galliæ regis vxor. 305
Scutaræ capiendæ occaſio à Venetis omiſſa. 160
Sebaſtiani Luſitaniæ regis reſponſio ad Card. Alexandrinum de fœdere. 139. pietas ac religio. 141
Sebaſtianus Venerius Sopotum capit. 49. Zanio in claſſis præfectura ſuffectus. 104. Dyrrhachium fruſtra tentat. 136. ſeptem naues amittit. 180. Auſtrium de celeritate liberè admonet. 195. Auſtrij congreſſu vt abſtineat, admonetur. 203. virtus in pugna nauali. 22. apud Auſtrium redit in gratiam. 224. conſilium ſalutare turbat, rurſumq. Auſtrium offendit. 225. ab Auſtrio in ſpeciem amicus digreditur. 226. eius poſt victoriam vana conſilia. 232. Leucadem fruſtra tentat. 235. præfectura claſſis mouetur. 238. oras maris Adriatici in ſpeciem honoris curare iubetur. 239. eius fortuna & acta ætas. ibid.
Seditio ingens in claſſe ex minimo penè coorta. 200

Selimus ſolimani filius, & Imperij hæres. 12. *Adrianopoli, & Ciliciæ præfectus. ibid. mores peſſimi. ibid. vinolentia. ibid. intemperantia in voluptatibus.* 13. *cõtemptus eius apud milites.* 15. *Iudæis fauet. ibid. iubet Muſtaphã occidi.* 18. *inuadere Cyprum cur maximè decreuerit.* 25. *eius animi vanitas.* 29. *Mahometem acriter accipit.* 36. *literæ eius ad Venetos, quibus Cyprum petit.* 44

Sepulcrale Templum regũ Turcarum. 24. *noſocomia, & hoſpitia prope templum. ibid. ex hoſtium manubijs ædificari ſolitum.* 25

Sfortia Pallauicinus terreſtrium copiarum dux. 50. *legatis Zanij additus.* 56. *eius de non occurrendo hoſtibus ſententia.* 68

Sfortia S. Floræ Comes Auſtrij conſiliarius. 192

Sinamus Ægypti præfectus. 18. *accuſator Muſtaphæ. ibid.*

Solimanus ægre fert, muniri Cyprum à Venetis. 11. *eius filij. ibid. Muſtaphã natu maximum necari iubet. ibid. Belgradum expugnat, Rhodo potitur, Venetis multa eripit.* 26. *eiſdem minatur.* ibid.

Sopotum oppidum capitur à noſtris. 44. *Turcæ recipiunt.* 159. *iterum capitur à noſtris.* 235. *redditur Turcis.* 324

Sorantius. vide, Iohannes, & Iacobus.

Sorbellonus. vide, Glabrio.

Sorianus. vide, Angelus, & Iacobus.

Sorianus Venetorum legatus Pio percharus. 112. *eius laudes.* ibid.

Strophades inſulæ. 275

Suda incenditur à Pertao. 156

Sueſſanorum Princeps. 281

Sulphurei pulueris incendium fraude Turcarum excitatum Venetijs. 32. *quam ſtragem, & fragorem ediderit.* ibid.

T

Tænarus promontorium, hodie Metapanum. 267
Tammaſi Perſarum regis inertia. 140
Templariorum ſocietas Cyprũ emit 4. vendit. ibid.
Theupulus. vide, Laurentius, Hermolaus, & Paulus.
Tilinus Admiralij comes occiditur. 315
Triumuiri Venetijs creati, 104. Zanium in vincula conijciunt. 105
Turcæ eruptione Nicoſienſium magnam cladem accipiunt. 84. cautiùs agunt. 85. varijs noſtrorum nauibus potiuntur. 102. captiui nobiliores poſt naualem pugnam Romam abducti, & à Pio humaniter habiti. 226. reparandæ claſſi animum adijciunt. 142. in Dalmatia aliquot locis potiuntur. 289. eorum promiſsis nulla fides. 94. in oppugnatione Famaguſtæ opera, progreſſus, & clades. 175. cæſorum numerus eo bello. 183. in loco nauali pugnæ deligendo imprudentia. 218. obedientia. 18. militum numerus in Cyprũ expoſitus, & apparatus. 73. Turcicæ claſſis ſumma. 155. contemptus Chriſtianorum. 204. inſtructio ad prælium. 209. nouæ poſt cladem claſſis celerrimus apparatus. 242. eius ſumma, & vis. 263

V

Valachi Bogdanum regẽ expellunt. 153
Venerius, vide, Sebaſtianus, & Hieronymus.
Venetias falſus perlatus rumor de Cypro liberata periculo. 103. de capta Famaguſta. 171. magnum Venetijs ſulphurei pulueris incendium 32. ex eo coniurationis ſuſpicio. 33. quis auctor creditus. ibid. Venetiæ metu

Turcicæ claſſis muniuntur. 170. triumuiri habendis de rep. adminiſtrata quæſtionibus creantur. 104. ingens lætitia ex naualis victoriæ nuncio. 227. gratiæ pro victoria Deo actæ. 229

Veneti Cypro à Catharina *regina donantur. 8. eorum reſponſio ad legatum Selimi Cyprum petentis. 45. eis in bello decernitur à Pontifice auxilium. 54. ſeruos, bello ingruente, libertate donant. 72. ſupplendæ claſſi capitales, & exules adhibēt. 104. de pace componēda deliberant. 116. Auriam penè proditionis accuſant. 243. claſſem hiemare in Græcia vehementer cupiunt 281. ne pacem ſecretò coquerent, ingens Romæ ſuſpicio. 296. pacem cum* Turcis *componunt. 322. eorum in gerendo bello conſilia. 111. claſſis itineris ratio. 130. legatio ad regem Perſarum. 140. ad* Curzolanorum *legatos apta reſponſio. 165. in conficienda pecunia ad bellū duplex ratio. 167. ad vrbium ſuarum legatos oratio. 168. eorum naues ſuſpicionis de Auria conceptæ pœnas luunt. 219. de Turcis captiuis necandis conſilium. 226. reip. forma. 236. cū Hiſpanis inteſtina diſſidia. 243. oratio ad retinendum Auſtrium, ne ſe deſereret. 280. conqueſtiones apud primores exercitùs. ibid. apud Pontificem, & alios Romæ. 292. ſermones de pace cogitantium. 284. callidum conſilium. 292. cum regijs variæ altercationes. 295. eorum legati apud Hiſpanos literæ ad ſenatum. 287. vnius è primoribus in Hiſpanos oratio. 285. 286. ſenatus decretum de fœdere accipiendo. 131. patritiorū duæ factiones. 236. Veneti, eorumq. legati ob initam priuatim cū Turcis pacem, apud exteros ſummè exoſi. 325. & ſeqq. Venetorum potentia pacis artibus ac-*

qui-

quiſita. 325

Ventus noſtræ claſſi prope miraculo fauet. 213

Ugo Boncompagnus. *vide, Gregorius XIII.*

Victoriæ naualis principiũ. 218

Vincentius Alexandrius Venetijs miſſus ad Tammasũ Perſarum regem. 140

Vincentius Vitellius, vnus ex inſignibus viris Chriſtianæ *claſſis.* 194

Vini Cyprij excellentia, & copia. 3

Viſcontia Cypri *regio.* 2

Vlucialis archipirata. 155 *eius res geſtæ in Creta.* 156. *Rhetimatũ illudit ignauiæ.* 157. *maritimæ rei peritia.* 219. *conſiliũ in pugna nauali deprehenſum ab Auria. ibid. inclinatis rebus fugit. ibid. Halyo ſufficitur.* 241. *claßem nouã apparat.* 242. *audito noſtrorũ aduentu conſilium.* 264. *mira ſagacitas.* 267. *bellica virtus.* 270. *reditus ad Turcam poſt euitatũ periculũ glorioſus.* 282

Vrbini Dux Guidobaldus ſe ad Turcicum bellũ offert. 250

Vrbium Venetis ſubditarum conqueſtiones de nouis vectigalibus. 167. *legati ea de re Venetias miſſi.* 168. *tributum ab ijs belli tempore quotannis collatum.* 169

Vrſinus. vide, Flauius.

Z

Zachariæ Salomonij fides & virtus. 164.

Zanetius Dandulus. 83

Zanius claſſi mariq. præficitur. 42. *ſucceßorem mitti ſibi prudenter poſtulat.* 104. *in vincula conijcitur.* 105. *crimina, quæ illi obijciebantur. ibid.*

Zuinglius Heluetiorum corruptor. 300

FINIS.

ERRATA
SIC CORRIGE.

Pag.	lin.		dic
1.	3.	cæpiſſe	cepiſſe
	23.	Bombicis	Bombycis
	25.	ſpartho	ſparto
4.	7.	quærebatur	querebatur
	27.	premioq.	præmioq.
5.	1.	diende	deinde
	20.	cæpit	cepit
7.	8.	Viſilopota-num	Viſilopota-mum
8.	7.	regi	rege
12.	14.	Andriano--poli	Adrianopo.li
	21.	Octomano-rum	Ottomano-rum
		menſa	menſæ
16.	3.	ipſiſq.	ijſq.
	7.	Habraimum	Abrahimũ
24.	3.	offerti	offerri
26.	16.	Peloponeſo	Peloponneſo
55.	11.	duce	duci
62.	3.	pto	pro
65.	8.	Dandalus	Dandulus
71.	4	Epriotarum	Epirotarum
73.	8.	pæne	penè
	29.	Baſarum	Baſſarum
119.	24.	prſæntia	præſentia

Pag.lin.		dic
137.14.	miſſo	miſſu
138.6.	cludi	eludi
148.22.	lonrum	longarum
156.29.	ſine	vt ſine
190.10.	ſulphur eo	ſulphureo
192.29.	qua	quam
217.1.	Turcis	Turcicis
26.	principiem	principem
333.21.	vbi nec ſubita	vbi ſubita
263.16.	Cytheram	Cythera
270.11.	aciebat	aiebat
278.1.	noſtos	noſtros
283.9.	ingloriam	inglorium
300.1.	per turbata	perturbata
304.17.	proximior	coniunctior
308.29.	fæderi	fædari
312.24.	noctu	nocte
313.14.	palijs	pallijs
314.22.	penam	pænam
137.&139.	SECVNDVS	TERTIVS

in margine.

22.	Mahometes	Micheſius
309.	Condæus	Colinius

in Indice

in fine vocis (Pius V.) *ante illa verba* (Hiſpaniarũ Regi) *adde* Pius IV.

REGESTVM.

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg.

Omnes ſunt Terniones, præter † Duernio.

ROMÆ, Typis Alexandri Zannetti. MDCXXIV.

SVPERIORVM PERMISSV.

99 970996

REGESTVM

